# JURA

REGNI

# CROATIÆ, DALMATIÆ & SLAVONIÆ.

EDIDIT

JOANNES KUKULJEVIĆ ALITER BASSANI DE SACCHI.

PARS II.

ZAGRABIAE, 1862.

VELOCIBUS TYPIS DRIS. LUDOVICI GAJ.

# ARTICULI & CONSTITUTIONES

## DIÆTARUM SEU GENERALIUM CONGREGATIONUM

REGNI

## CROATIÆ, DALMATIÆ & SLAVONIÆ.

EDIDIT

JOANNES KUKULJEVIĆ ALITER BASSANI DE SACCHI.



ZAGRABIAE, 1862.

VELOCIBUS TYPIS DRIS. LUDOVICI GAJ.

12

# Index partis II.

# PARS SECUNDA.

ARTICULI & CONSTITUTIONES

# DIAETARUM

SEU

# GENERALIUM CONGREGATIONUM

REGNI

## CROATIÆ, DALMATIÆ & SLAVONIÆ.

## CONSTITUTIONES TOTIUS SLAVONIAE ANNI 1273.

***Constitutiones in generali Congregatione Regni totius Slavoniae factae, a Mathaeo Bano A. 1273 confirmatae et a capitulo Chasmensi Anno 1350 transsumptae.***

Nos Capitulum Chasmensis ecclesie significamus tenore presencium quibus expedit vniversis: qvod nobilis vir magister Dominicus filius Rodini personaliter ad nostram accedens presenciam, exhibuit nobis qvasdam litteras priuilegiales Mathey quondam bani tocius Sclavonie, petens a nobis ..... cia ut easdem nostris litteris de verbo ad verbum transscribi, et nostri sigilli apposicione consignari faceremus: quarum quidem litterarum tenor talis est: Nos Matheus banus tocius Sclavonie, significamus omnibus presencium per tenorem, quod in congregacione regni tocius Sclavonie generali, nobiles et Jobagiones Castrorum hec iura regni et Banatus infrascripta, redacta in scriptis, nobis exhibuerunt; petentes, quod ea in Judiciis exercendis et banatus Juribus ex . . . . mus per nostros Judices observari. Nos itaque, utpote qui de bonis regni et utilitatibus gratulamur, ipsorum peticionem iustam, eo, quod premissa Jura veris et legitimis racionibus fundabantur, admisimus debito cum effectu. Primum siquidem . . . . Pristaldum, suum consanguineum, uel cognatum, aut seruientem, uel suum parochialem sacerdotem, pro testimonio recipere nullus possit. Ad hec, si citacio fiat in presenciam nostram, quindena diei citacionis, si vero in presenciam nostrorum Judicum, citacio debet pro termino . . . gnari et actor in primo citacionis edicto in litteris Judicis suam exprimet accionem, ne locus fraudibus reserveur; et si conventus in primo non comparuerit termino, quadraginta denariorum tJudicio subiacebit, pro ceterorum vero obmissionibus terminorum consveta iudicia regni solventur. Item, citatus in causa possessionis, furti, violencie, homicidii, aut infidelitatis, si personaliter, uel per hominem suum comparuerit, responsio peremptoria, sine Judicii grauamine, usque ad septimum terminum debeat prorogari, et in recepcione cuiuslibet termini, quindecim dierum inducie observentur, uel pro septem edictis, que legitime recipi possent, vnus terminus peremptorius assignetur; et si quis in premissis casibus in septimo termino non comparuerit, Judex in octavo termino publice faciet proclamari: quod reus Juri parere debeat; quare in prioribus terminis non comparuerit, ostensurus iustam et legitimam racionem; qui si eciam tunc se absentauerit, actor mittetur causa rei servande in possessionem contumacis, pro modo debiti, uel maleficii, in litteris iudicis declarati. Preterea, si quis pristaldo contradixerit, uel maculam obiecerit falsitatis, si ipsum legitime convincere non poterit, soluet pro iudicio marcam vnam. Item, si

quis pristaldum verberaverit, uel hominem capituli, datum pro testimonio, convictus tamen legitime, pene decem marcarum subiacebit. Si quis autem in figura iudicii litteris capituli uicium opposuerit falsitatis, et non convicerit regni legitimis documentis, decem marcarum penam soluet. Ceterum, cum quis in causa pecuniaria condempnatus, iudici, uel adversario suo, usque ad secundum terminum satisfacere non curauerit, in tercio termino vnus de judicibus, per Regnum constitutis, ibit cum homine Comitatus Zagrabiensis, uel Crisiensis, adhibito testimonio capituli Zagrabiensis, uel Chasmensis, et de bonis, seu rebus contumacis, juxta condignam estimacionem iustum exiget Judicatum. In peculio autem petito magne quantitatis, Judices, inspecta qualitate personarum, secundum suam discrecionem moderabuntur terminos, pro solucionibus faciendis. Item, si quis alteri crimen obiecerit lese maiestatis, uel dixerit, quod falsam incudi faciat monetam, si convincere non poterit, penam pati debeat talionis. Statutum fuit eciam, si quis contra alterum in Judicio proposuerit, quod in Regno ducat uitam publice violentam, et non conuicerit, secundum Juris processum soluet dimidii homicidii Judicium, pensas scilicet sexaginta; si vero actor proposuerit contra reum, quod ipse rerum suarum fur exstiterit, siue latro, et legitime non convicerit, Judicia duo solvet. Si quis autem in iudicio constitutus, aduersarium suum in presencia iudicis vituperauerit, Judicium lingue soluet, scilicet viginti quinque pensas. In minoribus autem causis conuictus, solo Judicio aggrauatur. Item, si cui obiectum fuerit in Judicio, quod super domum alterius manu venerit uiolenta, et non convicerit Justicia mediante, Judicium duplex soluet. Adiectum fuit eciam premissis, quod in quolibet genere actoris, adiudicato ad duellum, siue sacramentum, si partes composicionem fecerint, Judex ultra formam composicionis habite, plus petere non valebit. Item, in omni causa, siue actor reo deferat, siue reus actori referat sacramentum, Judex inter ipsos duellum non possit iudicare, sed per sacramentum causa debeat terminari, nisi partes examen duelli assumpserint spontanea voluntate. Exstitit eciam ordinatum, quod causa homicidii, uel furti, si quis per sacramentum adiudicatum se purgabit, soluet purgacionis denarios quadraginta, et eciam in causis vinearum, ac molendinorum, si adiudicatum fuerit sacramentum, idem debet Judicium observari. Item in causa pecuniaria reus convictus nullatenus debet captivari, nisi pecunia, vel possessione carere inventus fuerit manifeste. In accione eciam furti, siue violencie, vel cuiuslibet maleficii, homo possessionatus, sine caucione fideiussoria iudicetur. Item, alter pro alterius delicto, sicut pater pro filio emancipato, vel e converso, aut frater pro fratre, divisionis titulo separato, non debeat condempnari, nisi fuerint conscii, uel participes criminis perpetrati; sed quisque in bonis propriis et porcionibus, iuxta suum meritum aggravetur. Item, porcio hereditaria, sine herede decedentis, generacioni sue debeat remanere. Nec pretermittimus, quod si terra alicuius reambulatur, Judex, ad fructus, uel vtilitates eius non debebit mittere manus suas, donec causa inter partes fuerit fine debito terminata. Item, cum hostilis incursus, uel exercitus uenerit super regnum, aut dominus rex processerit in expedicionem personaliter, tunc nobiles regni de Sclavonia, singuli et vniversi, ire in exercitum tenebuntur. Ita tamen, quod iidem cum baronibus, quibus voluerint, exercituandi habebunt liberam facultatem. Item, super debitores Zulusinarum, uel procuracionum, aut descensuum, exhibita satisfaccione, banus descensum facere non debet, nisi iusta causa regni et legitima imminente, et ne-

biles ac jobagiones castrorum, de descensibus bani, debent usque octauas sancti Martini modis omnibus expediri. Item, si quis in soluendo marturinas, collectam septem denariorum, Judicia exercitualia, uel aliam collectam, quam in regno fieri continget, seu Judicia, in quibus est convictus, contumax exstiterit et rebellis, Comes Zagrabiensis, uel Crisiensis, cum vno de coniudicibus sibi deputatis. ad exigendum procedet, assumpto secum testimonio capituli Zagrabiensis uel Chasmensis, pro eo, ne plus iusto debito exigatur, et in processu suo super aliquem nobilem uel Jobagionem castri descensum facere non debebit, sed expensas, quas fecerit in eundo, de bonis eciam recipiet contumacis. Nec volumus sub silentio preterire, quod nobiles in Zagoria, et aliis Comitatibus consimilibus existentes, Comiti parochiali descensum dare non tenentur, nec eius astare Judicio, sed banus eos iudicabit, pro tempore constitutus. Sane collectores eciam marturinarum, non cum pluribus procedere debeant, nisi cum duodecim hominibus, habentes quatuordecim equos, et non plures, quibus quidem de qualibet generacione pro uictualibus administrari debeat ouis vna, seu galline, anser vnus, quatuor cubuli de vino, cum cubulo trium palmarum, duodecim cubuli de pabulo, cum cubulo quatvor palmarum, et non vltra; prout felicis recordacionis domini nostri illustris regis Bele in priuilegio continetur. Collectores autem septem denariorum, vel Judiciorum exercitus, dimidietatem habebunt descensus memorati, dictique collectores marturinarum, in curiis nobilium, uel Jobagionum castri, domos aliquas, aut domum villici, uel preconis, molendina et stubas dicare non debeant, ullo modo, villico eciam domus una in curia sua pro recipiendis hospitibus libera relinquatur, et talis debet habere villicum et preconem, qui decem Jobagiones possidet et non infra. Item, aliqui commorantes super terris nobilium, uel Jobagionum castri, dicari non debent, sed Jobagiones eorum, si quos habent. Et quod omnia premissa debito ordine obseruentur, cum Comite Zagrabiensi quatuor nobiles et duo Jobagiones castri et totidem cum Comite Crisiensi, quos regnum eligendos duxerit, iudicabunt, qui si omnes interesse non possent, tres, uel duo, iuxta Comitem, sufficiant ad iudicium faciendum. Ut autem hec Statuta suprascripta, seu Constituciones, robur perpetue obtineant firmitatis, presentes concessimus literas sigilli nostri munimine roboratas. Datum Zagrabie quarta feria proxima post octauas Pasce. Anno ab incarnacione domini M$^{mo.}$ CC$^{mo.}$ septuagesimo tercio. Nos vero peticionibus predicti Dominici annuentes, predictas Litteras privilegiales de uerbo ad uerbum transscribi et nostri Sigilli apposicione fecimus consignari. Datum die dominico proximo post festum beati Galli confessoris. Anno Domini M$^{mo.}$ CCC$^{mo.}$ quinquagesimo.

**Originalis Membr. in Archivio Regni Croatiae. Priv. N. 3.**

***Vestigium Generalis Congregationis A. 1324 Crisii a Nicolao Bano totius Slavoniae, (vide P. I. Doc. LXXIX) et Anno 1344 (P. I. Doc. LXXXVI) celebratae.***

---

## 1347. 21. DECEMBRIS. ZAGRABIAE.

*Vestigium Generalis Congregationis totius Regni Slavoniae die 21. Decembris A. 1347 Zagrabiae celebratae.*

Nos Nicolaus tocius Sclauonie et Croacie Banus Memorie commendantes significamus quibus expedit vniuersis, quod cum feria tercia proxima ante festum Natiuitatis domini, Zagrabiae, vniuersis nobilibus regni Sclauonie generalem celebrassemus congregationem, mox de vniuersorum nobilium, Borkon filius Alexandri consurgendo, nobis querulose significare curauit, et cum homo noster, videlicet Stephanus filius Tyuodori, Castrum Zyringh (Zrin) condam Maladeno Bano et Comiti Gregorio fratri eiusdem, vna cum eiusdem pertinencijs, statuere voluisset, vt nobis dominus rex preceperat faciendum; tandem idem Stephanus homo noster, suam possessionem leznicha vocatam, prope Castrum Zyringh existentem, prediotis Mladeno condam Bano et Comiti Gregorio indebite statuisset, quam ipse (sic) sine Jure occupantes detinerent, que ipsa possessio sibi titulo emptionis a Paulo filio Andree deuenisset. Super quo iura Instrumentalia efficacia, litterarumque priuilegia honorabilis Capituli ecclesie Zagrabiensis demonstrauit. In quibus titulum emptionis predictum firmiter vidimus duraturum contineri. Super quo non contentantes, duodecim Juratos et vniuersos nobiles regni Sclauonie dum requisiuissemus, vt vtrum possessio predicta leznicha vocata, Pauli filij Andree predicti fuerit, et debito modo ipsam vendere potuerit nec ne? mox ipsi Jurati consurgentes cum vniuersis nobilibus predictis, consona voce retulerunt firmiter iurando, vt sepe notata possesio leznicha vocata, ab auis et proauis ipsius Pauli filij Andree, hereditaria fuisset, et debito modo ad scitum eorum eidem Borkon filio Alexandri venditori tradidisset, vt requirit ordo iuris, quemlibet suam hereditariam vendere posse facultatem. Nos igitur, qui ex officio suscepti regiminis gubernaculis tocius Sclauoniae et Croacie Banatum, per dominum nostrum Regem deputatus, nemini iniuriam, sed pocius cuilibet Justiciam facere intendamus: Ideo tot et tanta Jura Instrumentalia et relacionum nobilium predictorum de predicta possessione leznicha vocata, ipsi Borkon pertinere debere reperiendo, Judicantes decreuimus, sepedictam possessionem, sub metis et terminis quibus in predictis litteris Capituli vidimus contineri, et cum vtilitatibus suis vniuersis, vt in ipso piuilegio continetur, eidem Borkon filio Alexandri, et per eum suis heredibus heredumque successoribus, duximus Jure perpetuo possidendam, restituendam et resignandam irreuocabiliter, tenendam pariter et habendam. In cuius rei memoriam firmitatemque propetuam, presentes litteras nostras patentes cum maiori Sigillo nostro consignatas, eidem duximus concedendas. Datum Zagrabie in festo beati Thome apostoli Anno Domini M°. CCC°. XL°. septimo.

Originalis membrana in Archivio Regni Croatiae, N. R. A. Fasc. 457. N. 21.

---

## 1353. TINNINII.

***Generalis Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Congregatio Anno 1353 Tinninii celebrata, qua nobiles, non habentes decem Jobagiones, a decimis, Episcopo Tinniniensi pendi solitis, immunes declarantur.***

Nos Nicolaus totius Sclauoniae et Croatiae Banus, memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniuersis; qualiter, cum in congregatione nostra generali, de mandato et praecepto Excellentis Principis Domini S. (Stephani) Dei gratia totius Sclauoniae, Croatiae, atque Dalmatiae Ducis, Domini nostri, pro requirendis uiribus Ducalis Maiestatis, vniuersis Nobilibus, ceterisque cuiusuis Status, conditionis et praeeminentiae hominibus, in dicto regno Croatiae existentibus, publica proclamatione facta, die secunda proxima post festum Natiuitatis B. Virginis, Tyninio celebratae, venerabilis in Christo Pater Dominus frater Blasius, Dei et Apostolica gratia episcopus Tyniniensis, inter alios causidicos Nobiles, consurgens exposuisset, quod nonnulli, et specialiter cum armis et sagittis seruire consueti nobiles, et alii, in detrimentum animarum suarum, decimas suas in omnibus rebus decimalibus sibi et suae Ecclesiae praedictae dare recusarent, et sic ipse, et sua Ecclesia praedicta in suis iuribus et redditibus damnum et defectum non modicum paterentur. Quibus auditis, nobiles viri Comites Frangepani, filius Curiatii de Corbauia, et Budislaus Vgrini, in propriis et omnium Nobilium in dicto regno existentium personis exsurgentes, ex aduerso retulerunt, quod praedictas decimas dictae S. Tynniniensi Ecclesiae et eius Episcopis, iuxta consuetudinem eorum, modo infra scripto dare et persolvere tenerentur, singulis annis uidelicet Nobiles et possessionarii homines, qui decem, aut etiam quoscunque plures Jobbagyones haberent; ipse et suus Jobbagyo vnus, non potior quam mediocris, decimas dare non deberent. Ceteri vero Jobbagiones sui, decimas consuetas in rebus decimalibus dare et persoluere tenerentur. Item, quando quinque Jobbagyones haberet solus, ipse est exceptus a solutione decimae predictae, Jobbagyones vero sui per ordinem decimas suas dare tenerentur. Item possessionati Nobiles et possessionarii homines, nimirum quinque Jobbagyones habentes, vna cum Jobbagyonibus suis, cum decimis consuetis tenerentur Domino Episcopo antedicto. Demum, de decimis agnorum, haedorum, apum, porcellorum, a septenario numero vsque ad decimum numerum, decimae in specie exigentur. Insuper vero ad numerum septennarium singulus unus polanch, de quolibet agno, et trunco apum, item de hoedo et porcello, medius polanch exigantur; de sexdecim vero agnis et hoedis, et aliis rebus praedictis, decimari solentibus, duo mediocres in specie exigantur, de viginti vero et vltra, decimae in specie exigantur. Suppanum vero in prouincia sua, seu Districtu, Dominus Episcopus eligendi et faciendi propriam habeat facultatem, quem ipse voluerit; prout hoc idem Nobiles coram nobis dare et persoluere spontanea assumpserunt voluntate. In cuius rei testimonium, per-

petuamque stabilitatem, praesentes eisdem Domino Episcopo concessimus litteras nostras priuilegiales, pendentis et consueti sigilli nostri munimine roboratas. Datum in Tynninio, decimo die nimirum congregationis praenotatae. Anno Domini Millesimo trecentesimo, quinquagesimo tertio.

**Ex authentico Nicol. de Zéch Bani transsumpto, A. 1366 facto. — Fejér Codex Dipl. Regni Hung. T. IX. V. II. pag. 273.**

---

## 1361. ZAGRABIAE.

*Vestigium Generalis Congregationis Regni Slavoniae die 13. Novembris 1361 Zagrabiae celebratae.*

Nos Leustachius Regni Sclavonie Banus, memorie commendantes tenore presentium Significamus quibus expedit vniversis. Quod cum Lucachius, et Stephanus filij Luchk, Benedictus filius Michaelis, Endre filius Helye et Gyurgeo filius Kurse de Radoztych, Elia filius Raztom, Mykov filius Pecyna, Iwan filius Braysa, Wlk dictus Luch, fratresque eiusdem, Demetrius filius Wlkman, Berdona filius Jelk, ac Tomsa filius Jakmyn, nec non fratres eiusdem de Dolech, in Congregatione Nostra generali, de Regio speciali mandato vniversis Nobilibus, alteriusque cuiusvis Status hominibus, inter fluvium Zawa et Gwozd distentibus, publica proclamatione facta, feria secunda proxima post festum beati Martini Confessoris, nunc preteriti, tum per Nos Zagrabie celebrata, Religiosum virum Fratrem Guyllermum Abbatem Ecclesie Toplicensis, super facto libertatis eorum ordine iuris atraxissent in causam, ipsamque causam, ab eadem Nostra Congregatione, sub forma habendi pacis, presentes Octavas festi Beati Georgy Martyris dilative accinxissent, ipso tandem termino occurente, predicti Lucachius et Stephanus filij Luchk, pro se personaliter, pro predictis uero alijs proximis suis, cum litteris procuratorijs Capituli Zagrabiensis Ecclesie ab vna, nec non dictus Dominus Abbas similiter personaliter, parte ex altera, ad Nostrum iudiciarium accedentes conspectum, litteras dicti Capituli Zagrabiensis, composicionales, feria tercia proxima post dominicam ramis palmarum, similiter nunc transactam, priuilegialiter confectas, Nobis presentarunt, continentes: Quod constitutis in eiusdem Capituli presentia, Religioso viro Domino Fratre Guyllermo Abbate Toplicensi, sua et conventus eiusdem monasterij in personis, ab vna parte, ab altera vero Lucachio filio Luchk de Radoztych, in sua ac Stephani filij eiusdem Luchk, Benedicti filij Michaelis, eiusdem filij Elie, Gyurgek de Radoztych, Elie filij de Raztom, Mykov filij Pecyna, Iwan filij Braysa, Wlk dicti, Luchk, Fratrumque suorum, Demetrij filij Wlkman, Gerdonia filij Jelk, Thomsa filij Jekmyni, nec non fratrum suorum, Nobilium de Dolech et Radoztych, in personis, cum sufficientibus litteris procuratorijs eiusdem Capituli, pari et unanimi volun-

tate, per eosdem propositum extitisset, ministerio uiue uocis, pariter et consensu, quod cum inter ipsos occasione quorundam negotiorum, utputa pactis, censibus et servitijs dicte Ecclesie Toplicensis, ex parte dictorum Nobilium prouenire debentibus, graves discordie et litium questiones iudiciarie, usque tunc suscitate, diutius ventilate extitissent. Tandem propter bonum pacis, nec non arbitratoriam compositionem et ordinationem discreti viri Domini Jacobi, eiusdem Ecclesie Prepositi, partibus, mediantibus literis ipsius Capituli sponte assumentibus, ad perpetue pacis et concordie coram ipso Capitulo devenissent unionem, sub conditionibus, pactis et servitijs infrascriptis, videlicet: quod prenominati Nobiles de Dolech et Radosztych, singulis Annis in festo beati Michaelis Archangeli, quilibet eorum, ad usum prefati Monasterii, Abbati, vel Procuratori eiusdem pro tempore constituti vel constituendi, duas pensas Denariorum monete pro tempore currentis, et tria munera consueta, cum vno descensu in quolibet anno, prout alie generationes consveverunt, administrare et solvere teneantur. Tempore autem dicationis porcorum, quicunque dictorum Nobilium temporibus successivis vnum porcum haberet, de eodem dicatori dicti Domini Abbatis nil solvet, qui autem plures haberet, de quolibet porco solvet Denarios quatuor. Judicem autem seu maiorem eorum, quem vellent, de medio ipsorum eligere, haberent facultatem, qui iudex seu maior, de tribus Judiciorum gravaminibus, videlicet: violentia, furtu et sanguinis effusione, duas partes Domino Abbati, vel eius procuratori, dare et administrare debet, tertia parte ipsorum pro eodem Judice remanente. Retulissent nichilominus ipse Dominus Abbas, suo et dicti Conventus sui verbo et nominibus, nec non prefatus Lucacius, nomine procuratorio, quo supra; ut omnia literaria munumenta, Regia, Banorum, aut cuiusvis collegiati Capituli seu Conventus, ratione premissorum, pro qualibet parte contra alteram, usque tunc emanata, nullius facultatis, efficatie et vigoris reliquissent, sed omnino comisissent cassa, mortua, frivola et inania, ac viribus caritura, eorumque exhibitoribus ubique nocitura. Mete autem Possessionum dictorum Nobilium de Dolech et Radosztich, a grangijs, seu villis, prescripti Domini Abbatis, de novo separate, prout ipsi Capituli eedem partes concorditer retulissent, hoc ordine distinqvuntur: Prima ei meta terrea inciperet a parte meridionali, a metis videlicet generationis Ratetych, iuxta quendam rivulum Odolenak vocatum, deinde directe supra quandam viam, vulgo Clanech dictam, versus septemtrionem. Abhinc infra ad quandam longam loukam, ubi esset meta terrea. Inde uersus septemtrionem, ultra quendam rivulum Bolh, et dein directe procederet ad unum montem, ubi esset arbor Harazt, meta terrea circumfusa, et per eundem montem uersus septemtrionem superius in cacumine montis, ubi esset meta terrea, iuxta uiam publicam. Inde per uiam in magno spatio, versus Orientem, perueniret ad duas uias, in modum crucis distentes, et ibi esset meta terrea. Deinde per uiam versus montem in bono spatio veniret ad caput cuiusdam vinee, ubi esset meta, abhinc versus orientem per uiam ueniret ad arborem Zlanov hraszt dictam. Deinde ad arborem Brezt perueniret, et sic separarentur possessio supradicta a parte dextra dictorum Nobilium, a parte vero sinistra possessione dicto abbati et conventui dicti monasterij remanente. Quarum literarum perlectis continentijs, cum nos partes prenominatas in eo, utrum premissam concordialem compositionem intra ipsos, modo quo supra factam, stabilitam et ordinatam, iuxta seriem predictarum literarum dicti Capituli Zagrabiensis inter se perpetuo duraturam compositiona-

lium vellint obseruare, vel ne, iuxta Banatus Nostri officium quesiuissemus. Mox idem Lucachino in sua, ac eorundem proximorum suorum, quorum legitimus existebat procurator, personis, nec non predictus Abbas, similiter suo, viceque et nomine dicti Conventus sui, premissam concordialem compositionem, modo quo supra, intra ipsos factam et stabilitam, iuxta seriem predictarum Capituli Zagrabiensis litterarum priuilegialium compositionalium, perpetuo sine diminutione aliquali se immutabiliter obseruare velle, in nulloque eandemque se retractaturos fore allegarunt, pluries replicando coram Nobis. In cuius rei testimonium presentes partibus ad earundem Instantiam sub appensione Nostri Sigilli autentici duximus concedendas. Datum Zagrabie sedecimo die termini prenotati. Anno Domini Millesimo Trecentesimo Sexagesimo primo.

Ex transsumpto Privilegiorum Abbatiae B. M. V. de Thopusko.

---

## 1396. NONAE.

*Vestigium Generalis Congregationis Regni Croatiae et Dalmatiae, praeside Vicario ac Judice Generali regio A. 1396 Nonae celebratae.*

Nos Johannes Dei et Apostolice sedis gratia episcopus Zagrabiensis et Secretarius Cancelari(us) Serenissimi Principis Domini Sigismundi, eadem gratia Regis regnorum Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Marchionis Brandeburgensis etc. nec non in dictis regnis Dalmatie et Croatie Vicarius et Judex generalis, memorie commendamus per presentes, quod in congregatione nostra generali universis nobilibus et alterius cuiusvis status, conditionis et preeminentie hominibus ex mandato et commissione speciali dicti Domini Nostri regis, feria secunda post festum sacratissimi corporis Christi, in Civitate None celebrata. Nicolaus, filius Theodosii de Spalato in sua, et Duymi fratris sui personis, in nostri presentia personaliter comparendo, proposuit coram nobis, quod in Anno, cuius iam quarta instaret revolutio, praedictus Nicolaus et Duymus sex ballas pannorum diversorum colorum, et unam ballam fustagnorum in Civitate Traguriensi penes virum Nobilem Nicolaum Jacobi deposuissent.

Fejér. Codex Dipl. T. 10. V. 3. p. 188.

---

## 1396. NONAE.

*Vestigium Generalis Congregationis Regni Croatiae et Dalmatiae, praeside Vicario ac Judice Generali regio, A. 1396 Nonae celebratae.*

Nos Johannes, Dei et apostolice sedis gracia Episcopus Zagrabiensis, et Secretarius Cancellarius Serenissimi Principis Domini Sigismundi, eadem gracia regis Hungarie, Dalmacie et Croacie, Vicarius et Judex eiusdem Domini regis generalis. Memorie commendantes tenore presencium significamus, quibus expedit, vniuersis: Quod nobis in congregatione nostra generali, ex mandato et speciali commissione eiusdem Domini nostri regis, vniuersis Nobilibus et alterius cuiusuis status, condicionis et preeminencie hominibus, regnorum Dalmacie et Croacie predictorum, feria secunda proxima post festum sacratissimi Corporis Christi, in Ciuitate Nonensi, per nos celebrata, existentibus causasque nonnullorum nobis querulantium, iusto iuris tramite discutientibus, nobilis vir Magister Johannes Saracenus, Comes insularum Kersy et Absary vocatarum, de medio aliorum in nostri presenciam exsurgendo, nobis detexit querulose: quomodo alias condam Serenissimus Princeps, Dominus Ludouicus rex Vngarie, felicis memorie, predictas insulas Kersy et Absary, cum omnibus vtilitatibus et pertinenciis vniuersis, condam Magistro Jacobo Saracheno, ac fratri suo carnali, per suas vigorosas litteras contulisset, et ipse Magister Jacobus Saracenus, insulas predictas, a tempore huiusmodi collacionis, quoad vltimum terminum vite sue pacifice et quiete possedisset, iuxta sue libitum voluntatis. Tandem ipso condam Magistro Jakobo Saracheno, volente Deo celi, ab hac luce decesso, condam Serenissima Princeps Domina Maria, regina Hungarie, felicis recordacionis, easdem insulas Kersy et Absari, simul cum omnibus villis ad easdem pertinentibus, ac aliis quibusuis fructibus, prouentibus, vtilitatibus, commoditatibus, obuencionibus, et emolumentis earumdem annotato Magistro Joanni, et per eum suis heredibus et posteritatibus vniuersis, sub eisdem condicionibus, pactis et seruiciis conseruandas perpetuo contulisset noue sue donacionis titulo, quibus ceteri Nobiles possessionati homines, in dictis regnis Dalmacie et Croacie existentes, possessiones eorum et Jobbagiones in eisdem residentes forent soliti conseruare; exponens nihilominus annotatus Magister Johannes et per modum querimonie nobis significans, quod modo ciues et incole prescriptarum insularum suarum rebellione ducti et contumacia, debitam obedienciam et reuerenciam ipsi Magistro Johanni facere recusantes, omnia et singula seruicia, quibus eidem ex more et consuetudine statucionis obligati forent, a multis retro lapsis temporibus sibi facere et exhibere recusassent et abnegassent, et de presenti abnegarent, in sui iuris preiudicium satis grande, petens sibi ex parte predictorum ciuium et incolarum insularum suarum predictarum, per nos iusticiam impartiri. Quo percepto Stephanellus Petrisii, Dragonya, filius eiusdem, Christolinus, Lucianus, Luczko, Nicola, Johannes Agney, Lamprencius de Lybenicze, Kolycza de Absaro, Domince de Capysoli et Dominicus Janoti, speciales syndici et procuratores iam dictorum ciuim et incolarum, cum sufficientibus litteris procuratoriis eorumdem, in nostri

presenciam personaliter exsurgendo, suis ac dictorum aliorum vniuersorum ciuium et incolarum personis, ad obiecta ipsius Magistri Johannis responderunt ex aduerso: quod ipsi annotato Magistro Johanni semper et a tempore, quo ipse insule per reginalem Maiestatem eidem collate fuerunt et donate, debitam obedienciam, prout decet eorum Comiti, exhibuissent et omnes prouentus, ex parte ipsorum sibi prouenire debentes, eidem plenarie persoluissent; sed tamen ipsi ciues et incole dictarum insularum, semper ab antiquis temporibus, nobiles prefuissent et in eadem nobilitatis prerogatiua, qua ciues nobiles aliarum ciuitatum Dalmacie persistunt, perstitissent, et nulla alia seruicia, nisi ea, que ijdem ciues nobiles ciuitatum Dalmacie regie Maiestati, uel eorum comitibus, per ipsam Maiestatem regiam inter ipsos pro tempore constitutis, forent facere consueti, predicti ciues et incole insularum Kersy et Absary dicto Magistro Johanni facere et exhibere tenerentur. Et quia nos visis diligenter et examinatis litteris priuilegialibus dicte condam Domine Marie regine, per ipsum Magistrum Johannem in specie productis coram nobis, clare vidimus in eisdem contineri, quod ipsa Domina regina insulas predictas annotato Magistro Johanni, cum eisdem seruiciis et condicionibus, quibus, vt premittitur, Nobiles et possessionati in eisdem residentes soliti sunt conseruare, contulisse dinoscitur perpetuo possidendas, a predictisque nobilibus regnorum Dalmacie et Croacie, et signanter iuratis assessoribus dicte nostre generalis congregacionis sumus euidenter edocti, quod ipsi nobiles eorum possessiones et Jobbagiones in ipsis residentes in omnibus solucionibus, taxacionibus collectarum, daciorum exaccionibus et aliorum quorumuis fructuum, prouentuum et reddituum percepcionibus, tenerent, conseruarent, possiderent, gubernarent, iuxta eorum voluntatis arbitrium et beneplacitum, prenominatique procuratores et syndici dictorum ciuium et incolarum predictarum insularum Kersy et Absary, per nos ammoniti et requisiti, nulla prorsus litteralia instrumenta super nobilitate et libertate ipsorum huiusmodi, quam se et dictos ciues et incolas habere allegabant, coram nobis producere et exhibere valebant, nec se in posterum ostendere et producere posse, affirmabant; ideo nos recensitis, pensatis et consideratis premissis racionibus, agnoscentes annotatum Magistrum Johannem Comitem merum ius et plenum dominium insulis habere in predictis; easdem insulas Kersy et Absary, simul cum omnibus earum vtilitatibus et pertinenciis vniuersis, quouis nominis vocabulo vocitatis, annotato Magistro Johanni Comiti et per eum suis heredibus, heredumque suorum successoribus et posteritatum cunctis sobolibus, auctoritate et potestate dicti Domini nostri regis, qua ad plenum fungimur de presenti, iuxta tenores et continencias prescriptarum litterarum reginalium, quas quoad omnes earum clausulas, articulos et continencias authoritate premissa confirmamus, duximus perpetuo relinquendas; committentes et adiudicando decernentes, ac ipsi Magistro Johanni et suis posteris plenariam dantes et attribuentes potestatem, vt ipse Magister Johannes et sui posteri, predictas insulas, ciuesque ac incolas earumdem, presentes et futuros, a modo perpetuis temporibus, iuxta donacionem et collacionem ipsius condam Domine Marie regine, sub condicionibus, pactis et seruitiis, quibus, vt premissum est, ceteri Nobiles et possessionati homines dictorum regnorum Dalmacie et Croacie possessiones et Jobbagiones eorum sunt soliti conseruare, tenendi, conseruandi, possidendi, regendi et gubernandi plenam et omnimodam habeant potestatem, iuxta sue arbitrium voluntatis, predictique ciues et incole dictarum insularum prefato Ma-

gistro Johanni et suis heredibus, debitam obedienciam et reuerenciam, tanquam eorum dominis, plenum, merum et omne dominium habentibus, inter ipsos facere, ac eisdem omnibus et per omnia obedire et obtemperare debeant et teneantur, et singula eorum mandata et precepta cum effectu plenissimo adimplere. In cuius rei memoriam, firmitatemque perpetuam, presentes eidem Magistro Johanni concessimus, propter carenciam maioris et pontificalis nostri sigilli, sigillo nostro annulari, appensiue consignatas. Dato quinto decimo die congregacionis nostre predicte, in loco memorato. Anno Domini Millesimo CCC. nonagesimo sexto.

(L. S.)

Ex Aichivo Imperiali Viennensi. G. Fejér Codex diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis. Budae Tom. 10. Pag. 366.

---

## 1396. 24. JUNII. NONAE.

*Sigismundi Regis Vicarii Generalem Regni Dalmatiae et Croatiae Congregationem Nonae celebrant et insulam Pagum liberam a jurisdictione Jadrensium declarant.*

Nos Joannes Dei et Apostolice sedis Gratia Zagrabiensis Episcopus, Decretorum Doctor, Serenissimi Principis et D. D. Sigismundi, eadem Dei gratia incliti Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Regnorum Regis, Marchionis Brandeburgensis etc. Secretarius Cancellarius etc., et Nicolaus Dei Gratia Regnorum Dalmacie et Croacie predictorum Banus, per excellenciam Regiam ad ipsas partes Dalmatie et Croatie, pro inquirendis suis juribus Regalibus, et universis querulantibus iudicio et justitia impendendis, nec non quibusuis defectibus et incomoditatibus ipsorum Regnorum suorum et Civitatum suarum in dicto Regno Dalmatie constitutarum et existentium, specialiter autem factis et causis inter nobiles et prudentes viros Rectores, consilium et commune Civitatis Jadrensis ab una parte, ex altera autem Rectores, consilium, commune insule Pagensis, vertentibus; judicandis, disponendis, et reformandis, cum pleno monumento, potestate seu facultate celsitudinis Regie Vicarii seu delegati Generales. Notum facimus tenore presentium quibus expedit vnicuique. Quod cum Nos suprascripti, videlicet feria secunda proxima post festum Sacratissimi Corporis Christi proxime elapsi, juxta praefate Excelentie Regie speciale edictum et movimentum premissorum ulteriori consumationi et vtiliori commodiori expeditione, vniuersis dictorum Regnorum Dalmatie et Croatie nobilibus, Civitatensibus ac aliis cujusvis status, conditionis, et preeminentie hominibus, in Civitate Nonensi generalem celebraremus congregationem, ac pro impendendis quibusvis querulantibus iuditio et justitia, una cum Reverendis in Christo patribus ac magnificis et nobilibus viris D. D. Grisogono Traguriensi et Joanne Nonensi Epis., Butcone et Paulo filio Budislavi, Comitibus Corbavie, Joanis filii q. D. Nicolai Palatini, dicti de Gara, aliisque universis dictorum Regnorum nobilibus prioribus, de qualibet etiam civitate predicti Regni, videlicet: Tragurio, Ragusa, Spalato, Scardona, No-

nensi et Absarensi, duobus aut tribus nobilibus viris nobiscum coasumptis, pro tribunali consedissemus, et tunc discretus vir Joannes Presbyter Ratych et Bellota, cives Civitatis Pagensis, in ipsorum ac totius insule eiusdem Pagensis personis, cum sufficientibus litteris procuratorijs eorundem, de medio ceterorum querulantium exurgentes, adversus nobiles et prudentes viros, Rectores, consilium et commune prefate civitatis Jadre cum gravi et urgenti querela exposuerunt per hunc modum etc. etc.

Nos itaque, qui offitij nostri nobis commissi debito requirente ordine, quibusvis querulantibus in persona Serenit. R. justitiam et judicium tenemur impartiri, matura, vna cum predictis D. D. Chrisogono Traguriensi et Joanne Nonensi Episcopis, Butcone et Paulo Comitibus Corbavie, et Joanne filio q. D. Nicolai Palatini, nec non Civitatum prescriptarum, aliisque universis dicte congregationis nostre proceribus nobilibus, ceterisque quam pluribus idoneis et circumspectis viris deliberatione, tractationibus et consiliis prehabito, ac de unanimi consensu, parili decreto et sanctione eorundem, premissarum partium propositionibus et iuribus per singula auditis et intelectis, odio favoreque quovis postposito, solum Deum habentes pre oculis, commisimus, et iudicavimus, vt prefata Insula Pagensis omnesque habitantes eiusdem, amodo deinceps temporibus perpetuis futuris, una cum singulis possessionibus, salvis hereditatibus et immobilibus, a predictis Jadrensibus, simul aut distinctim aut separatim hactenus possessis et servatis, alijs singulis vtilitatibus, et pertinentijs ejusdem, in ipsa insula Pagi scilicet habitis et existentibus, de dictorum Jadertinorum manibus, potestate, et dominio, libera, exempta, et absoluta habentur, et causa et rationibus prealegatis, ipsam insulam Pagensem, dicta auctoritate predicti D. N. Regis, nobis in hac parte atributa, cetui universo et consortio ceterarum liberarum Civitatum Regalium Dalmatinarum, coadunantes et aggregantes, dictis Jadrensibus, et ipsorum cuilibet heredibus, et universis posteritatibus eorundem, dicta auctoritate nobis concessa, silentium perpetuum imponentes et ascribentes superinde, ipsique Pagenses cum factis potentiarum prealegatis, vtputa hominum interemptionibus, igni, incendii, et combustionibus, virginum deflorationibus, ac sacrarum monialium et aliarum quamplurimarum Dominarum turpissimis dehonestationibus, universarumque rerum, et bonorum mobilium et immobilium, et thesauris tam eorundem, quam etiam dictorum monasteriorum, claustrorum, in eadem insula Pagi existentium, ablationibus, spoliationibus, et depredationibus, nec non injuriis, quas et que iidem Jadrenses in non observatione dictorum decretorum Regiorum incurrisse perhibentur, et aliis quibusvis per ipsos Jadrenses temerario ausu ipsis Pagensibus quovis modo illatis, perpetratis, et commissis in praesentia serenitatis Regie ac iudicio, decisioni, terminationi, conclusioni, Excelentie sue ac Prelatorum et Baronum suorum, statu in eodem nil in eisdem innovando et transgrediendo, ipsis Pagensibus in prosecutione eorundem juris viam ad ipsam serenitatem Regiam ac Prelatos et Barones suos, seu ipsorum conspectum et presentiam in premissis agrediendis tutam liberam et securam relinquentes, harum nostrarum proprij majoris et Pontificalis Sigilli nostri defectum annullatis. Unde Sigilli appositi consignatarum testimonio litterarum Datum None die 24. Junij Anno Domini 1396.

Lucius. Memorie di Trau. pag. 43.

## 1396. 27. JUNII. PAGI.

***Statuta Generalis Congregationis Regni Croatiae et Dalmatiae a Vicario et Judice generali regio Nonae convocatae.***

Nos Johannes Dei et Apostolice sedis Gracia episcopus Zagrabiensis et secretarius Cancellarius Serenissimi Principis Domini Sigismundi, eadem Gracia regis regnorum Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Marchionis Brandeburgensis etc., nec non in dictis regnis Dalmatie et Croatie Vicarius et Judex Generalis, memorie commendamus per presentes, quod in congregatione nostra generali, vniuersis nobilibus et alterius cuiusuis status, conditionis et preeminentie hominibus, ex mandato et commissione speciali d. Domini Nostri regis, feria secunda post festum sacratissimi corporis Christi, in Ciuitate None celebrata, Nicolaus, filius Theodosij de Spalato, in sua et Duymi fratris sui personis, in nostri presentia personaliter comparendo, proposuit coram nobis, quod in anno, cuius iam quarta instaret reuolutio, predicti Nicolaus et Duymus, sex ballas pannorum diuersorum colorum, et vnam ballam fustagnorum, in Ciuitate Tragurii penes virum Nobilem Nicolaum Jacobi deposuissent. Tamen non post multos dies, quidam ciues, qui tempore dicte depositionis erant exules et exititij dicte Ciuitatis Tragurii eandem Civitatem Tragurium cum armis regressi, cum alijs eis adherentibus, dictos pannos et fustaneos accepissent absque culpa aliqua Nicolai et Duymi predictorum, et eosdem in suos vsus conuertissent, pro lubitu sue voluntatis. Post hoc vero flectentes animos ad iustitiam, in anno, cuius iam tercia preteriisset reuolutio, constituissent nobilem virum Casoctum Augustinum, suum et dicte Communis Traguriensis procuratorem et Sindicum specialem, ad infrascripta specialiter exequenda. Dictus vero Casoctus Sindicus ad executionem potestatis sibi, vt dictum est, attribute, promisisset et conuenissset dicto Duymo dare, soluere, et numerare ducatos 1100, boni auri et iusti ponderis, in Ciuitate Tragurii vel Spalati, in denariis et non in alia re, infra quatuor annos, tunc proxime venturos, sub certa pena, hoc modo et pacto, quod Duymus dictus habere deberet pro solutione et parte solutionis dictos 1100, ducatos auri, quatuor annis continue, incipiendo anno predicto et vt sequitur datium duane pescarie dicte Communis integre et sine aliqua diminutione; et finito tempore dicte pescarie dictorum annorum 4. facta et calculata ratione inter dictas partes de receptione pecunie dicti introitus et facta demonstratione pretium recepissent, quidquid deficeret ad summam dictorum 1100 ducatorum, dictum Commune soluere teneretur eidem statim facta et calculata ratione predicta. De qua summa fatebatur dictus Nicola se recepisse a Zore Marci de Tragurio ratione dictorum 1100 ducatorum de introitibus dicte pescarie, primi anni libras 243 et solidos 3 et quod pro residuo dicte solutionis dicti primi anni vsque ad complementum librarum 500, quibus vendita fuit dicta pescaria, videlicet de libris 257 solidis 17, fecisset eidem sententiam contra dictum Zore, que quidem summa dictarum 500 librarum ascendit ad ducatos 111, solidos 10, vsualis monete. Dicebat eciam dictus Nicola, quod de preciis annorum sequentium dicte pescarie, vsque ad hanc diem nihil dedissent

dictis actoribus in predicta solutione; sed omnia in usus et necessitates dicte communis Tragurii conuertissent, spretis omnibus requisitionibus dictorum actorum, quibus eos ad satisfactionem dictarum promissionum, tam coram hominibus Capituli, quam etiam notarijs publicis requisiuissent; quare petebat dictus Nicolaus sibi dictis nominibus, de iure et iustitia remedijs prouideri. Ex aduerso vero Viri nobiles Paulus Marini Quarchi, Marcus Marini Cipichi et Mateus Petri Joseph, Sindici dicti communis Tragurii respondebant; quod dictus Casoctus ad faciendam promissam predictam potestatem sufficientem minime habuisset; sed solummodo pro 4 annis predictis obligandi pescariam predictam, quodque dicti panni et fustanei dictorum actorum ad dictam summam pecunie dictorum 1100. ducatorum minime ascendissent. Nos igitur arduis regalibus negotiis prepediti, dictam causam in ciuitate Nonensi diffinire non valentes, dictum Syndicum fecimus mandare expresse, proprijs in personis, et cum eorum iuribus, coram nobis Pagi deberent comparare, dictis actoribus de iustitia responsuri. Ibidemque nobis debita hora pro tribunali sedentibus, comparuit dictus Nicola, vt actor, instanter iustitiam postulando; comparuit ex aduersa parte solus de Marchus Petri Cipichi, et se petitionibus dicti actoris opposuit sicuti supra. Nos igitur considerantes formam verborum Syndici et promissionem per dictum Casoctum Sindicum factam, et testimonium Francisci notarii communis Tragurii, testificantis per publicum instrumentum, manu eius confectum, quod dictus Casoctus habuit potestatem faciendi promissionem predictam, et visis literis testimonialibus Communis Tragurii, eorum sigillo bullatis, per quas testificantur, quod Franciscus est publicus et leg. notarius, considerato insuper modo acceptionis dictorum pannorum, dicimus et determinamus, et per hanc nostram sententiam diffinitiuam judicamus, quod dictus Duymus et Nicola actores, in die festiuitatis Sancti Jacobi Apostoli proxime futuro, in Ecclesia Traguriensi, in presentia Capituli Ecclesie Spalatensis, quod per dictum Capitulum ad id serie presentium transmitti jubemus, super sacrosanctis Evangelii scripturis manu tactis, super eo, quantum valuerunt dicti panni et fustanei, ab eis recepti, vt premissum est, iuramento prestare teneantur; et quantumcumque iurauerint a 1100 ducatis infra, tantum dictum Commune Tragurii debeat dare et soluere, cum effectu in pecunia numerata et non in alijs rebus, in Tragurio vel Spalato, infra vnum mensem, computando a die iuramenti predicti, deductis et defalcatis de dicta summa 1100. ducatis boni auri et iusti ponderis, libris 500 suprascriptis, facientibus 111 et solidos X, et ad soluendum dicto actori expensas per eos factas, quidquid, vt supra, iurauerint, se de hac causa, legittime exposuisse a ducatis 142, infra saluo iure futuro de expensis, sub poena quarti tocius summe predicte; cui si contrafactum fuerit, medietatem habeat D. Banus Dalmacie et Croacie, et aliam actores supradicti, harum testimonio nostrarum litterarum. Datum Pagi in domo Comitatus Pagensis die XXVII. Junij. Anno MCCCXCVI.

**Lucius Memorie di Traù. P. 361. — 2.**

## 1439. CRISII.

***Constitutiones Nobilium Regni Slavoniae, in generali ipsorum Congregatione Crisii A. 1434 servata, datae.***

Nos Mathko de Tallowcz, Regnorum Dalmacie, Croacie, ac tocius Sclavonie, nec non Petrus de eadem Tallowcz, eorumdem Regnorum Dalmacie et Croacie Bani, ac Johanes de dicta Tallowcz Prior Aurane, Demetrius Chupor Episcopus Tininiensis, item Georgius filius Petri de Dombo, Bartholomeus Fanch de Gordwa, Ladislaus et Johanes Thach de Zomzedwar, Petrus Ade de Zenthlelek et Hermanus de Gereben, dicti Regni Sclavonie Vice-Bani, Stephanus, Johanes et Ladislaus Byczkele de Zelna, Stephanus et Ladislaus Roh de Deczcze, Nicolaus et Georgius de Bykzad, Ladislaus filius Nicolai, et alter Ladislaus filius Stephani, et alter Ladislaus filius Georgij Bothka dictorum de Kerezthwr, Gaspar Chupor de Monozlo, Georgius de Lyudbregh, atque Nicolaus et Johanes de Gerech, Mayas filius Sigismundi de eadem, Frank Jacobus et Georgius de Megywreczye, Stephanus et Nicolaus filij Capitan de Desniche, Mathyas et Johanes Kuster, Johanes de Pregowch, Sigismundus Castellan, Simon de Cladusa, Nicolaus Polosaych de Klokoch pro se, et pro omnibus Fratribus suis eiusdem generacionis, ceterique vniuersi Nobiles dicti Regni Sclavonie memorie commendamus per presentes, quod Nos matura et digesta deliberacione pro communi bono ac Republica, ac fidelitate Serenissimo Principi Domino Nostro Alberto Romanorum Regi semper Augusto, ac Hungarie, Bohemie, Dalmacie, Croacie etc. Regi, Domino Nostro Naturali, et Sacro suo Dyademati obseruanda, prehabita, pro compescendis furibus, et alijs malefactoribus, ac vnicuique Justicia communi impendenda, vt quilibet timore quorumlibet malefactorum et aliorum quorumlibet contrarietate abiecta, in suis laribus in pacis tranquillitate possit residere, disposicionem infrascriptam corporali Juramento per Nos et quemlibet Nostrum singillatim tacto dominice Crucis signo et multorum Sanctorum Reliquijs inviolabiliter sub penis et Condicionibus infrascriptis prestito, obseruandam, duximus faciendam. Primum. Quicunque Nobilium Orphanorum, Viduarum et Pupillorum, ac alterius cuiusvis Status ipsius Regni Sclauonie possessionatorum hominum, super quibuscunque possessionum occupacionibus, Hominum interempcionibus, wlneracionibus, membrorum mutilacionibus, spoliacionibus, furticinijs, latrocinijs, mulierum ac virginum honestarum oppressioonibus seu violacionibus, incendijs, actibus potenciarijs, ac alijs quibuscunque malorum generibus Nobis scilicet Mathkoni Bano querimoniam porrigeret, et super huiusmodi re sibi contraria pro sui parte litteras nostras Vicebanis nostris aut Comitibus et Judicibus Nobilium, Jurisdiccioni dicti Banatus seu honoris nostri subiectis, loquens

impetrauerit et emanari procurauerit, earundemque serie eosdem Vicebanos et Comites nostros vel alterum eorum requisitos habuerit, extunc ijdem Vicebani et Comites nostri pro tempore constituti, vel alter eorum . . cum quatuor aut tribus et ad minimum duobus Judicibus Nobilium talis Comitatus, in quo huiusmodi actus potenciarij seu nepharij, a tempore, quo nos auxiliante domino ex condam domini Sigismundi Romanorum Imp . . . . . . ac pretacti Alberti Regum, dominorum nostrorum naturalium, dileccione honorem dicti Banatus adepti sumus, patrati, facti et quomodocunque absque Juris ordine existunt commissi, ad locum patracionis huiusmodi actuum potenciariorum accedere et . . . . talismodi re gesta, possessionum scilicet occupacionibus, et alijs suprascriptis et lucide declaratis malorum generibus, in litteris nostris superinde emanandis, declarandis, aut per Nobiles nec non Viduas, Orphanos et Pupillos qu . . . . . upertatis pressos, nostram personalem presenciam adire, aut huiusmodi paupertate eorum interueniente litteras nostras superinde extrahere nequeuntibus, solum simplicium verborum querimonialium ipsis Vicebanis et Comitibus exprimentibus et explicantibus, ijdem Vicebani ac Comites, vel alter eorum, et Judices Nobilium prenotati, omni difficultate consuetudineque Regni in protellacionem licium obseruari consueta, prorsus remota et relegata, non obstantibusque quibuscunque cautelis per huiusmodi actuum nephariorum patratores adinveniendis, tantum et solummodo a quatuor, aut tribus, et adminus duobus Nobilibus huiusmodi loci, ipsorum videlicet actuum nephariorum patratoris propinquioribus, per eosdem Vicebanos ac Comites nostros, vel alterum eorum, et Judices Nobilium illius Comitatus, in quo ipsi actus patrati fuerint, eligendis, et alijs, qui ad id ipsis p . . . . sse disposicionis nostre executoribus oportuni fuerint, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque dicto domino nostro Alberto Regi, et sacro suo dyademati obseruandam Juramento corporali Dominice signo crucis tacto, subsecuto, meram experire debeant et teneantur veritatem, et quascunque possessionum occupaciones, aut metarum distracciones, ac alia quecunque malorum genera superius declarata, in toto vel in parte ex ipsa conscienciosa Inquisicione secundum querulancium declaracionem facta et commissa fore comperierint, extunc mox et in continenti huiuscemodi possessionum occupaciones, metarum distracciones, et alia quelibet malorum genera restaurare et recuperare, super quibusuis quoque dampnis et expensis, per partem lesam in huiusmodi negocio factis et perceptis, eidem parti lese ibidem satisfaccionem indilatam impendere et exhibere teneantur. Item in eadem disposicione voluimus esse manifestum, vt alij ab alijs exemplo euidenti recepto a consimilibus actibus nepharijs se studeant abstinere, disposuimus, vt a talismodi actuum potenciariorum patratoribus in sui emendam et correccionem conuenientem super suis prauis processibus parti lese satisfaccione, prius impensa et exhibita, ijdem Vicebani, et Comites nostri vel alter eorum, bis tantum, quantum parti aduerse in ipsa satisfaccione provenerit, pro se nomine nostro extrahere, et extorquere possint. Item si aliquis ex Nobilibus per ipsos Vicebanos, aut Comites nostros, vel alterum eorum pro requisicione, et execucione premissorum requisitus, fauore, amore, et aliquacunque de causa suffultus ad locum in hac parte opportunum et non contrarium accedere renuerit, extunc talis Nobilis ad execucionem ipsius negocij secundum ordinem prenotatum accedere recusans, in viginti quinque marcis denariorum per ipsos Vicebanos et Comites nostros extorquendis

conuincatur, eo facto ijdem siquidem Vicebani et Comites rebellione talismodi Nobilis ipsam disposicionem infringentis easdem viginti quinque marcas denariorum ibidem et in instanti de rebus et possessionibus suis possint et valeant extorquere. Hoc eciam in ipsa disposicione volumus esse manifestum, vt execucio negociorum premissorum, a tempore supradicto commissorum, nostrique, et vices nostras gerencium emergendorum litteris Regalibus et Reginalibus, vel occasione exercitualis expedicionis, aut alia quacunque cautella per premissorum actuum potenciariorum seu nephariorum patratores adinuenienda, de termino per prefatos vices nostras gerentes pro ipsorum negociorum execucione deputando ad vlteriorem terminum valeat prorogari et differri. Item si aliquis ex pocioribus, seu potencioribus eiusdem Regni Sclauonie Nobilibus de viribus et potencia, et quacunque sua facultate confisi, predictis Vicebanis et Comitibus nostris, ac Judicibus Nobilium in premisse disposicionis nostre execucione obedire nolleret, extunc contra talem inobedientem, et premisse disposicioni salubri et communi contrarietatem inducentem, vnanimiter et vniuersaliter cum potencia, et manu armata insurgere, et eundem rebellem, et ipsam disposicionem infringentem, per occupacionem vniuersarum possessionum, et omnium bonorum suorum ablacionem ad debitam obedienciam reducere et conuertere teneamur, et simus obligati; et si aliquis ex nobis ex confidencia qualicunque, licencia a Nobis superinde minime impetrata, contra huiusmodi rebellem tempore deputando insurgere secundum sui status exigenciam nollet, extunc eandem penam, quam ipse rebellis pacietur, subeat, et subire debeat eo facto. Item si aliquis Regnicolarum eiusdem Regni Sclauonie, dolositate seu inuidia ductus, contra quemcunque nobis, scilicet Bano, aut Vicebanis, et Comitibus nostris, super quacunque re superius specificata querimoniam porrigeret, et ipsos eorundem negociorum executores ad locum declaracionis huiusmodi negociorum educeret, ipsique nostri Vicebani, ac Comites et Judices Nobilium talismodi Nobilem, contra quem educentur, immunem et innocentem reperierint, extunc actor ipsius negocij de expensis ipsorum nostrorum officialium eisdem teneatur satisfaccionem conuenientem et per homines ad huiusmodi negocij execucionem congregandos, limitandam satisfaccionem ibidem exhibere. Item, ex quo presens nostra disposicio et ordinacio feria videlicet secunda post Dominicam Oculi Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo Nono hic Crisij, loco videlicet Sedis Judiciarie communi, facta vuinersis et singulis Nobilibus ipsius Regni Sclauonie in longinea distancia ipsius sedis existentibus manifesta fieri non potuit, ideo disposuimus pro premisse rei salubri firmitate perfecciori, vt ipsi Nobiles ad premissum terminum qualicunque de causa ipsam sedem Crisiensem conueniri nequeuntes, qui nobiscum Juribus, et Jurisdiccionibus, quibus tempore multorum Regum actenus vsi fuimus, vti et frui intendunt, hinc vsque Dominicam Ramispalmarum nunc affuturam in dicta Crisiensi et Zagrabiensi sedibus Judiciarijs, aut alijs locis opportunis, coram Vicebanis, ac Comitibus et Judicibus Nobilium dictorum Comitatuum, pro premisse disposicionis in concursu disposicionem corporale Juramentum prestare teneantur, et qui hoc facere recusauerint, disposuimus, vt tales penam consimilem predictam disposicionem infringencium subire debeant eo facto. Nos vero Mathko Banus supradictus seorsim, et de per se decreuimus, ut ex parte nostri, ac fratrum nostrorum, et quorumuis ad nos pertinencium in omnibus premissis et premissorum singulis consimile Judicium per personas

**idoneas de sede Judiciaria deputandas fiat, et fieri debeat. In cujus rei testimonium presentes litteras nostras, nostro, ac fratrum nostrorum, et aliorum Nobilium suprascriptorum sigillis consignatas, duximus concedendas. Datum Crisij predicta secundo die termini prenotati Anno Domini Millesimo quadringentesimo tricesimo nono supradicto. Item Nos Mathko Banus supradictus pro premisse nostre permissionis, in ordinacione prenotata facte, ad peticionem dictorum Nobilium ipsius Regni Sclauonie pro satisfaccione omnium negociorum superius declaratorum, ex parte nostri, et fratrum, ac subditorum nostrorum in coram Vicebano, vel Comitibus, et Judicibus Nobilium modo prenotato fieri debencium, egregium Bartholomeum Fanch, Stephanum Byczkele, Georgium de Bykzad, et Frank de Megywreczye duximus deputandos, qui simul, vel adminus duo eorum, premissa valeant expedire. Datum ut supra. Brunus de Gorbonok.**

*(Locus Sigillorum Numero Viginti appresorum.)*

**Originalis Membr. in Archivio Regni Croatiae. Priv. N. 20.**

---

*Articuli Nobilium Regni Sclavoniae Anni 1492.* *)

*) Vide in huius libri Parte III. p. 11: in Uladislai II. Regis Decreto I. sive maiori.

---

## 1527. 1. JANUARII. IN CETIN.

***SS. et OO. Regni Croatiae Ferdinandum, Bohemiae Regem, in suo Generali Conventu in opido Cetin A. 1527 die 1. Januarii celebrato, sua sponte Regem Croatiae eligunt.***

Nos Andreas dei et Apostolice Sedis gratia Episcopus Tiniensis et Abbas Toplicensis, Joannes Torquatus Corbauie, Nicolaus Zrinij, Christophorus et Wolfgangus fratres ac Georgius de Frangepanibus Segnie, Veglie et Modrusie, Stephanus de Blagay Comites, Christophorus de Pernya, Bernardus Thompich de Zechau, Joannes Kobazich de Brikowiza, Paulus Jankowich, Caspar Krysanych, Thomas Chypchych, Michael Zkoblych, Nicolaus Babonosych, Gregorius Othmych Judex nobilium Comitatus Zagrabiensis, Antonius Othmych, Joannes Novakowych, Paulus Jsachych, Caspar Giezich, Stephanus Zymych, ceterique vniuersi Nobiles et proceres nec non Nobilium Comitatuum, ciuitatum et districtuum, populorum, vniuersitas Regni Croatie, ad perpetuam rei memoriam fatemur et recognoscimus, notumque facimus tenore presentium vniuersis. Cum Serenissimus et potentissimus Princeps et Dominus Ferdinandus, Dei gratia Bohemie et Croatie Rex, Infans Hispaniarum, sacri Romani Imperii Princeps Ele-

ctor, Archidux Austrie, Dux Burgundie, Brabantie, Stirie, Carintie, Carniole, Slesie, Wirtenbergie etc., Marchio Morauie, Burgouie etc., Comes Tirolis, Celeie, Goritie etc., Dominus Marchie Slauonice, Portus Naonis et Salinarum, Sacri Romani Imperii Locumtenens generalis etc., Princeps et Dominus noster gratiosissimus, miserit his diebus ad nos sacre sue Regie Maiestatis Consiliarios et Oratores, Reuerendum in Christo patrem et Dominum Do. Paulum de Oberstain, dei gratia Prepositum Viennensem, artium Philosophie et utriusque Juris Doctorem, Nicolaum Juritschiz Supremum Capitaneum, Joannem Caczianer et Joannem Puchler arcis Mechou Prefectum, Capitaneos, Dominos et Amicos nostros singulares; et ipsi prefate Regie Majestatis nomine, tanquam pleno et sufficienti Mandato ab ea suffulti, nos requisierint, ut suam Majestatem pro nostro legittimo et naturali Rege et Domino, et Serenissimam Principem et Dominam Dominam Annam Hungarie, Bohemie et Croatie Reginam Principem et Dominam nostram gratiosissimam pro nostra legitima et naturali Regina et Domina recognosceremus, illisque desuper debitum fidelitatis et homagii Juramentum prestaremus, quod nos exacte perpensis et diligenter consideratis Juribus, quibus idem Rex noster Serenissimus, vna cum dicta Serenissima Domina Regina sua consorte etc. pro sacro Regno Hungarie Jure hereditario obtinendo ad plenum et sufficienter fulcitus et prouisus est, precipue uigore plurium inconuincibilium tractatuum, quos nos ex fundamento uidimus, legimus et relegimus, et postremo uigore electionis iuxta Decreta et Sanctiones Regni Hungarie, in generali Statuum et Ordinum illius Regni Conuentu die XVI Mensis Decembris proxime elapsi in Oppido Posoniensi rite et legittime facte et publicate, nec non attentis pariter tot gratiis, opibus et emolumentis, quibus nos (et) Croatie Regnum sua Sacra Regia Majestas sola inter tot Christianos Principes pluribus annis contra immanissimos Thurcas, ne nos illorum seua tyrannide a fide orthodoxa et christiana republica deficere compelleremur, benigne conseruauit, ac infinitis aliis beneficentiis et nos et vniuersas res nostras pro singulari sua clementia et liberalitate sibi continue commendatas habuit: idcirco prefatorum Dominorum Oratorum iuste et honeste requisitioni, tam deuote quam reuerenter annuimus, et hodie ante sumptum prandium, quum adhuc ieiuni essemus, omnes et singuli vnanimitate vna uoce et proclamatione nobis in generali nostro Conuentu existentibus, prenominatum Serenissimum Dominum Regem Ferdinandum, in uerum legittimum indubitatum et naturalem nostrum et tocius huius inclyti Regni Croatie Regem et Dominum, nec non prefatam Serenissimam Dominam Reginam Annam in ueram legittimam indubitatam et naturalem nostram et tocius Regni Croatie Reginam et Dominam, felici omine elegimus et recognouimus, assumpsimus, publicauimus, fecimus, constituimus et proclamauimus, proclamarique fecimus per uicos et plateas, prout tenore presentium eligimus, recognoscimus, assumimus, facimus, constituimus, proclamamus et ueneramur ambas suas Maiestates in nostrum (ut premittitur) Regem et Dominum, Reginam et Dominam, omni meliori et alacriori uia forma jure consuetudine et solenitate, quibus melius et efficacius facere potuimus (et) possumus, debuimus et debemus, una cum prestatione debiti fidelitatis et homagii juramenti, quod similiter publice alta et intelligibili uoce, ut nobis dictus Reuerendus D. Viennensis Prepositus sua quoque uoce preibat, eleuatis in altum digitis et manibus, cum summo gaudio prestitimus in forma, ut de uerbo ad uerbum sequitur, et est tale, uidelicet: „Juramus et promittimus, quod ex

nunc in antea erimus fideles semper et obedientes Serenissimo Principi et Domino Domino Ferdinando Bohemorum Regi, eiusque Consorti Serenissime Domine Anne, Nate Regine Hungarie et Bohemie etc., Dominis nostris clementissimis et gratiosissimis, tanquam veris legittimis et naturalibus heredibus, ac Regi et Regine Regni Croatie, eorumque heredibus et locumtenentibus siue gubernatoribus, bonumque et commodum ac salutem eorum cogitabimus et pro uirili nostra promouebimus, damna uero et preiudicia eorum pro posse nostro auertemus et precauebimus, aliaque omnia et singula faciemus, que bonis subditis et fidelibus seruitoribus erga Dominum suum conueniunt, et ad que tenentur et astringuntur, quodque nullo unquam tempore deinceps aliquem alium in Dominum aut Regem nostrum acceptare uel recognoscere uelimus preter Majestates suas earumque heredes. Quodsi uero coniunctim vel diuisim comperiremus unam aut plures personas, siue ecclesiastici siue secularis Status et conditionis, que in preiudicium Maiestatum suarum uel uerbo aut facto alii uel aliis in bonum eorundem adherere uellent, Nos, ubi tales resciremus, continuo Maiestates suas, uel superioritatem nobis per eas datam, admonebimus et auisabimus, iuuabimusque omnes tales sic inobedientes ad debitam obedientiam reducere, omni penitus dolo et fraude remotis. Ita nos Deus adiuuet et sancta eius euangelia“ —

Decantato desuper solemniter in Ecclesia hic Monasterii S. Marie visitationis fratrum minorum de obseruantia ad omnipotentis Dei laudem honorem et gratiarum actionem Cantico Te Deum laudamus etc. cum campanarum frequenti sonitu et pulsatione. Quo fit inter cetera, quod nos omnes et singuli, una cum Heredibus posteris et successoribus nostris in infinitum, sumus facti ueri naturales legittimi et indubitati subditi prefati Serenissimi Domini Regis et Serenissime Domine Regine nostre ac suorum Heredum in infinitum ex lumbis eorum descendentium. In quorum omnium supradictorum inconcussam et integram fidem et sufficiens testimonium, has literas fieri fecimus et ereximus, quas sigillis nostris solitis partim propriis partim communibus perpetuo valituras munimine roborauimus. Datum in Oppido Cetinensi in generali nostro Conuentu in supranominato Monasterio celebrato die prima mensis Januarii a Natiuitate Domini Jesu Christi Saluatoris nostri Millesimo quingentesimo Vicesimo septimo.

Originalis et transsumptum contempor. in c. r. secreto Archivio Viennensi.

---

## 1527. 1. JANUARII. IN CETIN.

*Promissio Ferdinandi, electi Croatiae Regis, de privilegiis, juribus, libertatibus et decretis, Regno Croatiae a prioribus Regibus concessis, illaese conservandis, SS. et Ordinibus Regni Croatiae per speciales Oratores, ad eosdem deputatos, facta.*

Nos Serenissimi et Potentissimi Principis et Domini D. Ferdinandi, Bohemie et Croatie etc. Regis, Infantis Hispaniarum, Sacri Romani Imperii Principis

Electoris, Archiducis Austrie, Ducis Burgundie, Brabantie, Stirie, Carinthie, Carniole, Slesie, Wirtembergie etc., Marchionis Morauie, Burgouie etc., Comitis Tyrolis, Celeje, Goritie etc., Domini Marchie Slauonice, Portus Naonis et Salinarum, Sacri Romani Imperii Locumtenentis generalis etc., Principis et Domini nostri gratiosissimi, Consiliarii et Oratores, Paulus de Oberstain, Dei gratia Prepositus Viennensis, Artium Philosophie et Utriusque Juris Doctor etc., Nicolaus Juritschicz supremus Capitaneus, Joannes Caczianer, et Joannes Puchler, prefectus in Meichou, Capitanei, recognoscimus et notum facimus vniuersis. Quum nos uigore mandati eiusdem Serenissimi D. Regis nostri, cuius tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis: „Ferdinandus, Dei gratia Bohemie Rex etc., Infans Hispaniarum, Archidux Austrie, Dux Burgundie, Slesie et Wirtembergie, Marchio Morauie etc., Imperalis Locumtenens generalis etc., Recognoscimus et notum facimus tenore presentium vniuersis. Quod cum Reuerendis, Spectabilibus, Magnificis, Nobilibus, Egregiis, sincere nobis dilectis Episcopis, Prelatis, Comitibus, Nobilibus ac vniuersis Ordinibus et Statibus Regni Croacie, Jus nostrum, quod nobis et Serenissime Consorti nostre dilectissime uersus Regnum Hungarie competit, exposuissemus, requirendo eosdem, quatenus nos illius vigore aliorumque complurium respectuum intuitu in Dominum et Regem suum acceptarent et ut talem recognoscerent. Ipsi uero Status et Proceres Nuncios et Oratores suos ad nos propterea destinarint, qui tamen plenam super singulis per eos petitis resolutionem reportare nequiuerint, eo quod fines Mandati eis a Principalibus suis traditi longius excedere non licuerit. Nos itaque hiis potissimum attentis opere precium duxerimus nostros Nuntios et Oratores ad eosdem destinare, qui super petitis eorundem finaliter concludant, unde certam gerentes fiduciam de integritate, rerumque agendarum industria, honorabilis docti et fidelium nobis dilectorum Pauli de Oberstain, Prepositi Cathedralis Ecclesie ciuitatis nostre Viennensis, Doctoris et Consiliarii, Nicolai Juritschicz et Joannis Caczianer Capitaneorum, nec non Joannis Puchler, Prefecti nostri in Meichou, Nunciorum et Oratorum nostrorum, ipsos omnes ad maiorem ex eis partem ex certa scientia, omnibusque melioribus modo uia iure causa et forma, quibus melius et efficatius de iure possumus et ualemus, nostros ueros legitimos et indubitatos Procuratores, Actores, Factores et infrascripti negocii gestores fecimus, constituimus nominauimus et deputauimus speciales et generales, ita tamen, quod specialitas generalitati non deroget, nec e contra, sicut eosdem uel maiorem ex eis partem tenore presentium facimus constituimus et ordinamus, dantes et concedentes eisdem facultatem potestatem et autoritatem cum prefatis Statibus, Episcopis, Prelatis, Comitibus, Nobilibus et Consortibus eorum coniunctim uel in solidum, nostro nomine loco et uice, super omnibus et singulis, que eis per instructionem nostram apud eos seriatim agenda iniunximus, agendi tractandi et proloquendi, et postquam uigore instructionis nostre cum eis inter alia egerint, atque in hoc induxerint, quod nobis tanquam legitimo et naturali eorum Domino debitum fidelitatis et homagii Juramentum prestare uelint, tale Juramentum fidelitatis et homagii pro nobis et loco nostri recipiendi, eosdemque assecurandi, quod omnia et singula eorum Priuilegia Jura Libertates et Decreta, Regno illi eiusque incolis et inhabitatoribus a Serenissimis retro Regibus eorum tradita et concessa, salua et illesa conseruare et manutenere uolumus et intendimus, eisdemque iuxta rei exigentiam et qualitatem

literas desuper necessarias et oportunas erigendi et concedendi, aliaque omnia et singula faciendi dicendi gerendi et exercendi, que in premissis et circa ea necessaria et oportuna fuerint, queque ueri legitimi et indubitati procuratores et mandatarii facere possunt, et denique que nosmet facere possemus, si premissis omnibus et singulis presentes et personaliter interessemus, etiamsi talia forent, que mandatum exigerent magis speciale quam presentibus est expressum, promittentes in uerbo Regio, nos habituros ratum et gratum quicquid per supradictos procuratores nostros uel maiorem ex eis partem circa premissa gestum et illorum occasione promissum fuerit, nec aliquid contra ea uel eorum aliqua ullo unquam tempore attentaturos siue per nos aut interpositas personas quauis uia occasione uel modo, harum testimonio literarum sigilli nostri appensione roboratarum. Datum in Ciuitate nostra Vienna, die quinta mensis Decembris Anno domini millesimo Quingentesimo Vicesimo sexto. Ferdinandus (manu propria). Vidit L. de Harrach Cancellarius. Ad mandatum Serenissimi Domini Regis proprium Jo. Maius." Cum Reverendissimo, Spectabilibus, magnificis, Strenuis, Nobilibus ac aliis omnibus et singulis Dominis et prudentibus uiris Statuum et Ordinum inclyti Croacie Regni, Dominis et amicis nostris plurimum honorandis et dilectis plura egissemus et tractauissemus, ut predictum Serenissimum D. Regem etc. et sacre sue Regie Majestatis Consortem Serenissimam Principem et Dominam Dominam Annam Hungarie, Bohemie et Croatie Reginam, Principem et Dominam nostram gratiosissimam, in naturalem legittimum verum et indubitatum eorum Regem et Dominum, Reginam et Dominam, recognoscerent, prestarentque eisdem desuper debitum fidelitatis et homagii Juramentum; et ipsi id totum libenter deuote iocunde et reuerenter fecissent, quemadmodum in eorum literis, nobis ea propter assignatis, clarius intueri licet.

Quod nos idcirco, ut aliquid inde boni iure merito consequerentur, illis, vice et nomine prenominati Regis nostri, promisimus et polliciti sumus, prout tenore presentium libere promittimus et policemur, pariter uigore dicti mandati, hec que infra sequuntur:

In primis, quod Serenissimus Rex noster pro tuitione sui Regni Croatie tenebit in ipso Regno mille Equites cum stipendio trium Ducatorum pro singulo Equite, et ducentos pedites, ita tamen, quod eosdem pedites et ducentos Equites Sue Regie Majestatis Supremus Capitaneus aut quiscunque alius cui Sua Maiestas id oneris demandabit, libere et sine omni dictorum venerabilium Statuum et Ordinum aut cuiuscunque alterius contradictione conducere debebit, reliqui autem Octingenti Equites inter dictos Status et ordines diuidentur secundum honestam et convenientem vniuscuiusque conditionem. Quodsi vero Regia Maiestas eosdem Equites extra Regnum conduci iusserit, tenebuntur illi seruire cum stipendio pariter trium Ducatorum per primum mensem tantum, quo elapso statim illis tantum stipendii dabitur quantum aliis sibi similibus equitibus.

Secundo. Sacra Regia Maiestas condecentem bellatorum numerum in confinibus Ducatus Carniole Croatiam versus tenebit.

Tertio. Sua Maiestas arces et fortalitia in hoc Regno reuideri, et illis de rebus necessariis prouideri faciet.

Quarto, assecuramus nos eosdem Status et Ordines, quod eadem Sacra Regia Maiestas omnia et singula eorum priuilegia jura liber-

**tates et decreta**, Croatie Regno eiusque incolis et inhabitatoribus olim a Serenissimis retro Regibus illis tradita et concessa, una cum ipsorum veteribus laudabilibus consuetudinibus et observationibus **salua et illesa confirmabit, conseruabit et manutenebit**, nec eos indefensos, uti optimum et maximum Principem decet, donec illi uita supersit, derelinquet, quin eos et hoc inclitum suum Regnum semper sub optima protectione fouebit et tuebitur, harum testimonio Litterarum sigillorum nostrorum munimine roboratarum. Datum in generali Venerabilium Statuum et Ordinum Regni Croatie conuentu Oppidi Cetinensis, die prima mensis Januarii felicis noui anni a Natiuitate Domini Jhesu Christi Saluatoris nostri millesimi Quingentesimi Vicesimi septimi.

Orig. et transsumptum contempor. in c. r. secreto Archivio Viennensi.

---

## 1527. 3. JANUARII. IN CETIN.

*Repraesentatio SS. & OO. Regni Croatiae ex Generali eorum Congregatione in Oppido Cetinensi die 3. Januarii A. 1527. servata.*

Serenissimo et potentissimo Principi et Domino Domino Ferdinando, Dei gratia Hungarie, Bohemie et Croatie Regi, Infanti Hispaniarum, Archiduci Austrie, Duci Burgundie, Brabantie, Stirie, Carinthie, Carniolie, Silesie, Virtenbergie, Marchioni Moravie, Comiti Tirolis et Sacri Romani Imperii Locumtenenti generali, Principi et Domino nostro gratiosissimo. — Serenissime et Potentissime Rex, Domine noster gratiosissime! Post humillimam et debitam Comendationem et subjectionem significamus ea qua decet Reverentia et devotione, nos cum Maiestatis Vestre Regie Dominis Consiliariis et Oratoribus, Dominis et Amicis nostris honorandis, superiori die felicis novi Anni vniversa negotia inter sese habita feliciter et, uti speramus, ad illius uota, decus et ornamentum conclusisse, suscepisseque et recognovisse, cum debita fidelitatis et homagii Juramenti prestatione, eandem Sacram Regiam Maiestatem Vestram in Naturalem, verum, legittimum et indubitatum Regem et Dominum, nec non Serenissimam Dominam Dominam Reginam Annam, illius Consortem et Dominam nostram, quemodmodum Maiestas Vestra super his ex litteris nostris, prenominatis Dominis Consiliariis et Oratoribus suis assignatis, et inprimis ex exemplo earundem litterarum, quod ipsi Maiestati modo per postas mittunt, clarius edocebitur. Quapropter eandem supplices oramus et deprecamur, quemadmodum nos et hoc Inclitum suum Regnum, ut optimum et maximum Principem decet, in omnibus nostris necessitatibus, uti veros, legitimos et indubitatos subditos semper benigne comendatos habere dignaretur, et precipue in presenti rerum et temporum statu ac turbedine, prestando nobis oportunum aliquod auxilium contra minas Vaivode, Comitis Christophori de Frangepanibus, ac aliorum eorundem adherentium: non quod timeamus nobis aliquid de dicto Comite Cristophoro, cum illi optime resistere possemus,

nisi ipse viribus et opibus sui Vojvode egeret, alias nihil illi potestatis esset contra nos aliquo effectu machinari posse, persequimur enim eundem precipue propter ingratitudinem suam, quam aperte contra Serenissimam Domum Austrie, a qua plurima suscepit beneficia, ostendit; curabit igitur Maiestas vestra, quomodo nos defendat modo saltem aliquo bono numero equitum et peditum, ac bellicarum Machinarum, mittendo nobis preterea quam primum stipendia trium mensium infra decem dies nobis debenda, alias vix possibile erit, nos sine huiuscemodi pecuniis, quiquam boni in defensionem tam nostram, quam huius Regni, facere posse; quocirca constituat etiam, quomodo oportunis presidiis et aliis rebus necessariis, arcibus et aliis locis, in hoc Regno provideat, et precipue, quomodo Arces et alia loca munita, nondum Maiestati vestre dedita, quamprimum recuperari faciat. Quo vero ad Regimen Justitie in hoc Regno tenendum rogavimus nos Magnificum et strenuum virum Dominum Nicolaum Jurissich, Consiliarium et Supremum Capitaneum suum, quem ad hoc prudentem et omnino idoneum recognoscimus, ut ipse illud suscipiat et una cum aliis quatuor huius Regni Nobilibus, quos illi adiunximus, in hoc Regno, tanquam Maiestatis vestre locumtenens, universis Justitiam administret, et ob eam rem, Maiestati Vestre humillime supplicamus, ut eundem Dominum Nicolaum, ad huiuscemodi Regimen suscipiendum, quod nunc egre usque ad Maiestati Vestre beneplacitum suscepit, adigat et confirmet, vix enim posset in Regimen constituendo rem nobis facere gratiorem. Decreveramus, Serenissime Rex! mittere modo ad Regiam Maiestatem Vestram sollemnes Oratores nostros, qui prenominatam deditionem et recognitionem nostram, omnium nostrum nomine, coram testificarentur, nisi prefati domini Consiliarii et oratores nos, ne eos modo mitteremus, detinuissent, dicentes: se litteris suis apud eandem prius exploraturos, quid in hoc iubeat; erunt ergo partes Maiestatis vestre, nos certiores reddere, an nunc vel quando huiuscemodi designatos oratores nostros ad eam mittere debeamus. Postremo, supplices oramus, ne egre ferat, vel aliqua indignatione nobis metiatur, perstitisse nos in petitione (nostra) trium Ducatorum pro singulo Equite, in hac nova Octingentorum equitum conductione, necessitas enim, precipue in his rerum et temporum accurrentiis, nos ad ita persistendum compulit; in quo (Maiestas vestra) rem nobis piissimam faciet, perpetua servitute et subiectione erga eandem demerendam, que ad Nestoreos Annos quam felicissime intendet, prosperet, procedet et regnet. Datum in Oppido (Cetinensi) Die Tertia mensis Januarii. Anno Domino M. D. XXVII.

*E. S. M. V. Fideles Capellani, servi et subditi universorum Statuum, Ordinum et Comitatuum Regni Croatie.*

Originale in c. r. Aulico secreto Archivio Viennae.

## 1527. 27. APRILIS. IN CETIN.

*Legatio SS. & OO. Regni Croatiae, ex Generali eorum Congregatione, in oppido Cetinensi die 27. Aprilis 1527 servata, Ferdinando I. missa.*

Hec est legacio sive oracio, quam Nuncii Nostri Regie Maiestati declarare et enodare debeant. Imprimis humillimam serviciorum nostrorum commendacionem tamquam domino nostro naturali et graciosissimo. Postea Sacra Regia Maiestas domine graciosissime. Nouerit Maiestas vestra, quod eadem Maiestas Vestra nos quesivit sibi subditos, promittens nos coagregare erga alia sua Regna hereditaria, ac in libertatibus et consuetudinibus nostris conseruare, ac penes fidem Cristianam tenere. Ea promissione, ut Maiestas vestra mille Equites, ducentos pedites (qui dicuntur Martholosii) hic apud nos in Croacia teneret et conseruaret, quibus semper prompta solucio esse deberet, circa hoc, Castra finitima pixidiariis ac victualibus ordinar. ordinaret et gubernaret. Nonnulla vero Castra, que necessaria essent, ad manus suas reciperet. Circa hoc, ut Maiestas vestra in Confinibus Carintie exercitum teneret, ad Juvamen et auxilium nostrum. Has omnes promissiones, Serenissime Rex, nos non inspeximus. Quia condam Rex Hungarie felicissime memorie singulis annis ad Regnum Croacie expensas fecit. Tantum ad Banum, item ad pixidiarios Sexaginta millia florenorum, et adhuc circa hoc dominis et nobilibus auxilio fuit. Regnum eciam Sclavonie cum tota sua potestate semper nobis iuvamine et auxilio fuit, et omnino ad defensionem nostram coadiunctum. Circa hoc summus Pontifex ac Venecii, victualibus, provisionibus semper bonum iuvamen et auxilium fecerunt, insuper Maiestas quoque Vestra a certis annis principale Nobis presidium fecit, et ad auxilium et defensionem nostram in Carintia exercitum conseruauit, penes premisso auxilio totum Regnum Croacie, quod Croacia dicitur, ac totum maritimum usque arram Carintiam deuastatum et deperditum est; Nec conseruari potuit, quia Martholoczii penes mare jam non habent quid accipere, usque metas Carintie, hic ubi nos residenciam habemus, coadiunximus se penes fluvium Zava. Credat Maiestas Vestra, quod tantum in hoc stat, et si vnum Castrum in fluvio Vn dicto, turce receperint, ultra remanere non possemus, in tali enim gubernacione et ordine sunt. Isti idem Castri paruum ultra quin tres dies remotius se tenere potest (sic). Quia in ipsis homines non sunt. Neque nulla que essent necessaria ad defendenda Castra. Jam nullibi inter nos sunt Ciuitates, neque Castra, ex quibus nos defendere possemus. In confinibus eciam Carintie (uti Maiestas Vestra melius scit), nullum scimus, qui se longe tenere posset, cum Necessitas ad eum veniret. Hec autem omnia Nos primum, quam Maiestati Vestre se dedimus, arbitrauimus et in animo nostro voluimus, quod potenti Regi cum advertencia et maximis expensis difficulter est sibi Regnum Croacie tenere. Nichilominus Serenissime Princeps, quum Nos audiuimus illos articulos in litteris Maiestatis Vestre, in quibus stat, vt Maiestas Vestra nos in ullo auxilio dimittere non vultis, cum omni sua potencia, ita, quod nos penes fidem Christianam Maiestas Vestra conseruaret et teneret.

Et mox, quum hos articulos intelleximus, illico libero arbitrio erga Maiestatem Vestram stetimus ad subdicionem eiusdem Maiestatis Vestre, quia semper tenuimus penes se hanc laudem, vt nulla lingua in Christianitate tanto longo tempore non stetit, nec sanguinem suum fudit, quia vltra sunt, quam octuaginta anni, quod se defendimus et pugnauimus penes fidem Christianam, in hac laude nostri pristini mortui sunt. Nos hoc Idem desideramus.

Nouerit Maiestas Vestra, quod inveniri non potest, et nullus Dominus potencia mediante Croaciam occupasset. Nisi post discessum Regis nostri ultimi Zvonymer dicti, felicis recordacionis, libero arbitrio se coadiunximus circa Sacram Coronam Regni Hungarie, et post hoc, nunc erga Maiestatem Vestram. Post hoc, Serenissime Princeps, si qui dicturi essent, uel si dubium haberetur, vt expense ille inanes et deperdite essent, quas Maiestas Vestra ad hunc Regnum facit, hoc autem cognoscere potest Maiestas Vestra, quod Nos fuimus bonus clipeus omnibus vicinis nostris. Credat Maiestas Vestra, quod nulla vicinitas nostra, tantum ad terciam partem non tenebit, neque defendebit, ut hoc elapso anno ostensum est super Regem Hungarie.

Sciat Sacra Maiestas Vestra Serenissime Princeps, vt si turci se inposuerint in terram Croacie, vt nunc cogitant, et aliqua Castra obsident, que similiter cogitant, et quod Regnum Croacie occupabunt, et vnanimem facient cum Bozna, possibile est, ut nullus ipsos expugnare poterit, et timemus, quod de his partibus usque breue tempus Sthyriam, Carintiam, Carnioliam et Istriam occupabunt.

Insuper, Serenissime Domine Naturalis et semper graciosissime, si quis allegaret, uel ambigueret, vt nos nil aliud facere non potuerimus, nisi ita ad gratiam Majestati Vestre (se) dedimus, Nouerit Majestas Vestra stabiliter, quod Imperator Turcorum anno preterito oratores suos ad nos miserat, et destinaverat; rogans nos, ut se sibi subjiceremus; Nobis hoc promittens, ut unicuique nostrum suam hereditatem redderet et restitueret, Nosque in nostra fide et libertate ac consuetudine conservaret, et Nobis ad nullam discordiam, que esset contra Christianos, precipere et mandare non vellet, Jobbagiones quoque Nostros, usque decem Annos, ab omni dacia libertaret, ostendens nobis, quod ipse plura Regna Christiana sub se haberet, que in fide et consuetudine ipsorum conseruaret.

Et primum, Serenissime Rex, quocies Nos Turci rogaverunt et optaverunt, ut Nos ipsos pacifice dimitteremus ad terras Maiestatis Vestre, promittentes nobis, quod exceptis Captiuis, sed omnia alia, que acciperent in terra nostra, dimittere velle, et Nos hominesque Nostri liberi essemus in terris ipsorum peragere, et si velemus penes hoc remanere, Nos in tota hereditate nostra in pace remansissemus.

Preterea, Serenissime Rex, postquam pre manibus Maiestatis Vestre sumus, Veneciani etiam a nobis quesiverunt, ut penes ipsos pacem iniremus cum Turcis, Nobis promittentes, vna cum ipsis semper pacem facere, et circa hoc, nobis secundum merita nostra de se provisionem facere. Hoc etiam et prius dedimus ad Notitiam Maiestatis Vestre, quantas promissiones Nobis fecerat Vaivoda Transylvanus, qui nunc nuncupatur Rex Hungarie, ut nos retraheremus a subditione Maiestatis Vestre, sed nos contra fidem Christianam nunquam facere volumus, nec facere cogitamus.

Ad has premissas legationes semper per Consilium Domini Nicos (Nicolai) Juritssych, nostri Supremi Capitanei, talem relationem dedimus, ut honori nostro incumbit, et nullus Christianus in nostris relationihus contra nos non potest dicere. Ideo noverit Maiestas Vestra, quod inpossibile est audire paupertates ac oppressiones nostras, que passi sumus, patimur et de presenti, presertim nunc, postquam sumus pre manibus Maiestatis Vestre, in primis, quod omnes illi, qui nobis iuvamine et auxilio erant, nos relinquerunt, omnia collata et auxilia a nobis retraxerunt, et nobis dare recusaverunt.

Aliud, quod victualia nec de mare nec Sava non adveniunt, de qua Causa summa esuricio in Croatia est, ut nullus hominum tantam vidit, multi homines iam esuriendo mortui sunt. Nunc quoque moriuntur. Domine Serenissime, hoc vna Causa est, circa hoc, quod stipendium illud non est datum, ut nobis ab Oratoribus Maiestatis Vestre promissum fuit. Illud etiam parum pecunie, quod nobis est datum, cari foro nobis dant, ut nec in Regno Maiestatis Vestre, neque nullibi sub illud accipere volunt, sub qua nobis dant, quia pecunie, que nobis dantur sub cruciferis octo ab fenyk Magistro, illos in terra Maiestatis Vestre, pro Victualibus nec sub sex cruciferis accipere volunt; florenos aureos, quos nobis dant, ad aliquos perdimus Cruciferos decem, et ad aliquos quatvordecim, pannum, quod nobis dant, perdimus ad quamlibet ulnam cruciferos octo. Respectu premissarum Causarum, quod hec terra ad tantam inopiam et egestatem devenerit, quod iam Jobbagiones nostri volunt fugere ante turcos, circa nulla fortalicia, nisi in via stant, deliberato animo multi se darent ad captivitatem, ut pone saturari possint. Insuper intelleximus a Sacerdotibus, quod una pars hominum nostrorum etiam in fide ambigua est, propter hanc miseriam, quam paciuntur. Preterea, Serenissime Rex, scit Maiestas Vestra, quod Nonnulli ex nobis scripserant Maiestati Vestre, respectu aliquarum oppressionum et miseriarum nostrarum, ac respectu Castrorum finitimorum. Omnino iam expectabamus providentiam a Maiestate Vestra. Preterea sciat etiam Maiestas Vestra, quod adhuc nulla providencia est Castro Byhag ab Francisco Bathyany, qui in Castro non tenet ultra quam quinque homines. Incole vero Civitatis in dies recedunt alias habitare. In ipso enim Byhag, usque Banatum ipsius Francisci Bathyany, semper tenti sunt Centum Equites, et centum pixidiarii, qui Franciscus adhuc nunquam inter nos fuit. Nunquam se promisimus condam Regi Serenissimo Hungarie, usque Maiestati Vestre, eum nobis habere pro Bano. Sed respectu ac intuitu Maiestatis Vestre, si dictus Franciscus Bathyany inter nos habitare vult, et illis, quibus debitor est, Maiestati Vestre servire, Nos in hoc secundum mandatum Maiestatis Vestre volumus; quare supplicamus Maiestati Vestre, quod nullum Banum inter nos facere dignetur, qui inter nos manere non vult. Pro ceteris Castris finitimis, ut prius scripsimus Maiestati Vestre, ut erga ipsa Castra absque procrastinatione providere dignetur Maiestas. Quare timemus, quia tarde nobis relationes veniunt a Maiestate Vestra, quod non tantum unum Castrum, sed totam terram perdemus. Insuper intuitu Stipendii, quod iam reservavimus, supplicamus Maiestati Vestre humillime, ut Maiestas Vestra eundem Stipendium mox absque ulteriori procrastinacione nobis dari et persolvi facere comitteret et iuberet. Proinde Maiestati Vestre supplicamus humillime pro moneta, ut huiusmodi monetam Maiestas Vestra dare comitteret, ut eandem absque magno damno exponere possemus. In hoc Regno necessarium esset tali moneta: floreni Hun-

garie ac denarii antiqui Hungaricales, grossi vulgo Rypparii et Cruciferi, isti poterunt bene expensare in hac terra. Preterea, Serenissime Rex, Marthalosii, quos Nobis promisit Maiestas Vestra, nondum venerunt, sed supplicamus Maiestati Vestre, dignetur eosdem absque ulteriori dilacione mittere. Quia summa necessitas est ipsos terre sive Regno Carinthie, ut et nobis.

Insuper audivimus, quod de illis Mille Equis, quos nobis Maiestas Vestra spoponderat, dedit Maiestas Vestra Francisco Bathyany ducentos Equites, quod omnino est contra Maiestatem Vestram, ac contra nos, quoniam nullum Equitum scimus, qui ipsi teneret in Croacia; quare supplicamus Maiestati Vestre, ut illos ducentos Equites comittere dignetur, ut manerent in Croatia, in Confinibus, ubi necesse esset. Serenissime atque Generosissime Rex! nobis occurit in memoriam et scimus, quod Equites illi Mille ac ducenti Marthalosii contra potenciam Bozne, circa nostram defensionem, non est aliter, nisi quasi una Excubia, vulgari sermone sthrasa nuncupata, quia non possimus arbitrari pro defensione nostra ac ceteris Regnis Maiestatis Vestre, ut possint iuvari nisi duabus causis. Unum, si posset Maiestas Vestra manere cum tali potentia, ut Boznam sub se occupare posset, vel autem, quantumcunque Confinia Turcorum remocius a Nobis ponere. Secundum, si istud nunc fieri non potest, ut Maiestas Vestra tantum exercitum teneret in Confinibus Carinthie, quod quociescunque Boznenses exirent nos depopulare, ut semper cum ipsis confligere valeremus, et si quod Castrum oppugnarent, eundem defendere possemus.

Preterea, Sereinissime Rex, hoc certe scimus, quod a certo tempore exercitus Turcorum in promptu congregatus stat, sed veraciter rescire non possumus, si nos hic occupare voluerit, vel per nos ibunt ad alia Regna Maiestatis Vestre, et non dubitamus, quia ex his unum erit, quia Consuetudo ipsorum circa festum Beati Georgii exire fuit depopulare, sed non exierunt; arbitramus, quod maximum negotium unum sint facturi, nunc vero presertim necessarium esset illo Exercito Maiestatis Vestre, quem promiserat tenere in Carintia. Serenissime Rex! Iste Exercitus non est in Confinibus Carintie, neque Marthalosii, nec pixidiarii, nec victualia ad necessitates Castrorum finitimorum, neque stipendium nostrum, pro quo servimus, nisi hoc manifeste inspicimus, quod nos Maiestas Vestra, ex manibus suis tempore prius perdere vultis, quod valde melius esset pro anima Maiestatis Vestre, ut Maiestas Vestra nos unquam ad manus suas reciperet.

Que talia verba sumus pluries nostro supremo Capitaneo Nicolao Jurysich daturi ad notitiam, qui semper nobis promissus est, ut Maiestas Vestra ad omnia ista bene et generose providere vultis, qnam providentiam et nunc expectamus.

Ea propter Serenissime Rex! supplicamus Maiestati Vestre humillime et intime, ut has nostras nunciaciones et scripta ingenerose suscipere non dignetur.

Et supplicamus Maiestati Vestre, ut Maiestas Vestra hanc graciam nobis facere dignaretur, ut unum Consiliarium ex Curia, et alium ex Consilio Maiestatis Vestre, quod est in Vienna, mittere dignaretur, cum istis nostris Nunciis revidere desertam terram et mansiones nostras, qualiter manemus. Quia hoc perpetualiter bonum ac prosperum erit Maiestati Vestre, ac etiam nobis, quia quis non videt has necessitates, inpossibile est, ut credere posset vitam istius miserrimi Regni.

Insuper supplicamus Maiestati Vestre, ut Maiestas Vestra confirmaret suis litteris Litteras illas promissionis Electionis, quas dederunt Nobis Oratores Maiestatis Vestre, ut scit Dominus Paulus Prepositus.

Et ad hec omnia nostra Intimata et nunciata bonam ac graciosam relationem a Maiestate Vestra expectamus, tamquam a domino nostro naturali et gratiosissimo. Datum in Czethyn, in Congregatione nostra generali, dominica proxima ante festum beatorum Filippi et Jacobi Apostolorum Anno domini Millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

*E. S. M. Vestre fideles subditi. Andreas Episcopus Tiniensis. Johannes Torquatus Corbavie. Nicolaus Comes Zriny. Cristophorus et Volffgangus Comites de Bryne. Georgius Comes Zluny et Czethyny. Stephanus Comes Blagay, ac Universitas Nobilium Regni Croatiae.*

Originale in secreto c. r. Archivio Viennensi.

---

*Responsum Regis Ferdinandi I., SS. & OO. Regni Croatiae datum.*

Sacra Regia Maiestas Hungarie et Bohemie etc. ad quosdam articulos, sibi nomine omnium statuum regni Croacie per nuncios eorum exhibitos et petitos, respondet in hunc qui sequitur modum.

Primo, quantum ad privilegia, libertates et Jura regni prefati inviolabiliter observanda, Maiestatis sue responsum est, quod omnia illa illesa et firmiter, sicut ab antiquo et laudabiliter hactenus observata sunt, servare et manutenere vellit.

Secundo, ubi petunt, quod Maiestas sua equites mille et ducentos marthalosios pro defensione regni predicti intertenere, eisque debito tempore solutionem ordinare dignetur; Maiestas respondet, quod huic eorum petitioni gratiose annuere vellet, sed nunc Maiestas sua instruit expeditionem hungaricam contra rebelles, in qua magno equitum numero opus habet, eosque nunc conduxit. Inter quos etiam acceptati sunt plures Carniolani, quos, vbi necessitas expostulaverit, ad Croatiam pro defensione regni et resistentia Turcarum ordinabit. Et in hijs, cum parum adhuc desit, statim postea numerum per eos petitum ad alios equites, quos prius intertenet, supplebit: hijs ergo attentis super 1000 equitibus et 200 Marthalosiis pro nunc habeant patientiam.

Tertio, super commeatu, artillaria et puluere tormentario ad eos mittendo, Maiestas sua regia in hijs provisionem faciet, quantum fieri potuerit et presentes rerum occurentie patientur.

Quarto, quoad solutionem eis faciendam, Regia Maiestas respondet, illam nunc ordinasse et credit, eam quoque factam esse, Et quod in futurum ordinem faciet necessarium quod illam quantotius fieri possit; petit igitur Maiestas sua, ut, quia eos in hijs et aliis necessitatibus eorum generose commendatos habet, ipsi vicissim sicut hactenus fecerunt, se in rebus et occurentiis Maiestatis sue Regie ita exhibeant, sicut Maiestas sua in eos gratiose confidit et omni erga eos gratia recognoscet.

Quinto, quantum ad oppidum et Castrum Vyhych, Maiestatis sue responsum est, ut ipsi status vna cum Nicolao Juritschitz, Capitaneo supremo Regni predicti, deliberent et consultent, quibus viis et mediis opidum et Castrum illud in manus et ditionem Maiestatis sue Regie devenire possit, quod in manus suas redactum postea ita muniri faciet, vt tali Regno Patrieque presidio et tutele esse debeat.

Sexto, super deputatione alterius Bani per eos petita, vult Maiestas Regia, vt ipsi aliquot personas idoneas et tali officio dignas indicent, seque de earum habilitate informent, qua simul et nominibus earum intellectis Maiestas sua tunc eis de Bano providebit.

Septimo, ubi petunt Castra et oppida in Confinibus sita muniri, committit eis Maiestas sua, ut illa nominatim exprimant. Item de hijs, que nunc nominarunt, adhuc plenam notitiam non habet, an in presentiarum in manibus Maiestatis sue sint vel aliorum. Ideo Maiestas sua committit ipsi Juritschitz, ut se ad plenum de hoc informet, et quid illa importent, ac quomodo interteneri possint; quibus etiam Castris in potestatem Maiestatis sue redactis ea iuxta necessitatem muniri jubebit.

Octavo, quoad Castra et munitiones pertinentes Comitibus aliquot in Croatia, Maiestas sua vult, sicut eis alias litteris patentibus commisit, vt Castra eorum teneant in bona custodia ac necessariis provideant: Nam Maiestas sua, pro gratia et fauore, quem in regnum prefatnm gerit, iniunget Capitaneo suo, vt quando regnum illud violenter invadi contingat, ipse statim eis cum peditibus, artelleria et pulueribus in auxilium veniat.

Nono, super puluere tormentario, ad oppidum Metlingense ponendo, Maiestas sua ordinabit, illum ex armamentario Labacensi iuxta exigentiam uniuscuiusque summendum, quoniam propter incomoditatem et periculum ignis in Metlinga tuto collocari nequit.

Decimo, vbi petunt, quod Maiestas Regia cum Nicolao Comite de Serygna super mineris suis concludat, Responsum est Maiestatis sue, quod propter ardua conpluraque negotia, quibus in presentiarum Maiestas sua distinetur, jam tractare aut concordare nequit, attamen quantocius poterit cum eo desuper tractabit.

Vndecimo, quod verentur, ne Maiestas Regia ineat concordiam cum Comite Scepusiensi; Maiestas sua jubet eos ab omni hoc metu plane vacuos et otiosos esse. Illa enim cum eodem Comite nullam penitus sine libera et spontanea cessione Regni Hungarie concordiam inire intendit.

Duodecimo, quantum ad personas pro administratione Justitie deputandas, Maiestas sua statibus illis committit, vt ipsi designent aliquas personas, ex quibus eligantur quattuor homines, qui una cum Capitaneo presint Justitie usque ad ulteriorem Maiestatis sue Commissionem.

Ad XIII<sup>tium</sup>, concernentem unionem patriarum austriacarum et Croatie, Maiestas sua respondet quod nunc propter ingentem negotiorum sarcinam super illa in presenti deliberare nequeat, sed congruo tempore deliberabit.

Ad XIV<sup>tum</sup>, quoad personas pro visitatione Croatie deputandas, et monetam in ea exponendam, Maiestatis sue responsum est, quod super his quoque gratiosam provisionem fieri demandabit.

Ad vltimum, super commendatione Petri Keglouith, Maiestas Regia jam illum acceptavit.

Originale in c. r. secreto aulico Archivio Viennensi.

# 1537. CRISII.

## *Decreta in Generali SS. & OO. Crisii A. 1537 servata Congregatione sancita.*

Gracias agimus Sacratissime Regietati domino nostro graciosissimo, eiusque beneuolenciam et graciosam liberalitatem in nos ostensam Fideli obsequio reseruire studebimus: Quod Majestas sua defensioni nostre prouidere, dominumque Caczyaner, Capitaneum sue Maiestatis generalem, cum gentibus ad Confinia huius miserrimi Regni mittere dignata est, quem beniuolo atque diligenti animo excepimus, cum Condicionibus infrascriptis, quibus dominus quoque Capitaneus consensit.

Quia dissensiones inter plerosque ex nobis per hec tempora orte componi sedarique minime poterant, erant autem maximo obstaculo omnibus expedicionibus ad nostram defensionem fiendis, Ideo conclusum est, vt vniuersi domini Nobiles ac Regnicole huius Regni Sclauonie vsque Festum Natiuitatis domini, nunc venturum, sint inter sese pacifici. Lesiones eciam et damnificaciones, quas quisque infra dominicam oculi, proxime preteritam diem videlicet nostre Congregationis, de mandato Regietatis indicte, vtcumque a quocumque susceperit ac passus est, interim pacato animo ferant, et Amore sincere sese amplecti et prosequi debeant, nec alter alterum racione quarumcumque accionum, ante prescriptum diem dominice Oculi patratis, aut verbo aut factis offendere, ledereque et deturbare ausus sit.

Cum autem Regietas dominus noster clementissimus certis ex causis Banum nobis dare non potuit, et Regnum hoc Judice suo ordinario careat, electi sunt ad dirigenda negocia Regni: Reuerendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis ac Magnifici Domini Ludovicus Pewkry, Franciscus Batthyany, et Petrus Keglewith, vt interim, donec Regietas Banum nobis dederit, habita mutua intelligencia nostro cum domino Capitaneo Regietatis omnibus Regni necessitatibus, ad deffensionem pertinentibus, provideat et consulat.

Judicia eciam omnia racione quorumcumque negociorum seu actuum potenciarum a predicto die dominico oculi vtrumque vsque predictum festum Natiuitatis domini emergendum, prescripti Quatuor domini, vel absentibus alijs solus dumtaxat dominus Reuerendissimus, assumptis penes se Egregiis Emerico Bradacz, Michaele Raweny directore Causarum Regietatis, Balthasare Hobetycz et Stephano Praskoczy, ac Judicibus nobilium et ceteris sedis iudiciarie assessoribus, ubicumque idem dominus Reuerendissimus deo duce constitutus fuerit, sine intermissione celebrare administrareque valeant atque possint, absencia vnius vel plurium assessorum judicio ipsi obstante minime. Et quod onera et grauamina talium Judiciorum in quibuscumque Causis vltra Centum florenorum et solutionem damnorum se extendere non possint, demptis Casibus facti homicidii. Amoniciones autem et Euocaciones fiant pro XV die per Judices nobilium.

Modus vero Judicandi in Castris manebit in suo Jure exercituali atque Bellico et in manibus ac potestate domini Capitanei, et domini Ludovici Pewkry.

Viso insuper et considerato periculo huic Regno imminenti, cupientes eciam Votibus Regietatis obsequi, amore denique patrie, et pro Salute ac defensione nostra vires ac facultates nostras exponere volentes, statutum est, vt statim et de facto octingenti Equites et ducenti pedites pixidarii conducantur, conseruenturque, et ad Regni defensionem teneantur. Quibus licet iuxta Regni consuetudinem e medio vniuersitatis nobilium Capitaneus eligi debebat, tamen quia gentes tam repente prout necessitas exigebat inuenire non poterant, requisiuimus dominum Ludouicum pewkry, ut sua dominatio auxilio eciam ceterorum dominorum gentes ipsas conducat, et eis presit, curamque eorum in se assummat, itta tamen, vt si Regietas sua Magnificum dominum ad aliqua alia seruicia ponere voluerit, libere sua dominatio illo se conferat, et quod assumpto prescriptorum dominorum consilio, habita eciam mutua intelligencia cum domino capitaneo Regietatis, vbique dum opus fuerit, in defensione Regni, penes eundem capitaneum, cum prescriptis gentibus et aliis quoque, quas si leuauerimus, assistat. Conclusum eciam est, vt omnes domini ac Nobiles de Singulis decem sessionibus, iuxta numerum presentis dicacionis, vnum peditem pixidarium semper paratum, Similiter nobiles vnius Sessionis, de singulis decem Sessionibus debeant conseruare. Vt cum primum de consilio ac voluntate prescriptorum electorum dominorum comissum et proclamatum fuerit, statim huiusmodi pedites, ad diem et locum per eosdem prefixum et deputatum, statuere et bene solutum mittere debeant et teneantur. Quibus similiter idem dominus Ludovicus pewkry preesse debebit, eosque diriget, habita tamen semper mutua intelligencia cum domino Capitaneo et assumpto consilio dominorum. Preterea vt omnes domini nobiles et Regnicole ita parati se teneant, vt si necessitas postulauerit, statim viritim insurgere et contra hostem proficisci valeant. Rogamus insuper et supplicamus, vt dominus Caczyammer (sic) Capitaneus Regietatis residuam partem gencium, per Regietatem ad nostri defensionem oblatorum, que nondum aduenerunt, pedites et armigeros sine mora adducere et confinia locaque ad id necessaria ponere velit.

Item quod presens subsidium vnius floreni, ad Conseruacionem gencium impositum, infra octauum diem presentis Congregationis ad manus domini Emerici Bradacz Thesaurarii Regni administretur; peracto ipse octauo die idem dominus Thesaurarius homines suos, cum Judicibus Nobilium, more alias consveto, ad depredacionem bonorum, subsidium ipsum persolui negligentium, mittere debeat; vbi vero idem dominus Thesaurarius homines suos ad huiusmodi Exequucionem administracionemque prescripti subsidii contra quoscumque non sufficeret: Extunc dominus Ludouicus pewkry, cum consilio dominorum, eidem Thesaurario auxilio prestare teneatur.

Moneta autem Germanica et Hungarica vbicumque in suo valore ac genere recipiatur et currat. Victualia vero cuiusvis generis existant iuxta limitacionem et Regestrum inde factum, per gentes prescriptas soluentur, et gentes ipse vbicumque pecuniis utantur. Si quis autem illa violenter receperit, puniatur iuxta demerita.

Ad Limitacionem et estimacionem victualium det dominus Capitaneus duas personas, Quibus adiungendi sunt nostri ad id electi homines ac Judices nobilium. Qui tandem, considerata et gencium copia et victualium quantitate, faciant de eis limitacionem et Estimationem, penes quas et in Castris et corpore Regni venari possint.

Ad executionem denique prescriptorum iudiciorum eligatur per predictos dominos ex vniuersitate nobilium, qui nomine Vicecomitis omnia, que Judicio conperta fuerint, cum Judice Nobilium exequi debeat, et administrare; vbi vero ille ad premissa non sufficeret, dominus Ludouicus sibi dum opus fuerit auxilia prestare debeat.

Finaliter, quia ad huius Regni defensionem et manutencionem plura pertinere videntur, que Secreta et non publica esse debent, Ideo omnia cetera, que pro commodo et vtilitate Regni necessaria fore videbuntur, commissa sunt consilio et directioni prescriptorum dominorum etc.

Si quis autem premissa observare recusaret, extunc contra eum et gentes omnes leventur, et omnes nos capitatim insurgentes eundem juxta demerita tamquam violatorem conclusionis Nostre puniemus.

**Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.**

---

## 1537.

*Ferdinandus Rex Articulos, a SS. & OO. Regni Slavoniae in diaeta Crisii A. 1537 celebrata, conditos, confirmat.*

Ferdinandus etc.

Reverendissime, Reuerendi, Spectabiles, Magnifici, Egregii et Honorabiles fideles dilecti. Vidimus Articulos Constitutionum, quas in diaeta ad Dominicam misericordie proxime preteritam Crisii celebrata, omnium ordinum votis consentientibus, ad vestram publicam tranquilitatem, defensionemque, atque etiam vt omnis controversie et differentiarum materia fomesque e medio vestrum tollatur, confecistis; probamus eas, laudamusque, nil in iis tale videntes, quod non bonum, quodve ad publicum vestrum commodum non esset ordinatum. Vestri itaque iam interest curare, ut adveniente termino, ea omnia, que per uos sunt constituta, effectum suum habeant; Volumus tamen vobis in memoriam reuocare, exactos esse annos plures quam quatuor, quibus nullum prorsus a vobis subsidium in hunc usque diem nobis est oblatum: non quidem dubitamus, quin animum habuissetis ad hoc prestandum propensum et benivolum, certis tamen moti respectibus pepercimus vobis sperantes, animo alacriori vos nobis daturos, quod postea a vobis peteremus. Quum itaque non pauci sunt servitores nobis, quibus in isto Regno nostro iuxta nostram limitationem facienda est solutio, quosve ad seruicia Regni paratos esse uolumus: Ideo Fidelitates vestras hortamur, vt habita ratione Necessitatum variarum, qua et ad defensionem istius Regni, et aliarum rerum tenemur, velitis nobis de singulis Colonis Vestris singulos Ducentos Dinarios in subsidium contribuere, Curare preterea, ut hec pecunia de omnium bonis sub numero et ratione presentis Contributionis vestre ad manus fidelis nostri Egregii Joannis Castellanfy, quem ad huius subsidii Exactionem jam pridem delegimus

infra quindecim dierum spatia, veniat et administretur. Quod vobis omni gratia et beneuolentia nostra recognoscere volumus. Secus nulla ratione facturi. Datum 1537.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.

---

## 1537. 2. MAJI. PRAGAE.

*Iterata Confirmatio Articulorum Generalis Congregationis Crisii A. 1537 celebratae.*

Ferdinandus etc. Reuerendi, Spectabiles, Magnifici. Nobiles, Egregij, Prudentes et Circumspecti fideles dilecti. Reddite sunt nobis littere vestre, quibus nobis gracias agitis de eo, quod generosum Joannem Catzianer etc. Capitaneum nostrum Generalem, pro Vestra defensione et Regni istius nostri Conservatione, cum auxiliarijs copijs ad Vos miserimus. Id quod pro paterna nostra in Vos omnes totumque Regnum istud nostrum, eiusque Regnicolas Cura, Solicitudinemque, libenter sane ferimus. Cumque Articulos in Congregatione generali proxime Crisij habita, per Vos omnes vnanimi Consilio et Sententia conclusos, et ad Nos per dictum Joannem Catzianer transsmissos, legissemus: Placuit Nobis nosmet ipsos rationem inire statuisse, qui cum fortunis et rebus nostris consultum fore ex aliqua parte existimaveritis; primum eum: quod ad dissensiones inter plerosque Vestrum exortas attinet, non possumus improbare, vos cum sedari minime possent, ita Reipublice causa decreuisse, vt istiusmodi Controversiarum actiones plane omnes vsque ad festum Natiuitatis domini suspendantur, et Interim quisque paci studeat et ab offensionibus abstineat. Tamen exoptatum Nobis fuisset, vt quidquid dissidij altercationisque reliquum est, componi sopirique quoquomodo potuisset. Nihilominus ex Constitucione illum vestrum, vt maxime necessarium et ad presentem rerum statum idoneum plurimum comendamus, Nihil dubitantes, quin tum in his, quam aliis, vestrum omnium consensu, ita mature deliberatis ordinatisque strenuam operam daturi sitis, vti debita ubique exemtio fiat, prout necessitas ipsa expostulat. Nam quod pro salute et defensione Vestra Octingentos Equites et ducentos pedites statim conducendos statueritis, non solum probatur, ut ingenue fateamur, verum etiam persuasum habemus, Vos pro totis viribus et facultate Vestra multo maiora auxilia subministraturos fore, cum res exigat, presertim qui Vestrum in hoc periculum agi versarique facile diiudicare possitis, quorum utique interest, vt in communem defensionem alacrius coniungantur, opemque simul conferant; quare singulari fide et studio in Nos Vestro freti, pro certo habemus, vos ex omni parte curaturos, sicut majorem in modum cupimus desideramusque, vti cum prefato Generali Capitaneo Nostro mutuam Intelligentiam et Correspondentiam teneatis, eique quovis modo pro Regni istius Commodo vestrumque omnium tranquilitate et utilitate in omnem Casum auxilio adiumentoque sitis, nec non in iis, que ad eripiendos vos

a presentibus periculis ac necessitatibus, discriminibusque reducendos, in tranquillum statum spectare, accomodaque et vtilia esse videbuntur, omnem possibilem opem viresque, sine difficultate et Impedimento cum effectu prestetis.

Porro de victualibus confidimus Vos eiusmodi prorsus ordinem daturos, qui neque vlli nocumento prouincialibus istis, neque Gentibus nostris grauamini sit futurus, quin potius vtilis et vniversis ad pacem et expeditionis Nostre militibus pro sustentacione tolerabilis. In qua re omnino habendam rationem illorum censemus, qui alioquin facultatibus suis malignitate temporis damna passi sunt et ad angustias quodamodo redacti videntur, ne illius oneris pondere graventur plus quam par sit.

De subsidio vero porigendo, Impositioneque facienda, videtur Nobis presens tempus longe magis aptum esse, vti fiat Contributio, quam quod exspectetur donec necessitas maior vos opprimat. Nam quod deus auertat, si tunc primum cum hostis est pro foribus, remedia illa querere volueritis, serra admodum Colectio erit, credite nobis, Subsidiarum illarum, et non tanta haberi poterit propter Ingruentia mala. Nunc vero longe comodius est, vti congregentur ea in tempore, viaque meliori, quibuscum contra hostes apparatus fieri, periculisque propellendis prospici queat, Id quos Vos ponderaturos plane existimamus, quod si feceritis, non est dubitandum quin in eo Vos ita faciles et promptos exhibebitis, vti nedum nos cupimus, verum vestra propria utilitas exigit, officiumque Vestrum requirit, maxime, cum persuasissimum Vobis esse debeat, Nos Vobis et Regno isti Nostro, omni parterno et benigno auxilio, ope, Juuamine, Subsidioque nostro, in quocumque rerum euentu semper affuturos, et pro defensione adeo Vestra, tamquam fidelium Regnicolarum Nostrorum, tum corpus Nostrum, tum facultates exponere minime dubitaturos. Que vos cum de Nostro in Vos animo propenso in presentiarum ignorare noluimus, tum ad literas Vestras gratiose vobis respondenda duximus. Datum Prage Secunda Maji 1537.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.

---

## 1537. 27. DECEMBRIS. PRAGAE.

*Instructio a Ferdinando I. Rege Commissariis ad diaetam Croaticam, Crisii A. 1538 servatam, deputatis, data.*

Ferdinandus etc.

Instructio de iis, que Egregius Paulus Bornemissa Secretarius Noster et Paulus Posel Heraldus noster, fideles nobis dilecti, super exactione Dice, que in Regno nostro Sclauonie, post Conuentum proxime in Crisij ad festum trium Regum futurum, Nobis offeretur, agere debeant.

Quia in omni functione et rerum administracione fidem et diligenciam seruitorum requirimus. Itaque facta Regnicolarum nostrorum in Conuentu dicti Regni Nostri Sclauonie cum Oratoribus Nostris, quos illo missuri sumus, delibe-

ratione, studebunt id primum prefati Pauli Bornemissa et posel, omni studio et industria, ut dica ipsa fideliter et absque detrimento de omnium bonis administretur; in qua re exequenda, si persone sue minus sufficerent, nec ad omnia loca procurrere soli possent, idque summa Necessitas expostularet, substituant dicatores viros, fide dignos, probos et honestos, accepto ab eis fidelitatis et recte administracionis Juramento, qui dicam ipsam sine fraude et dolo administrent, sed ita, vt quantum possibile est, coram interesse studeant. Volumus autem eam diligentiam et solicitudinem circa hanc administracionem ab ipsis Paulis (sic) Bornemissa et Posel adhibere, ut propria in persona omnia et singula loca perlustrent, Quantitatemque uillarum siue in planicie existant, circumspiciant, et de eis explorent, colonorumque numerum intelligant, ut melius scire possint, quantum de vnaquaque illarum dandum erit dicatoribus; preterea quos quanto minime possunt sumptus conducant et interteneant sua presentia, quo diligentius dicaturam exequantur, audaciam et animi alacritatem plerumque adferant et exhibeant, hortando eos, vt pro temporis condicione, negocium eis comissum fideliter exequantur.

In qua re si impedimentum aliquod interuenerit, ad auertendum illud consilium et auxilium a Capitaneo Nostro generali et duobus Banis petant, quoties necessarium fuerit.

Item Comites et Vice-Comites auctoritate prefati Capitanei et Banorum fidei et officii admoneat sollicite, vt quisquam se circa administrationem dice nostre fideliter gerat, damnum omni diligentia euitet, nec patiatur, ut quisquam in administratione dice inpedimentum vel fraudem committat quoquomodo.

Item Judices Nobilium per eundem Capitaneum et Banos Nostros sub fide astringat, quod quisque eorum in processibus fideliter procedet; timore, fauore et lucro uel priuato commodo suo abiectis, et bona quorumcumque dicatoribus ostendet et non celabit, Idque solum prestare studebit, quod equum et iustum, quodve ad augmentum proventuum nostrorum pertinebit, denique vt omnes proventus ostendent et iuste administrabunt.

Item, ut racio et uia connumerationis uerius dignosci queat, Iidem Judices nobilium iustum computum de singulis colonis, quantum fieri potest, teneant, et una cum regesto dicatorum signatum et sigillo munitum ad Cameram nostram transmittant.

Item studeant ipsi Paulj precauere, ne domini uel nobiles aliquam possessionem uel uillam per se dicent uel dicare audeant, dicata etiam que fuerint earum pecuniam eisdem dominis uel alijs exigere nulla ratione permittant, sed de singulis villis et possessionibus judices villarum, uti per dicatorem connumerabitur, pecuniam exactam per se importare, et ad manus Exactorum nostrorum dare et presentare teneantur, non ad manus dominorum suorum uel officialium, iuxta decreta regnicolarum.

Item inducendi sunt regnicole, ut combusti trium annorum res (sic), in ualore sex florenorum habentes, dicentur, quemadmodum hoc conclusum est alias in dieta posoniensi.

Item finita connumeratione statim omnia regesta dicti Pauli reuideant et exemplum illorum accipiant, ut cognita summa ipsa, que prouenire debet, sciant se commisse solutioni conformare. Quorum etiam regestorum exemplum transscriptum ante ipsam exactionem dice transmittere ad Cameram Nostram debe-

bunt, ut prouentuum integra summa cognita metiri et estimari commode possit, quantum unicuique seruitorum soluendum erit.

Item volumus, vt eam pecuniam, quam exegerint et collegerint, singulo quoque tempore ad manus Blasii Spuler Magistri solutionis presentent, qui commissionem a Nobis nimirum habet, ut eiusmodi pecuniam, pro intertencione Salarii Banorum, eorumque Equitum, nec non pro stipendio gentium, tum leuis Armature quam peditum, ad defensionem Regnorum istorum lustratione facta conductorum et conducendorum, erogare et dispensare debeat, quum quidem nolumus, vt talis pecunia in alios quam diximus vsus conuertatur.

Similiter debent prefati Exactores nostri pecuniam ex Tricesimis, quos hactenus habuit Ludovicus Pewkry, prouenientem, fideliter exigere et ad manus dicti Blasij spuler assignare in vsus prefatos quoque conuertendam.

Reliqua uero, que ad hoc negotium conficiendum pertinere uidebuntur, ea fidei diligentie et jndustrie eorundem relicta et commissa esse volumus.

In quibus nostram omni modo et expressam executuri sunt voluntatem. Datum Prage 27. Decembris 1537.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.

---

## 1537. 27. DECEMBRIS. PRAGAE.

*Ferdinandus I. Rex SS & OO. ad diaetam, Crisii A. 1538 servandam, convocat.*

Ferdinandus etc.

Egregii et Nobiles fideles dilectj. Committimus vobis, ut uniuersis dominis prelatis, Baronibus et Vniuersitati Regnicolarum istius Regni Nostri Croatiae et Sclauoniae, ad festum Epiphaniarum dominj proxime uenturum, dietam generalem ad declarandos Banos Nostros, et ad eligendum Magistrum prothonotarium, in Ciuitate Nostra Crisiensi celebrandam, more solito proclamare ac promulgare debeatis. Aderunt autem ad idem tempus oratores quoque Nostri, quos Crisium missuri sumus. Secus igitur facere non presummatis. Datum etc.

Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.

---

*Constitutiones in Congregatione Generali, universitatis Dom. et Nobilium Regni Slavoniae Anno 1538 Crisii celebrata, editae.* *)

*) Vide in huius Libri Parte III. p. 21. Ferd. I. Decr. III.

## 1567. ZAGRABIAE.

*Maximilianus Rex Articulos, a SS. & OO. Regnorum Croatiae et Slavoniae in Generali eorum Congregatione, A. 1567 Zagrabiae habita, conditos, confirmat.*

Nos Maximilianus Secundus Divina favente Clementia Electus Romanorum Imperator Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Comes Tyrolis. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod fideles Nostri Domini et Nobiles, caeterique Status et Ordines Regnorum Nostrorum Croatiae et Sclavoniae, in eorum Generali Conventu, Maiestatis Nostrae aedicto, ad festum beati Mathei Apostoli proxime transactum, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo, in Civitate Nostra Zagrabiensi celebrato, transmiserunt et praesentarunt Nostrae Maiestati infrascriptos Articulos, in eadem ipsorum Congregatione communibus ipsorum Votis, et unanimi consensu conclusos, supplicantes Nobis humillime, ut universos et singulos Articulos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, nostraque propria Authoritate clementer acceptare, approbare, et confirmare dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium, aliorumque Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in Conventu eorum generali, per Sacratissimam Caesareo et Regiam Maiestatem ad festum beati Mathei Apostoli proxime praeteritum Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo Zagrabiae indicto, conclusi.

Inprimis et ante omnia iidem Status et Ordines, Reliquiae videlicet exiguae dictorum Regnorum, Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati Domino illorum clementissimo fidelia ipsorum servicia summa cum fidelitatis subiectione humillime offerunt, aguntque gratias immortales Sa. Maiestati Caesareae et Regiae, pro eius Maiestatis in tanta calamitate rerum gratia, quod Sa. Caes. et Regia Maiestas Dominus eorum clementissimus, ex pietate paterna Caes. et Regia, fundataque eius erga fideles suos benignitate, qua oppressis fidelibus suis subditis, in Calamitatibus et summis oppressionibus positis subvenire et succurrere dignata est. Signanter vero inter tot alias curas et sollicitudines Suae Caes. Maiestatis post Deum optimum maximum: Quod Reverendissimum ac Spectabilem et Magnificum Dominos Georgium Draskovith, Episcopum Ecclesiae Zagrabiensis ac Consiliarium Suae Maiestatis, et Comitem Franciscum Zluny de Frangepanibus, Segniae, Vegliae, Modrusiaeque Comitem, in dictorum Regnorum eius Maiestatis Banos veluti Caput et defensores elegerit, constituerit, ac per Dominos Commissarios Generosos Videlicet ac Magnificos Stephanum Bannphy de Alsolyndva, Comitem Comitatus Zaladiensis ac Dapiferorum Regalium Suae Maiestatis in Hungaria Magistrum ac Consiliarium, nec non Lucam Zekel de Kewend, liberum Baronem in Ormosd ac Confiniorum Croatiae et Sclavoniae generalem Capitaneum, item Balthasarem de Bathyan, Pyncernam Suae Maiestatis, et Generosum a Teuffenpach etc. gratiose duxerit praesentandos et cognoscen-

dos. Quod Sa. Caes. et Regiae Maiestati ydem Status et Ordines fideles subditi eius Maiestatis non parcendo Personis rebusque quoad vixerint fideliter semper contendent reservire.

Tandem intellexerunt Status et Ordines praescripti Suae Sa. Caes. Maiestatis, medio dictorum Dominorum Commissariorum, eius Maiestatis clementem Commissionem, praefatos Status et Ordines fideles Suae Maiestatis, quantos sumptus, utpote imensos pene ad conservationem Regnorum nostrorum impendat, neque sufficiat id facere deinceps absque ipsorummet auxilio; fideles subditi Sa. Caes. et Regiae Maiestatis Status et Ordines praescripti, iuxta veteranam illorum libertatem et consuetudinem, medietatem subsidii pro anno praesenti per Status et Ordines fidelium suorum Regni Hungariae oblati, se humillime Dicatoribus Suae Maiestatis daturos offerunt. Cum autem Dicatores ipsi, qui sint electi, et ad id deputati, Status et Ordines ignorant, terminusque primus iuxta constitutionem praescriptam Posonii administrandus, medii praescripti subsidii, festum videlicet nativitatis Beatae Mariae Virginis, iam plane praeterierit; nihilominus cum se fideles Status Ordinesque Suae Maiestatis Constitutionibus praescriptis Posoniensibus, iuxta gratiosam commissionem Suae Maiestatis, intellecto ab Oratorum illorum Decreto praescripto, sese conformare curabunt, medietatemque floreni unius ad festum Beati Andreae Apostoli proxime affuturum, pro primo termino ad manus praefatorum Dicatorum Suae Maiestatis, aliam similiter dimidietatem pro secundo termino ad festum Epiphaniarum Domini administrare decreverunt.

Et licet hactenus partes Colapini Comitatus Zagrabiensis ac reliquiae Comitatus Crisiensis, ex benigna concessione Domini Ferdinandi Imperatoris et Regis nostri sanctae memoriae, a contributione omnis subsidii superioribus annis exemptae clementer fuerint, quam etiamnum Status et Ordines Regni servandam esse summis votis optarent, praesertim cum exiguae reliquiae dicti Comitatus Crisiensis non ita pridem insignem a Thurcis acceperint cladem; perpensa tamen periculorum instantium magnitudine atque expensarum Sa. Maiestatis Caes. et Regiae Domini eorum clementissimi mole, qua Suam Maiestatem Caes. per factiosos atque rebelles et per hostes Christiani nominis gravatam esse agnoscunt atque animadvertunt, considerata et perpensa etiam Suae Maiestatis Caes. atque Regiae voluntate, per Oratores praedictos copiose et luculenter proposita, ut sese Decreto atque praescripto fidelium suorum Statuum atque Ordinum Regni Hungariae conformarent, atque obsequenter in exemptionibus praesertim et priuilegiis Monasteriorum atque Ecclesiarum deinde Comitatuum atque Oppidorum etc., a diuis quondam Hungariae Regibus feliciori et tranquiliori rerum statu concessis, proximisque eorum aliquot Conventibus et Comiciis ad pacatiora usque tempora suspensis atque abrogatis, quo Christiani nominis hostis conatus comunibus auxiliis atque subsidiorum collationibus, quatenus fidelium suorum subditorum auxilio fieri possit, remorarentur atque repellerentur, componeret, Status et Ordines Regni decernunt:

Partes quoque ultra Colapim habitas et reliquias Civitatis Crisiensis connumerandas, subsidiumque pro publica defensione communibus votis et Omnium Ordinum atque Statuum bonis oblatum, connumerandum atque exigendum esse, per expressum declarantes, quod in huiusce subsidii administratione neque bona Vicebani, neque Viceprothonotarii, neque Vicecomitum, neque Judlium, neque Notariorum, ac aliorum officialium, qui hactenus praetensa cuius-

dam immunitatis consvetudine, tam subsidium vexillorum bonis Regnicolarum oblatum, quam etiam labores dierum ad finitima loca dare et praestare consvetos hactenus recusarunt, instar aliorum nobilium Regni istius ad pacatiora usque, ut praemissum est, tempora connumerentur, et labores decretos per Regnicolas ad Confinia pro Patriae consvetudine statutis temporibus praestent.

Quia autem satis superque constat, in hoc quoque Regno Sa. Maiestatis Caes. atque Regiae similiter ut in Regno Hungariae superioribus hisce annis plurimas domos et Possessiones ac loca etiam antea Colonis numero frequenti habitata, igne et ferro hostis vastata atque desolata penitus fuisse, Colonosque in plerisque locis diminutos partim, partim vero auctos esse, iuxta Maiestatis Suae Sa. Voluntatem, ut non connumeratio totius Regni fiat, obsequenter consentiunt, Daturosque se operam fidelem, pollucione (?) metu novae connumerationis Coloni ipsorum, maxime in finibus atque vicinio aliarum Provinciarum degentes, perteriti ad tempus migrare a digno praetextu exquisito colore permittant.

Item Sa. Maiestas Caesarea, ubi Status et Ordines dictorum Regnorum clementer hortatur, ut considerata pernecessaria finitimorum Oppidorum, Castrorum, Civitatumque fortificatione ac restauratione, juxta partem ipsorum Dietae Articulos, promissum ac decisum numerum laboratorum de bonis suis dare explereque, eosque, qui hactenus dare eiusmodi laboratores recusassent, sine ulla mora ad praestandum, eo quo loci necessitas postulaverit, per Banos cogi et compelli debeant et teneantur.

Quamvis praefati Status et Ordines fideles Suae Maiestatis non ignorent, huiusmodi finitima Oppida, Castra, Civitatesque in Confiniis extremis dictorum Regnorum posita esse copiosissima, quae omnia, si possibile esset, restaurari et fortificari operae precium esset; neque ipsi Status et Ordines suam denegabunt pro posse operam in restauratione Oppidorum, Arcium finitimarum, unde extremum illis sequeretur periculum: Decreverunt itaque, non parcendo extremae inopiae miserorum Colonorum suorum, ut Oppidum Kaproncza, in maximo periculo positum, ex Comitatu Varasdinensi per duos Processus Judlium, Videlicet Christophori Palffy et Georgii Madarasi, Item ex Processu Joannis Ruskoczy Judlium Comitatus Crisiensis, per Colonos cunctorum Dominorum et Nobilium, Statuumque et Ordinum in praescriptis tribus Processibus bona habentium, fortificetur et restauretur, ita, ut a singulis portis seu fumis laboratores pedestres sex, robora quercina cubitorum duodecim quatuor, item a singulis duabus portis seu fumis Virgultorum Currum bene oneratum unum, ad fortificationem praefati Oppidi seu Civitatis Kapronczensis praestare debeant.

Item Processus Jo. Puhakocy et Christophori Bedekovych, Dominorum Judlium Comitatus Varasdiensis, exceptis bonis Castri Chazarvar, quae ad restaurationem fortalicii finitimi Urboucz, quasi totaliter diruti, deputata sunt, una cum Processu Pauli Flyok, Judlium Comitatus Crisiensis, deputantur ad restaurationem Ivanych finitimi.

Item Processus Mathiae Raskay et Thomae Mikulych, Dominorum Judlium Comitatus Zagrabiensis, deputantur similiter ad restaurationem Ivanych, ad praestandum tam laboratores pedestres, quam robora quercina et Currus Virgultorum, modo et ordine omnino superius declarato et conscripto.

Qui praescripti conductores roborum, ad municionem Ivanych deputati, Asseres in pertinentiis Bosyako coemptos ad praefatum Ivanych deduci et devehi debeant.

Bona Capituli Ecclesiae Zagrabiensis, inter fluuios Zavum et Colapim habita, deputantur ad municionem Castri illorum finitimi Zyzek.

Reliqua omnia et universa bona cunctorum Dominorum et Nobilium Statuumque et Ordinum praefatorum Comitatus Zagrabiensis, inter praefatos fluvios Zavum et Colapim existentia, modo et ordine superius declarato et conscripto, deputantur ad municionem Castri finitimi Hraztowycza.

Item Bona Abbatiae, cis et ultra Colapim existentia, laborent in praefato fluuio Colapym, usque ad Thopozka, una cum bonis Oztrosyn ac Mathiae Dely, Joannis Horwath, Joannis Sulberay, Grabute Klynchychy et Lychkovychy, iuxta limitationem superiorem factam.

Bona Domini Comitis Georgii Zryny, Pertinentia Castrorum Ozal et Dubovacz, nec non pertinentia Castri Zthenychnyak, Dominae Palatinissae, cum universis bonis Nobilium ibidem circum vicinorum, iuxta limitationem superiorem factam, modo et ordine superius declarato et conscripto, deputantur ad restaurationem et municionem Castri et Oppidi omnino diruti Czethyn in Croacia et erectionem novi Prezek fortalicii in fluvio Glyna erigendi.

Item Bona Domini Stephani Ozalzky de Frangepanibus, pertinentiae Videlicet Castrorum Suorum Novy, Zwecchay, Rybnik et Lyppa, nec non pertinentiae Castri Bozylyevo Domini Nicolai Thersacky de Frangepanibus, iuxta limitationem superinde factam, modo et ordine superius declarato et conscripto, deputantur ad munitionem Castri Thersath in Croatia.

Terminus vero restaurationis praescriptorum oppidorum, fortalitiorum et Arcium finitimarum, ut labores praescripti inchoentur et continuantur, una cum conductura lignorum ac Virgultorum, praefixus est feria secunda proxima post festum beati Francisci Confessoris proxime affuturum.

Praefecti autem laborum praescriptorum electi et deputati sunt per Status et Ordines Regni; ad munitionem Civitatis Capronczae Joannes Ruskoczy, Judex Nobilium Comitatus Crisiensis, et alter Judex dictus Civitatis Capronczensis: Quibus Dominus Generalis Capitaneus hominem suum ad id sufficientem adiunget.

Ad munitionem vero et restaurationem Ivanich deputatus est Dominus Joannes Forchych, Vicebanus, cum Stephano literato Ladomerio.

Ad munitionem Castrorum Hraztowycza et Zyzek Dominus Zlwny Banus superintendet.

Ad Prezekam vero nouum fortalicium in Glyna erigendum deputatus est Wolfgangus Byczy.

Similiter ad munitionem Castri et Oppidi Czethyn praefatus Wolfgangus Byczy superintendet.

Item ad munitionem Castri Thersath Praefatus Dominus Nicolaus Tersachky superintendet.

Qui praescripti laboratores eundo vel redeundo et ibidem quoque Vicinis miseris Nobilibus et Colonis ne aliqua damna inferant, secus vero faciendum per praefectos laborum severe puniantur.

Ad custodiam vero miserorum Colonorum et laboratorum praescriptorum Domini Bani cum Domino Generali Capitaneo mutua habita intelligentia tam in Sclavoniae quam in Croatiae Confiniis providere faciant.

Qui vero ex Dominis et Nobilibus Statibusque et Ordinibus praescriptis laboratores, in Generali Conventu anni proxime praeteriti ad fortificationem lo-

corum finitimorum non praestiterunt, accepta a praefectis laborum extradata, ut a Viceprothonotario regni Litteris praeceptoriis sub Sigillo regni, more in talibus semper observari solito, per Vicecomites et Judlium per omnia oportuna remedia statim et de facto ad praestandos praescriptos laboratores, eo quo deputati fuerint, et praesertim ad Hrasztowycza compellantur.

Quantum vero ad pernecessariam Victualium contributionem ad usum rei bellicae, in anni Millesimi Quingentesimi Sexagesimi septimi Regni huius Sclavoniae Conventu impositam, attinet, qui ea non praestiterunt, Vicecomites et Judices Nobilium praefati, accepta extradata a Magistris Victualium, cum litteris perceptoriis Regni, ad praestanda statim compellantur.

Quae Victualia vnusquisque Statuum et Ordinum Regni per eosdem Zagrabiam vel Varasdinum administrata, ex Varasdino Kapronczam, ex Zagrabia vero ad Ivanych deduci faciant. Et si quae ex eisdem Magistri Victualium vendiderunt vel vendiderint, loco talium frumentorum nova coëmant pro futura necessitate finitimarum arcium.

Item quod publica constitutione certum precium omnium victualium decidatur, ne tam militaris conditionis hominibus, quam iis quoque, qui ea vendiderint, Iniuria et damnum inferatur. Status et Ordines huiusmodi limitationum Victualium, ut Judices Civitatum et locorum finitimorum una cum Capitaneis, qui in eisdem locis stationes habuerint, ad id deputandis, qui iuxta temporis conditionem Victualia ipsa omnis generis aestiment et venumdari faciant militibus. Qui vero victualia ipsa a miseris Colonis vi raperent extra forum, tales raptores statim pro prima et secunda raptura per Capitaneos verberibus puniantur, et damnificati ex stipendiis illorum contententur, pro tertia vero stipendiis priventur et ejiciantur. Qui Capitanei, ut miseros Colonos, Victualia praefata administrantes, a raptu hostium praecustodient.

Vniversi vero Domini et Nobiles Statusque et Ordines locis finitimis viciniorum per Colonos ipsorum Victualia, quae vendi poterint, administrare comittant; ne autem a talibus Colonis victualia praefata ad loca finitima administranda Tricesimas et Thelonia extorqueant, sed libere ea perferant et vendant.

Status et Ordines id quoque aequum esse censent, ne victualia extra Regnum divendantur, et efferantur per quosvis; cum autem Reliquiae perscriptae Regni nullas fodinas salium habent intra Regnum, sed salibus maritimis uti coguntur, pro necessitate huiusmodi sales pro frumento mutare valeant. Praeemptoriis vero victualium iuxta Constitutiones publicas Conventus Posoniensis Anni MDLXIII. puniantur.

Item quod absque scitu Dominorum Banorum ac Capitanei Generalis nemo Captiuos et Internuntios intromittere in Thurciam audeat. Status et Ordines ipsi decernunt, quod si quis contra egisse inventus, vel aliquis captiuus, qui insciis Dominis Banis vel Domino Capitaneo Generali ingressus fuisse deprehensus fuerit, is de facto capi; si fuerit alicuius ex Regnicolis, sub iurisdictione Dominorum Banorum existentibus, Dominis Banis, si vero sub Capitaneatu Domini Generalis Capitanei, ipsi Domino Generali, una cum rebus allatis, assignari et perduci in quem locum citius poterit, deceat.

Si denique aliqui ex Regnicolis et militibus, qui internuntiis vel literis occulta fama tenerent, comperti fuerint, vel qualitercunque litteras in Thurciam sine scitu Dominorum Banorum et Domini Generalis Capitanei miserint vel dederint,

per Dominos Banos et Dominum Generalem Capitaneum animadvertantur, tanquam proditores fidei christianae puniantur.

Similiter et illi animadvertantur, qui captiuos suos ad fideiussionem caeterorum concaptivorum Thurcarum ex carceribus emittere, et passim de foro in forum ex uno loco in alium permittere consveverunt. Sicuti et in Civitatibus id fieri consvevit, ut Thurcae per plateas libere diuagentur, ut tales captiui, modo superius declarato et decreto, Dominis Banis vel Domino Generali Capitaneo libere in Civitatibus Iudices Comitatuum, extra Civitates vero quicunque illos deprehendere poterit, deducantur.

Stabula quoque in Ciuitatibus, ut Crisii, Kapronczae, Varasdini, Zagrabiae aliisque locis finitimis per milites prius aedificata, et ex parte maiori per ipsos Cives demolita, iterum per eos reedificentur et per Indices Comitatuum et locorum finitimorum reedificare cogantur, ut milites ipsi in suis stationibus residere et persistere possint, et ut usque festum Beati Andreae Apostoli proxime affuturum reparare sub solitis remediis compellantur.

Vt autem Status et Ordines praescripti equites continuos instar regnicolarum Regni Hungariae intertenerent. Cum Regnicolae praefati fideles subditi suae Sa. Caes. Maiestatis a singulis quinque fumis pixidarium peditem unum, et a viginti portis seu fumis Equitem bene armatum unum semper paratos tenere debent, et quam primum Domini Bani inservit pro defensione Regni, eo quo necessitas postulaverit, sine mora transmittere tenentur: Supplicant Status et Ordines praescripti Sa. Caes. Maiestati Domino illorum clementissimo: Quum nunquam illis in usu fuerit, ut huiusmodi continuos Equites intertenerent, nunc quoque ad ea sufferenda ne compellantur. Nam et alioquin numerus huiusmodi continuorum Equitum ultra quam credi posset minimus esset.

Terminus celebrandorum Iudiciorum octavalium, iuxta Constitutionem Dietae Posoniensis proxime praeteritae, decretus est ad festum Epiphaniarum Domini, ut sine intermissione per integros triginta duos dies, exceptis festivis diebus, Zagrabiae, vel ubi Domini Bani iudicia ipsa celebranda Regnicolis publicaverint, iuxta seriem et antiquitatem causarum celebrentur. Ad quem terminum Magister Damianus, Prothonotarius Regni, per literas sub sigillo Regni emanatas vocandus est, ut tempestive veniat.

Cum autem Assessores Sedis Judiciariae Regni huius Sclavoniae certi defuncti sint et pauci superstites remansisse videntur, decretum est, ut in termino praescripto Judiciorum Jurisperiti Nobiles ex regnicolis ad id benemeriti eligantur, qui coram Dominis Banis in sede Judiciaria Regni solitum Juramentum praestare debebunt.

Judicia tamen brevia Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis more alias consveto hic Zagrabiae per Vicebanum, Viceprothonotariumque Regni, et Judices Nobilium praescriptorum Comitatuum, ac alios iuratos Assessores propter pluralitatem Causarum in quatuor terminis, singulis videlicet Angariis pro uno termino per continuos quatuor dies iudicentur, et tandem suis modis debitae quoque executioni demandentur.

Intellexerunt praeterea Status et Ordines praescripti, fideles subditi Suae Caesareae Maiestatis, indictionem et publicationem Dietae seu Coventus horum Regnorum instar Regni Hungariae sibi reservasse. Cum autem Statibus et Ordinibus Suae Sacrae Caesareae Maiestatis fidelibus libertati apertissime id derogare videtur, neque horum Regnorum conditio

cum Hungaris conferenda sit, maxime cum Maiestas sua in Hungaria frequentius personaliter existat, huc vero Reges Hungariae aut nunquam aut admodum raro venire soleant, sed omnia per medium Banorum et Officialium suorum peragere soleant et dignentur: Idcirco supplicant humillime, Maiestas sua Caesarea! ingruente summa necessitate Regnorum istorum, huiusmodi Conventum Dominis Banis, instar aliorum Banorum tempore Divorum Regum Hungariae praedecessorum Suae Maiestatis Caesareae, libere judicare et pronunciari facere clementer admittat, hoc sibi clementer persvadendo, quod neque ipsi neque Regnum praescriptum aliud pro rato sint habituri, nisi quod per Suam Sacratissimam Maiestatem clementer fuerit confirmatum. Quemadmodum Sacra eius Maiestas Caesarea ipsos Banos in veteri consvetudine, indicendae regnicolis illorum Regnorum Suorum Dietae, clementer conservare velle sese benigne obtulit, dummodo semper a Banis ipsis hac de re prius admoneatur, et quarumnam rerum tractandarum causa Generalis ipsa Dieta indicanda sit, edoceatur.

Item conclusum est, ut Domini Bani per Litteras eorum praeceptorias gentes cunctorum Statuum et Ordinum praescriptorum, postulante necessitate, contra hostes, iuxta priores constitutiones Regni, levare et insurgere facerent, tam ad Generalem quam ad particularem expeditionem, iuxta constitutiones Posonienses, authoritatem plenariam habeant.

Item dum Domini uterque Banus unanimi voto decreverint, ut Egregius Joannes Forchych pro Vicebano utriusque Domini Bani vnus et idem, Sigillum quoque authenticum Judiciale apud manus Joannis Petrichevych Viceprothonotarii Regni habitum, sub insigniis utriusque Domini Bani exculptum, ad sigillandum juridicos processus, in absentia Magistri Damiani Prothonotarii ex hoc Regno Sclavoniae, per Status et Ordines Regni recognoscuntur, id regnicolae praefati communi omnium voto admittunt.

Tandem in absentia Domini Comitis Zluny Bani, et Viceprothonotarii Regni, ad querelas Regnicolarum Dominus Reverendissimus Episcopus et Banus, sub sigillo suae dominationis annulari et manus propriae Subscriptione literas praeceptorias emanari facere et extradare possit et valeat; quae semper rite et firme per Status et Ordines praescriptos acceptentur et habeantur.

Procuratores omnes tam in Comitatibus huius Regni Sclavoniae, quam in generali celebratione Judiciorum Regni nonnisi prius praestito Juramento, iuxta constitutionem Posoniensem proxime praeteritam, procurare valeant. Prout et in Hungaria Juramenta ipsa per Procuratores praestanda decreta sunt, et quemadmodum pro termino Octavi diei festi Beati Michaelis Archangeli proxime affuturum Posonii in Generalibus Judiciis Regni Hungariae in praemissis observatum fuerit.

Statutum praeterea est, ut Comissarii iuxta constitutionem publicam, in proximo praeterito Generali Conventu Posoniensi aeditam, ad singulos Comitatus horum Regnorum duo decernantur Commissarii; Quibus singulis Commissariis Dominus Generalis Capitaneus unum specialem suum Commissarium adiungere velit: qui per capitaneos et milites Stipendiarios Sa. Maiestatis Caes. in Confiniis tam Croatiae quam Sclavoniae commorantes, faciant veram et omnimodam medio Vicecomitis et Judlium inquisitionem de damnis, Caedibus, stupris, violentiis, aliisque maleficiis, ubicunque factis et patratis. Similiter si aliqui ex Regnicolis vel eorum Subditis quispiam violentiarum contra praefatos Capitaneos

et milites patraverint, eam vero inquisitionem Commissarii candide et sincere ac fideliter Dominis Banis et Domino Generali Capitaneo quam primum proponant, qui habito mutuo tractatu de rebus per Commissarios repertis, deliberent, et eos qui merebuntur, ablato a Capitaneis malefactoribus, si qui reperti fuerint, officio, Sua Maiestas Caes. severe puniat, et de illatis damnis satisfactionem per suos impendi faciat. Ad avertenda tamen huiusmodi militum facinora plurimum momenti adferet, si Maiestas Caes. cumprimis clementer curabit, ut tam Capitaneis, quam milititibus, continue et expedite imposterum solutiones fiant. Ad quam Provinciam obeundam Commissarii infrascripti videlicet electi sunt.

Ad Comitatum Varasdiensem: Egregii Franciscus Gregoroczy et Gaspar de Druskoucz Notarius Sedis Comitatus Varasdiensis. Ad Comitatum vero Zagrabiensem: Egregii Joannes Beryzlavych et Mathaeus Literatus Zalothnoky. Ad partes vero Transcolapinas Croatiae: Egregii Wolfgangus Gyczy et Gaspar Perney. Ad Comitatum autem Crisiensem Dominus Vice-Banus Regni et Joannes Ruskocy Judlium Comitatus Crisiensis. Qui Commissarii electi et deputati ad Comitatum Varasdiensem, Varasdini, ad vero Zagrabiensem Comitatum, Zagrabiam, ad partes autem Transcolapinas, ad Oppidi Zthenychnyak, ad Comitatum vero Crisiensem ad Bykzad convenire, et in locis praescriptis ad festum Beati Martini Episcopi proxime affuturum praesentes esse debeant. Qui omnes praescripti Commissarii Regni super fideli illorum in praemissis executione, coram Dominis Banis et Domino Generali Capitaneo Juramentum praestent, interim autem Judlium dictorum Comitatuum miseros nobiles Statusque et Ordines Regni in eorum processibus existentes de adventu et termino locisque praescriptorum Commissariorum ubique certificent. Et si qui ex miseris Nobilibus, praepediti inopia vel infirmitate, in praesentiam dictorum Commissariorum accedere non possent, talium damna, per milites illata, Vice-Comites et Judlium Nobilium fideliter resciant, ac Commissariis praescriptis sub Juramento referant.

Supplicant Status et Ordines praescripti Sa. Caes. et Regiae Maiestati humillime, ut sua Sa. Maiestas iuxta clementem oblationem, in proxime praeterito Conventu Posoniensi factam, ex voluntate et gratiosa annuentia ad id Serenissimi Principis Archiducis Caroli Domini Nostri clementissimi, metas inter Carnioliam vel Caryntiam et Styriam ac inter Sclavoniam revideri facere per Maiestatis Suae Caes. speciales Commissarios dignetur.

Item vt in Oppida et quevis loca finitima quorumvis Dominorum et Nobilium Regni, exceptis Castris Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum, nisi qui illos ultro immittere vellent, Capitanei et milites stipendiarii Caes. Maiestatis, tam Equites quam Pedites, ad Residen. contra insultus hostium immittantur. Secus vero facientes per Dominos Banos animaduertantur. Capitanei vero praefati et milites in huiusmodi finitimis locis residentes, ne Dominis et Nobilibus Regni ac miseris Colonis illorum damna inferant, sed stipendiis suis sint contenti, et omnia necessaria sibi ipsis pecuniis emant.

Caeterum ex querelis certorum Regnicolarum manifestum Statibus et Ordinibus extiterit: Colonos rebellione ductos certorum Dominorum et Nobilium, in hoc Regno Sclavoniae bona habentium, Dominis illorum proventus et debita servicia praestare nolle, quin potius catervatim contra Dominos suos Terrestres rebellantes: Decretum est, ubicunque locorum tales rebellantes Coloni quorumcunque Dominorum vel Nobilium de caetero reperti fuerint, tales statim et de

facto per Dominos Banos et Comites ac Vice Comites Comitatuum puniantur. Si vero Domini illorum in veteranis libertatibus Colonos suos conservare vellent, habent libertatem, iuxta constitutiones publicas et Articulos superinde aeditos, ad bona aliorum per solitam denunciationem et licentiam se conferendi.

Supplicant praeterea Status Ordinesque praescripti Sa. Caes. et Regiae Maiestati Domino illorum clementissimo humillime, ut praescriptos Articulos eodem Conventu, communibus ipsorum votis ac pari et unanimi consensu conclusos, ac universos et singulos eos Articuolos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos et acceptos habere, Suumque Regium Consensum illis praebere, authoritateque sua Regia clementer acceptare, approbare, et confirmare, ac Statibus et Ordinibus fidelibus suis praescriptis quam primum clementer remittere dignetur. Datum Zagrabiae feria sexta proxima post praescriptum festum Beati Mathei Apostoli, ultimo videlicet die Conventus praenotati. Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo.

---

Nos igitur praemissa supplicatione fidelium subditorum nostrorum, Dominorum et Nobilium caeterorumque Statuum et Ordinum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae clementer admissa, praedictos universos et singulos Articulos praesentibus Litteris nostris de verbo ad verbum inseri et inscribi fecimus. Eos denique ac omnia et singula in iis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, eisdemque Regium nostrum consensum benivolum pariter et assensum praebuimus, illosque et quaevis in eis contenta authoritate nostra Regia acceptavimus, approbavimus, ratificavimus, et confirmavimus, Imo acceptamus, approbamus, ratificamusque et confirmamus; Harum nostrarum vigore et Testimonio Literarum. Datum in Civitate Nostra Vienna penultima die mensis Novembris Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Septimo. Regnorum Nostrorum Romani quinto. Hungariae et aliorum quarto. Bohemiae vero decimo nono.

Maximilianus m. p.

(L. S.) Joan. Listhius m. p.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1568. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis SS. & OO. Zagrabiae A. 1568 servati Conventus.*

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum Regnorum Croaciae et Sclauoniae in Conuentu eorum generali per Dominos Banos, pro festo Cathedrae Beati Petri Apostoli proxime praeterito Anno Domini 1568 in ciuitate Regia Zagrabiensi indicto, conclusi.

Imprimis praefati fideles Regnicole, Vniuersitas scilicet dominorum et Nobilium, aliorumque Statuum et Ordinum, reliquie videlicet predictorum Regnorum

Croatiae et Sclauoniae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati, domino ipsorum clementissimo, fidelissimis ipsorum seruitijs humilima cum subiectione reseruire curabunt. Quod Maiestas Caesarea et Regia, dominus illorum semper clementissimus, Articulos praescriptorum fidelium suorum, in Conuentu eorum generali, pro festo Beati Mathei Apostolj proxime praeterito, ex edicto suae Sacratissimae Maiestatis, Zagrabiae celebrato, conclusos, licet Immutatis certis Articulis in eisdem contentis, dicam suae Sacratissimae Maiestatis, et Exemptiones partium Transcolapionarum, ac Reliquiarum Comitatus Crisiensis, nec non Officialium, vtpote Vicebani et aliorum, horum Regnorum concernentium, clementer acceptare, approbare et ratificare, suumque Regium consensum illis praebere dignata est, perpetua cum fidelitate reservare contendunt.

Supplicant nihilominus praefati fideles Status et Ordines praescriptarum reliquiarum dictorum Regnorum suae Sacrae Majestati: Imprimis considerata Sua Sacra Maiestas summa inopia illarum exiguarum Reliquiarum Comitatus Crisiensis, quae in horas in faucibus existit hostium, neque pluribus in locis domos miseri Coloni per Noctes inhabitare audent, sed exorto Sole ex fortalicijs, tamquam ex Cavernis, prodeuntes, horis vesperarum a raptu hostium, tamquam vnguibus austuris formidantes, iterum in tuguriola in fortalitijs, in arboribus constructis, pro defensione vitae et familiae recurrunt, et sic miserimam in dies ducunt vitam. Similiter partes quoque Transcolapinae hostium excursionibus ex parte Krwppae, nuper ammissae, potissimum hostium praedae dies noctesque expositae sunt, et id quod habere videntur, non habent, solaque antiqua libertate et Exemptione gaudentes, pacatioraque tempora exspectantes, magno vitae rerumque suarum discrimine, in illis partibus omnem fortunam experiuntur, summisque cum suspiriis deum orant, ut illa ad tempora perveniant. Sacra sua Maiestas, considerata Benignitate dej omnipotentis, parcere dignetur miserrimis reliquiis praedictis fidelium suorum subditorum, ne onerentur huiusmodi insolita Connumeratione et Exactione dicae.

Similiter, praefati fideles subditi Status et Ordines maiori quo possunt obsequio supplicant Sacrae Maiestati Caesareae et Regiae, domino illorum clementissimo, considerata perpetua fidelitate fidelium Subditorum suorum Statuum et Ordinum praescriptorum, qua a primordio Regiminis diuorum Regum Hungariae constantissime praedecessoribus suae Sacrae Maiestatis, et Maiestati quoque Caesareae et Regiae, in omnibus mandatis et clementissimis exhortationibus obtemperaverint, contra perpetuam libertatem et felicem Consvetudinem Regnorum istorum, ne sua Sacra Maiestas Taxa sua Regia fideles suos seruitores et Subditorum suorum Statuum et Ordinum praescriptorum Vicebanum, Viceprothonotarium Regni, Vice-Comites, Judicem, Notariosque aggravari permittat; qui semper et in perpetuum in salarium suorum seruitiorum Regibus Hungariae et hijs Regnis Exemptioni huiusmodi gauisi sunt et libertati, neque jam aliquis Nobilium in hijs exiguis reliquiis et etiam cum summa assecuratione libertatis praescriptae dictorum Statuum et Ordinum jnueniri potest, prout omnes praescripti officiales Sigilla illorum dominis Banis resignare volebant. Quae omnia simul conputata vix facerent florenos Centum. Ex hinc sequeretur, quod Judicia Regni, per dictos officiales celebrari solita, et insurrectio contra hostes, per quos fieri debet, inexequuta manerent. Quod sperant praefati fideles subditi Status et Ordines suae Sacrae Maiestatis, et si Maiestas sua Sacra Exemptionem ipsam partium Trans-

colapianarum et Comitatus Crisiensis ac dictorum officialium clementer admiserit, Exemptionibus et decretis Regni hungariae quicquam derogabitur.

In reliquis vero partibus, alias dicari solitis, huius afflicti Regni Sclavoniae, iuxta Constitutionem posoniensem Nouam Connumerationem obsequentissime ijdem Status et Ordines fiendam esse admiserunt, dicatoresque Majestatis suae Caesareae sine aliqua mora cum infranominatis iuratis Nobilibus ad dicandam exmittere decreuerunt.

Ad quam Prouintiam obeundam, penes Dicatorem suae Sacratissimae Majestatis, in Comitatu Zagrabiensi Egregium Moysem Homzky, iuratum Nobilem dicti Comitatus, fideles Status et Ordines praescripti Comitatus Zagrabiensis, in Expensis eorum propriis, iuxta Constitutiones Posoniensis Conuentus proxime praeteriti elegerunt et constituerunt.

In Varasdinensi vero Comitatu similiter penes Dicatores suae Sacrae Majestatis Egregius Caspar Drwskoczy, Juratus Nobilis, modo praedeclarato est electus et deputatus.

Quoniam autem Ciues Civitatum liberarum suae Sacrae Majestatis, videlicet Varasdinensis, Zagrabiensis et Crisiensis, in confinijs reliquiarum praefati Regni Sclauoniae adjacentium, in praesenti generali Congregatione exhibuerunt litteras preceptorias suae Sacrae Maiestatis, superposita ad easdem Ciuitates pro anno praesenti ingenti taxa, summam videlicet ad Ciuitatem Varasdinensem florenorum Mille, Zagrabiensem, quasi omnino jam desolatam, florenorum Mille, ad Crisiensem vero in extremis confinijs positam, florenos Octingentos hungarici numeri; supplicantes Statibus et Ordinibus praefatis, ut ipsi fideles suae Sacrae Majestatis, visa et condigna inopia dictarum liberarum Ciuitatum, apud suam Sacram Maiestatem humiliter supplicarent, vt tam ingenti summa eos onerare ne admitteret graciose, quum certum est, antefatos Ciues Varasdinenses ingentes labores singulis annis pro fortificatione ipsius Ciuitatis Varasdinensis sufferre, antefati vero Ciues Zagrabienses potissimum tales intollerabiles taxas sufferre non praeualentes, Mansionibus et haereditatibus in ciuitate ipsa existentibus valedicentes, ad bona Nobilium migrare coguntur.

Cum autem propter grassationem pestis Magister Damianus, Prothonotarius Regni, ad terminum praefixum, festum videlicet Epiphaniarum domini proxime praeteritum, ad celebrationem Judiciorum Octaualium Zagrabiam, locum videlicet per dominos Banos ad id statutum, venire non potuit, Status et Ordines decreuerunt, vt praefatus Magister Damianus ad festum Sanctissimae et Individuae Trinitatis proxime venturum veniat vel autem officium prothonotariatus Regnicolis resignet, et sic Zagrabiae, vel vbi domini Bani ea celebranda publicauerint, sine intermissione, per integros Triginta duos dies, exceptis festiuis diebus celebrentur. Ad quorum quidem Juditiorum celebrationem electi sunt Assessores Magnificus petrus Rathkay, item duo ex dominis Capitularibus Ecclesiae Zagrabiensis, ac Egregii Ambrosius Gregorianczy, quando Judicijs ipsis interesse poterunt, alii vero similiter continui jurati Assessores electi sunt, videlicet Casparus Drwskoczy, Mathias Chernkoczy, Christophorus Sysynaczky, venerabilis Joannes Presbiter Krapinensis, et Moyses Homsky, et qui prius non essent jurati, in Sede ipsa Judiciaria, coram dominis Banis solita juramenta praestare debebunt.

Iidem etiam fideles subditi suae Sacrae Caesareae et Regiae Majestatis Status et Ordines praefati intermittere noluerunt, Quin de munitionibus locorum

finitimorum, et pro praesenti vrgente necessitate postulantes non concluderent, potissimum vero, quum propugnaculum aut pars una Castri Kapronczensis omnino demolita et dirupta esse dicitur.

Nichilominus ad exhortationem Magnifici domini Lucae Zekell, generalis Capitanei suae Sacrae Caesareae Majestatis, ijdem Status et Ordines laboratores et robora cum virgultis, in proxime praeterito Conuentu ipsorum ad munitionem Oppidi Kaproncza, et similiter Ivanych et Hrasthowicza deputatos, qui eos usque in praesentem terminum non administrauerunt, per omnia oportuna remedia ac solita Birsagia, usque decimum quintum diem administrandos esse decreuerunt. Et qui in Comitatu Varasdinensi ex processibus Cristophori Palffj et Georgii Madaraz Judlium eiusdem Comitatus Varasdiensis ad fortificationem dicti Oppidi Kaproncza robora non praestiterunt, tales omnes vsque ad decimum quintum diem a data praesentium iuxta proxime praeteritae dietae conclusionem, robora longitudinis non duodecim sed quatuordecim cubitorum ad restaurationem dicti Castri Kaproncze, vna cum laboratoribus praestare commissis, administrare debeant. Quia autem nonnulli ex dictis Statibus et Ordinibus forent, qui robora ad munitionem Ciuitatum et fortalitiorum suae Sacrae Maiestatis necessaria in eorum Syluis succidi prohiberent et non admitterent:

Iidem Status et Ordines juxta Conclusiones et Conuentus Posonienses Anni Millesimi Quingentesimi Sexagesimi tercij, tempore videlicet felicissimae Coronationis suae Sacrae Maiestatis, conclusos, nunc quoque decernunt, ut huiusmodi robora, non tantum ex unius vel alterius, sed in cunctorum dominorum Magnatum et Nobilium Syluis circumvicinis, ad fortificationem et munitionem dictarum Ciuitatum et Castrorum necessariam, succidere possint atque valeant.

Iidem Status et Ordines fideles suae Sacrae Maiestatis subditissimi intellexerunt, quemdam insignem et satis expertum Militarem virum Thomam Klarych dictum, per Spectabilem et Magnificum Dominum Comitem Franciscum Zlwny Banum, ad Mandatum suae Sacrae Maiestatis, pro nonnullis delictis et excessibus in partibus maritimis, ut dicitur, esse captivatum. Quum autem dictus Thomas Klarych, in Confiniis suae Sacrae Maiestatis, in Castro et Ciuitate finitima Hrazthowycza commorans, inter ceteros milites non sit, quam infimae Conditionis, ac quasi primus inter illos milites esse reputatur, ijdem Status et Ordines supplicant suae Sacrae Maiestati, domino eorum Clementissimo, dignetur ex sua pietate paterna et Regali Munificentia, qua erga suos fideles se extendere dignata est, prefatum Thomam Klarych, apud prefatum dominum Banum captum, gratiose eliberatum reddere, ut et ipse miserimae huic patriae inter caeteros milites suae Sacrae Caesareae Maiestati fidelia sua Seruitia prestare valeat.

Quum autem domini et Nobiles, Statusque et Ordines praescripti, non sine maxima animi grauitate et dolore Sacrae Caesareae et Regietati humillime conqueruntur, Qualiter Tricesimatores suae Sacrae Maiestatis in hoc Regno Sclauoniae Constituti, contra apertissimas libertates dictorum Statuum et Ordinum, de rebus ad domos et familiam propriam illorum, gratia quotidianae necessitatis, in nundinis et foris emptis vel venditis, insolitas et prius inauditas Tricesimas extorquere non cessant: Status et Ordines praescripti Sacrae Caesareae et Regietati, domino illorum clementissimo, suplicant humillime, dignetur sua Sacra Majestas, habita ratione libertatis fidelium suorum, huiusmodi insolitas Exactiones Tricesimarum abrogatas committere gratiose.

(In margine sequitur). Quemadmodum Sacra eius Maiestas sese id clementer etiam facturum obtulit, dummodo sub praetextu domesticae libertatis per dominos et Nobiles aliquid questus et lucri gracia in Regnum non inducatur vel educatur.

Decernunt finaliter ijdem Status et Ordines praescripti, ut dominus Reuerendissimus Episcopus Zagrabiensis et Banus, suos transmittat Commissarios, qui ubique in cunctis bonis dominorum Magnatum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum, Ecclesias Parochiales visitent, inquisitionemque faciant, et ubi per dominos et Nobiles Bona aliqua, Veteranis temporibus per priores Patronos ad easdem Ecclesias collata, tandem vero per Successores eorundem adempta reperierint, ea omnia sua serie denotata praefato domino Reuerendissimo Episcopo et Bano perferant, suaque dominatio Reuerendissima prouideat: ne Ecclesiae Dei, amissa sua dotatione per huiusmodi Immeritam ademptionem Bonorum, in ultimam deveniant desolationem.

(In margine sequitur.) Postquam tamen Commissarij istiusmodi statum eiusmodi bonorum ab Ecclesijs alienatorum cognoverint, remque ad dominum Episcopum Zagrabiensem retulerint, Idem de Commissionis facte serie, priusquam de restitutione bonorum suis Ecclesiis fienda prouideat, Sacram Maiestatem Caesaream edoceat, et restitutio cum scitu et approbatione Maiestatis fiat.

Supplicant praeterea Status et Ordines praescripti Sacrae Caesareae Regiae Majestati, domino illorum clementissimo, humillime, ut praescriptos articulos, in eadem Congregatione, communibus ipsorum votis, ac pari et vnanimi Consensu conclusos, omniaque et singula in eis contenta, ratas, gratas et accepta habere, suumque Regium consensum illis praebere, auctoritate Sua Regia clementer acceptare, approbare, et confirmare, ac Statibus et Ordinibus fidelibus suis praescriptis quam primum remittere clementer dignetur. Datum in Ciuitate Regia Zagrabiensi, feria tercia proxima post praescriptum festum Cathedrae Beati Petri Apostoli, tercio scilicet die Congregationis praenotatae. Anno Domini Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Octauo.

**Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi et in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1568. 5. MAJI. VIENNAE.

***Maximilianus Rex Articulos Generalis Congregationis, A. 1568 Zagrabiae celebratae, confirmat.***

Nos Maximilianus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniversis. Quod fideles nostri Domini Praelati, Barones, Nobiles, caeterique Status et Ordines Regnorum nostrorum Croatiae et Sclauoniae, in generali eorum Conuentu, pro festo Cathedrae beati Petri Apostoli presentis

anni Millesimi, Quingentesimi Sexagesimi octaui, in ciuitate nostra Zagrabiensi celebrato, et per eorundem Regnorum nostrorum Banos indicto congregati, miserunt ad nos humiliter infrascriptos Articulos, in eodem Conuentu communibus ipsorum votis conclusos, supplicaueruntque nobis humiliter, vt omnes et singulos articulos ipsos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, nostrumque Regium consensum eisdem praebentes, acceptare, approbare et confirmare, atque tam nos ipsi obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, observari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum (ut supra) Nos igitur premissa supponere fidelium nostrorum, dominorum prelatorum, Baronum, Nobilium, ceterorumque Statuum et ordinum dictorum regnorum nostrorum Croatiae et Sclauoniae, clementer admissa, praescriptos Vniversos et singulos articulos, modo premisso nostrae Maiestati missos et presentatos, praesentibus literis nostris de verbo ad verbum inseri et inscribi fecimus, eosdemque, ac omnia et singula in eisdem contenta, ratos, gratos et accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum beneuolum pariter et assensum prebuimus, illosque auctoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, et confirmauimus, offerentes nos clementer, quod premissa omnia tam nos ipsi firmiter obseruabimus, quam per quosvis fideles subditos nostros obseruari faciemus, Imo acceptamus, approbamus et confirmamus, harum nostrarum vigore et testimonio literarum. Datum Vienne die quinta Mensis May Anno 1568. Regnorum etc.

**Originale in c. r. secreto Archivio Viennensi.**

---

## 1569. DIE 2. JUNII. VIENNAE.

*Articuli Generalis Congregationis Regni Croatiae et Slavoniae, Anno 1569 Zagrabiae celebratae, a Rege Maximiliano confirmati.*

Nos Maximilianus Secundus, Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod fideles Nostri Domini Praelati, Barones, Nobiles caeterique Status et Ordines Regnorum Nostrorum Croatiae et Sclavoniae, in generali eorum Conventu pro Dominica Cantate, hoc est, octaua die Mensis May praesentis Anni Millessimi Quingentesimi Sexagesimi Noni celebrato, in Ciuitate nostra congregati, exhibendos et praesentandos nobis curauerunt infrascriptos Articulos, in eodem Conventu communibus ipsorum votis parique et vnanimi consensu conclusos: Supplicantes nobis humiliter, vt vniversos et singulos Articulos ipsos, omniaque et singula in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habendo, nostrumque Regium consensum eisdem praebendo authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare et confirmare atque tam nos ipsi obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, obserauri facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in Conventu eorum Generali, ex speciali Mandato Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestatis per Dominos Banos pro Dominica Cantate, id est octaua die Mensis Mai proxime praeteriti, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo nono in Civitate Regia Zagrabiensi conclusi.

Imprimis praefati fideles regnicolae, Vniversitas scilicet Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum, Reliquiae videlicet praedictorum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati, Domino ipsorum clementissimo, fidelissimis ipsorum seruiciis humillima cum submissione reseruire curabunt. Quod Maiestas sua Caesarea et Regia, visa et intellccta tam aduersa valetudine, qua assidue quasi afflictaretur Egregius Magister Damianus de Aranyan, Prothonotarius Regni, qui et alioquin etiam non solum officio Prothonotariatus Locumtenentis suae Sacrae Maiestatis in Hungaria, verum etiam aliis Maiestatis suae diuersis negotiis sepius occupatus esset adeo, ut opportuno tempore officio Prothonotariatus Regnorum istorum respondere inuigilareque non posset. Sua Sacra Maiestas clementer fidelibus suis Regnicolis committit et mandat, ut idoneam et sufficientem personam Juriumque et Legum Regni peritam in Prothonotarium eligerent. Vnde visa et intellecta clementi admonitione Suae Sacrae Maiestatis, Egregium Magistrum Emericum Pethe, alias Locumtenentis Personalis Praesentiae Suae Sacrae Maiestatis in Hungaria Prothonotarium, in Regni Prothonotarium elegerunt, Judiciaque octavalia vel generalia praefatorum Regnorum ad festum Beati Jacobi Apostoli proxime affuturum, per integros triginta duos dies, exceptis festiuis diebus, ita tamen, ut sexta feria et Sabbatho causae pauperum iudicentur, penes litteras testimoniales Comitatuum seriesque Causarum iuxta antiquitatem earundem obseruetur, celebranda decreuerunt. Alterum vero terminum Iudiciorum praescriptorum festum Epiphaniarum Domini, more antiquitus semper obseruato, decernunt. Ad quae Iudicia solenniter celebranda electi sunt iterum Assessores Magnifici Domini Petrus Rathkay de Nagy Tabor et Gaspar Allapy de Nagy Kemlek, ac duo ex Dominis Capitularibus. Item Egregii Joannes Petrichevych de Miketyncz, Viceprothonotarius Regni, qui iterum et denuo per Regnicolas in Viceprothonotarium est electus et confirmatus; Ambrosius Gregorianczy, quando Judiciis ipsis interesse poterit, Gaspar Druskoczy, Mathias de Chernkowcz, Gregorius Herendych, Venerabilis Joanues Praesbyter Dobrokwtiay, Moyses Homzky, Mathias Dely, Bartholomaeus litteratus Zwarchay; et ex singulo Comitatu unus Judex Nobilium. Qui praescripti Assessores una cum praefato Magistro Emerico Prothonotario Regni, illi scilicet, qui prius non essent iurati, termino in praescripto Judiciorum, festi videlicet Sancti Jacobi Apostoli, coram Dominis Banis in facie sedis Judiciariae solitum Juramentum praestare debebunt. Expensae vero dictis Juratis Assessoribus, iuxta conclusionem Anni proxime praeteriti, per Vicebanum Regni ex pecuniis fumalibus praestari debebunt. Quae Judicia, non obstante unius vel alterius absentia praescriptorum assessorum, celebrari poterint Zagrabiae.

Item, quoniam in brevibus Judiciis quatuor dierum, per Vicebanum et Viceprothonotarium Regni celebrari solitis, in causis veteranis, ante creationem moderni Vicebani, Egregii scilicet Joannis Forchich, et Viceprothonotarii praescripti, motis, per Procuratores quaedam exceptiones, potissimum in litteris adiudicatoriis, et aliis causalibus oriri solent, ex eo, quod nomen dicti Viceprotho-

notarii in eisdem non esset denotatum, sicque causas huiusmodi condescendi facere niterentur; huiusmodi exceptiones Regnicolae omnino abolendas esse decreuerunt. Quae Judicia breuia, Comitatui Zagrabiensi, semper dum commodum tempus praefatus Vicebanus cognouerit, Zagrabiae iudicentur, more alias obseruari solito. Quibus Zagrabiae finitis, ex quo miseri Nobiles in partibus Transcolapinis residentes, summa inopia afflicti, Zagrabiam ad praescripta breuia Judicia intrare ex locis tam periculosissimis moleste ferunt et conqueruntur: Pro eo decretum est, vt omnibus Dominis et Nobilibus, trans Colapim residentibus et bona possidentibus, in Oppido Ztenichnyak Judicia ipsa breuia per singulos tres dies, per praefatos Vicebanum et Viceprothonotarium, Judlium Comitatus Zagrabiensis ac alios juratos Assessores, semper et ubique in talibus breuibus Judiciis, vnius vel alterius Judlium aut Assessorum absentia non obstante, iudicentur. Similiter et Comitatui Crisiensi in Ciuitate Crisiensi, quando per Dominum Vicebanum publicabuntur.

Id quoque Domini Regnicolae decernere voluerunt, vbi duo vel tres coloni fratres, vel pater cum filiis, indiuisi in una domo seu sessione residentes, quorumuis sint Dominorum vel Nobilium, qui ob exiguitatem Sessionis et paucitatem terrae simul cohabitare non possent: si aliquis ex talibus colonis fratribus, in alterius Domini vel Nobilis bonis uxorem duceret, ibique penes uxorem, potissimum si per priorem Dominum terrestrem de residentia et sessione illi non prouideretur, manere vellet, cum licentia Domini recedendi, liberam habeat remanendi ibi potestatem. Cui nihilominus fratres praescripti de cunctis rebus mobilibus veram portionem dare debebunt.

Munitionem quoque locorum finitimorum fideles Regnicolae Maiestatis Caesareae et Regiae pro suo posse curare voluerunt, et ideo omnes, qui prius veteranos decretos labores ad huiusmodi finitima loca non praestitissent, per praefatum Vicebanum et Viceprothonotarium per omnia oportuna remedia administrari de facto et sine vlteriori procrastinatione compellantur.

Cum autem Domini Regnicolae ad munitionem locorum finitimorum, potissimum vero Castrorum et Ciuitatis Hraztovicze, serio et commode inuigilare et prouidere voluerunt, ne exinde vniversis restantiis praefatorum Regnorum vltimum subsequeretur periculum, Status et Ordines fideles Subditi Maiestatis Caesareae et Regiae, visa et cognita summa clementia Maiestatis suae erga fideles subditos suos, miseris colonis, pro nunc summa inopia et fame oppressis, et sibi ipsis quoque parcere nolentes, ad clementem admonitionem Suae Sacrae Maiestatis medio Reverendissimi Domini Georgii Draskovich, Episcopi Ecclesiae Zagrabiensis et Regnorum Dalmatiae Croatiae et Sclavoniae Bani, factam, a singula porta seu fumo ex cunctis Comitatibus Regni singulum medium florenum ad munitionem, non tantum roboribus ligneis sed et muris, dictorum locorum finitimorum, potissimum vero praescriptae Hraztoviczae, ad festum Beati Jacobi Apostoli proxime affuturum, iuxta dicam Regiam ad manus Reverendissimi Domini Christophori Mykulich Lectoris Zagrabiensis se praestaturos offerunt.

Quantum vero ad partes Transcolapinas, cum et alioquin ad huiusmodi munitionem currus et laboratores conducere deberent, attinet; iidem Status et Ordines decreuerunt, vt praefatae partes Transcolapinae, excepta Abbacia de Topozka, iuxta priorem limitationem, statim quamprimum requisiti fuerint, ad munitionem dictae Hraztoviczae labores ipsos praestare debeant. Cum autem Oppi-

dum Topozka omnino quasi ruere videtur, fortalitiumque Prezeka imperfectum manet, quae in maximis confiniis et ad tuitionem Regni summe necessaria locata sunt: vniversae pertinentiae dictae Abbaciae cis et ultra Colapim existentes ad praefatum Oppidum Topozka et fortalitium Prezeka deputantur. Qui autem praemissa omnia adimplere negligerent, per omnia oportuna remedia compellantur.

Caeterum cum Capitulum Ecclesiae Chasmensis tam residentia, quam omnibus prouentibus per hostes fidei Christianae priuatum sit, Sigillum autem autenticum dicti Capituli apud certos Canonicos dictae Ecclesiae Chasmensis, hic Zagrabiae degentes et satis inopem vitam ducentes, pro summa necessitate iurium Regni et nunc existat; qui Canonici coram fidelibus Regnicolis Maiestatis Caesareae protestantes, Sigillum praefatum reddere, et se in aliena seruitia Ecclesiastica conferre volentes, quod non sine maximo detrimento Jurium Regni esset: propterea supplicant Status et Ordines Regni Maiestati Caesareae et Regiae, Domino ipsorum clementissimo, quum credant in partibus Hungariae Cisdanubianis vaccare Abbatias et Praeposituras, dignetur Sua Maiestas de aliquo vacante huiusmodi beneficio praefato Capitulo Chasmensi, vnde aliquos prouentus ad sustentationem quotidianae vitae habere possent, clementer prouidere.

Cum autem praefati Status et Ordines, fideles Regnicolae Maiestatis Caesareae, sepissime pro rectificandis metis inter Sclavoniam Styriamque et Carniolam suae Sacrae Maiestati supplicasse recordantur, et nunc supplicant humillime, dignetur Maiestas sua Caesarea et Regia, ob summam paternam clementiam erga fideles subditos suos, apud Serenissimum Dominum Archiducem Carolum Fratrem suum charissimum efficere, ut Maiestates suae vnanimi voto speciales transmittant suos Commissarios, qui huiusmodi metas inter praescripta Regna rectificare valeant, ne creberrimi tumultus inter fideles Regnicolas praefatorum Regnorum Maiestatum suarum ratione dictarum metarum oriantur, potissimum vero inter Zomzedwara, Bresecz, Mokrycza, Lyppovacz et Jaztrebarzka.

Id quoque fideles Regnicolae Maiestati suae Caesareae et Regiae significandum curarunt, saepissimas contra milites stipendiarios Equites suae Sacrae Maiestatis, tam in Confiniis Croatiae quam Sclavoniae constitutos, a miseris Nobilibus Regnicolis ad Dominos Banos deuenire quaerelas: Quod praefati nonnulli milites Equites Stipendiarii, nulla habita Dei et miserae plaebis ratione, Equos ad pascua habentes, non tantum in fenilibus, sed in cunctis fere mobilibus rebus potissimum miserae plaebis direptionem facere non cessant. Vnde supplicant humillime, Maiestas sua Caesarea et Regia, intellecta tam miserabili oppressione fidelium suorum, dignetur Dominis Banis simul et Dominis Vito ab Hallek et Herbarto Ausperger, Generalis Capitaneatus in Confiniis Regnorum Croatiae et Sclavoniae Locumtenenti, serio committere, vt mutua habita intelligentia, sine vlteriori procrastinatione, Articulum Posoniensem Anni Millesimi Quingentesimi Sexagesimi Sexti, in talibus conclusum, nullo habito personarum respectu, reali executioni demandent, et spoliatis damnificatisque ex Stipendiis Militum satisfaciant.

Praeterea Nobiles Michael et Gregorius Herendych de Mlaka cum certis aliis Nobilibus fratribus et vicinis eorundem, in partibus transcolapinis commorantibus, lamentabili cum quaerela dictorum Statuum et Ordinum accedentes in praesentiam, retulerunt: Qualiter circa festum Beati Georgii Martyris proxime praeteritum, Wranes Jelenich ac Thomas Zeverovich, Vaivodae peditum Wzkokorum, in Merzlopolya provincia Carniolae commorantem, ac sub Capitaneatu

Magnifici Domini Herbarti Ausperger, Locumtenentis Generalis Capitaneatus in Confiniis Croatiae, Stipendium habentes, cum ingenti multitudine aliorum Wzkokorum commilitonum suorum, in bona et possessiones praefatorum Nobilium Herendych, et per consequens domos colonicales eorundem in isto Comitatu Zagrabiensi existentes et habitas, more tirannico irruissent, ibique quatuor colonos eorundem miserabili repentina nece interemissent, sicque innocentem christianum sanguinem terribili modo effudissent, vniversasque res illorum more praedonico et hostili diripuissent et abstulissent, domosque eorundem et reliquam familiam igne deuastari et nunc minari non vererentur. Quare supplicant fideles Regnicolae Sacrae Maiestati Caesareae et Regiae, dignetur Maiestas sua tam ingenti periculo praevenire, ac praefato Domino Herbarto Ausperger Capitaneo serio committere, vt praescriptos malefactores praenominatis Nobilibus iuri statuat, vt et ipsi Judicialiter convicti, de maleficiis eorum debitam tollant poenam, et vt de cetero tam praescripti Wzkokones, quam alii stipendiarii Maiestatis Caesareae et Regiae, ab huiusmodi hostili inuasione et homicidiis abstineant, clementer committere dignetur.

Supplicant praeterea Status et Ordines praescripti Caesareae et Regiae Maiestati Domino illorum clementissimo humillime, vt praescriptos Articulos, in eadem Congregatione communibus ipsorum votis et pari ac vnanimi consensu conclusos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos et accepta habere, suumque Regium consensum illis praebere, authoritate sua Regia clementer acceptare, approbare ac confirmare, ac Statibus et Ordinibus fidelibus suis praescriptis quamprimum clementer remittere dignetur. Datum in Ciuitate Regia Zagrabiensi, feria secunda proxima post Dominicam Cantate, secundo scilicet die Congregationis praenotatae. Anno Domini Millesimo Quingentesimo sexagesimo nono.

Nos igitur praemissa supplicatione fidelium nostrorum Dominorum Praelatorum, Baronum ac Nobilium, aliorumque Statuum ac Ordinum dictorum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclavoniae clementer admissa, praescriptos vniuersos et singulos Articulos modo praemisso nostrae Maiestati exhiberi et praesentari curatos, praesentibus Litteris Nostris de verbo ad verbum inseri et inscribi fecimus, eosdemque, ac omnia et singula in eis contenta, ratas, gratas, et accepta habentes, eisdem Nostrum Regium consensum benevolum pariter et assensum praebuimus: Illosque et quaevis in eisdem contenta, Regia Nostra autoritate acceptauimus, approbauimus, et confirmauimus. His adiunctionibus factis, videlicet, vt in exigendis et percipiendis quinquaginta denariis a singula porta, ad munitionem Hraztoviczae decretis, Lectori Zagrabiensi adiungatur per Banos nostros alia quoque idonea quaepiam persona, qui ambo et rationem de perceptis et erogatis dare sint astricti. Praeterea, vt Capitulum Chasmense his, quibus hactenus, prouentibus contentetur, quando ex Hungaria illi de aliquo idoneo beneficio prouideri a nobis non potest. Offerentes nos clementer, quod praemissa omnia in omnibus suis punctis, clausulis et articulis, tam nos ipsi observabimus, quam per alios fideles Subditos nostros cuiuscunque Status et Conditionis existant, cum adiunctionibus praedictis, obseruari faciemus. Imo acceptamus, approbamus et confirmamus. Harum nostrarum vigore et testimonio

Litterarum. Datum Viennae, die secunda Mensis Junii, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Nono. Regnorum Nostrorum Rom. Septimo, Hungariae etc. Sexto, Bohemiae vero XXI.

Maximilianus m. p.

L. S.

Joannes Listhius, Episcopus Vesprimiensis m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1571. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articuli in Diaeta Regni, Anno 1571 mense Aprili Zagrabiae celebrata, conditi.*

Articuli Dominorum et Nobilium Aliorumque Statum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in Conventu eorum Generali, ex speciali mandato Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis ex Edicto Dominorum Banorum, pro feria quinta proxima ante Dominicam Ramis palmarum, id est quinta die Mensis Aprilis, Anno Domini Millesimo quingentesimo Septuagesimo primo, Zagrabiae Conclusi.

Inprimis Universi domini Magnates et Nobiles Statusque et Ordines praefatorum Regnorum, fideles subditi praefatae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis, domini Illorum clementissimi, Intellecto felicissimo praedictae Maiestatis suae Imperatoriae et Regiae et spe adventus Serenissimorum Principum filiorum suae Maiestatis ex Regno Hispaniae ad propinquiora loca Regni Hungariae, summae Congratulantur, depraecanturque Deum optimum maximum, dignetur suas Maiestates felicissime in Regnum Hungariae redire facere. Quo reditus Suarum Maiestatum in Hungariam ad Tranquilitatem tocius Christianae Reipublicae felicemque permansionem Patriae Hungariae fidelium subditorum fieri possit et valeat.

Item, iuxta clemens Mandatum suae Sacrae Maiestatis, ad dominos Banos factum, vt memoratis vniversis praescriptis fidelibus subditis Regnicolis huius Regni Maiestatis suae Caesareae et Regiae, Modus et ordo inveniretur, quo Victualibus non solum ad repentinum hostis motum aliquem, sed vt Milites Praesidiarii in hac vndique apparente annonae paenuria, habeant vnde vivant, melius aliquanto prouideatur, quo certum aliquem numerum frumenti benevolenter ipsi Regnicolae praestent et in medium conferant, vt pro tollerabili pretio Militibus Praesidiariis, in finitimis locis degentibus, concedant, prout haec uberius et fusius praefati fideles Regnicolae ex relationibus Nuntiorum Generosi et Magnifici domini Viti ab Hallek, locumtenentis Generalis Capitaneatus Confiniorum huius Regni Sclavoniae et Consiliarii suae Maiestatis, intellexerunt fideles subditi

Regnicolae praefati, partem Summae Inopiae miserorum colonorum, et nolentes illis gravamini esse, de propriis suis Victualibus nonnulli domini certum numerum frumenti modo infrascripto contribuerunt, vt videlicet Reverendissimus dominus Georgius Draskovich, Episcopus Ecclesiae Zagrabiensis, praefatae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis Consiliarius et Banus, ad sustentationem Militum suae Maiestatis in Ivanich, loco scilicet finitimo degentium, tritici quartas ducentas, singulam quartam per florenum vnum hungaricalem, Milii quartas Tercentas, singulam quartam per Renensem florenum vnum, Avenae quartas Centum, prout in foro Zagrabiensi Avena ipsa venditur, cum quarta Zagrabiensi, Vini cubulos tercentos, singulam pintam per denarios sex, ad villam Dobravchak vocatam, propinquissimam dicto Ivanich. suis propriis fatigiis et expensis deduci faciet; similiter et Nicolaus Kerchelich ad Zizek Milii quartas ducentas et vini cubulos Centum, eodem modo positurus est.

Item Magnificus dominus Franciscus Tahy tritici quartas tercentas, Milii quartas ducentas, Avenae quartas Centum, huc Zagrabiam, similiter eadem quarta Zagrabiensi, et pro eodem precio, ad sustentationem militum suae Maiestatis in locis finitimis degentium positurus est. Item Generosa ac Magnifica Domina Barbara Alapy, relicta Spectabilis et Magnifici condam domini Petri Erdödy de Monyorokörök, Comitis perpetui Montis Claudii, ac alias Bani, per nuntios suos, tritici quartas Centum, Milii quartas Centum, ad praefatam Villam Dobrovchak, pro eodem pretio se posituram obtulit. Item Reverendi domini Christophorus de Mykulych, Lector, et Thomas Daubren, Archidiaconus dubiczensis, Canonici Ecclesiae Zagrabiensis, singulus illorum, pro eodem pretio, quartas tritici Centum hic Zagrabiae se daturos obtulerunt. Item ex Castris Sztenychnyak, domini Franciscus de Nadasd, et Ozal, dominorum Comitum de Zrinio, et alii domini et Nobiles trans Colapim bona habentes, ad locum finitimum Byhach, de tritico, Milio et vino, pro posse illorum, Magistro Victualium illorum Confiniorum, pro eodem pretio, ad sustentationem militum praesidiariorum illorum confiniorum se daturos obtulerunt. Item vniversi reliqui domini et Nobiles Regni, pro posse illorum, de tritico, Milio et vino, Magistris Victualium suae Maiestatis, in Confiniis huius Regni Sclavoniae constitutis, singulus illorum pro posse suo, pro tollerabili pretio, ad Confinia et sustentationem Militum praesidiariorum, dummodo cum parata pecunia praefati Magistri Victualium Dominos et Nobiles requirant, benevole praestituros se obtulerunt; Ita tamen, vt praefati Magistri Victualium, usque festum Sancti Georgii proxime affuturum, praenominatis dominis et Nobilibus pretium praescriptum praefatorum frumentorum et vini deponant et persolvant; Alioquin postea, prout in foris liberarum Civitatum Suae Maiestatis vendentur, frumenta et vina huismodi emere poterint. Item de munitione locorum finitimorum, prout in priori quoque Conventu eorundem, ita et nunc decretum est, ut qui oblatos labores non praestiterunt, per omnia Remedia opportuna per Vice-Comites et Judlium Regni ad loca finitima et fortalicia praestare compellantur; quibus omnibus potissimum Dominus Vice-Banus superintendere debebit. De laboribus etiam, prius ad Hrastoviczam deputatis, qui domini et nobiles ad Castrum finitimum Blynya labores praestiterint, in rationem acceptentur, prout etiam si ad Hrastoviczam praestiti fuissent. Cum et Castrum praefatum Blynya nuncupatum, e manibus Turcarum ereptum, maximi sit momenti pro defensione Regni.

Caeterum praefati fideles subditi Regnicolae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis non sine gravi molestia supplicare curant, cum postquam Generosus et Magnificus condam dominus Joannes Lenkovych, Confiniorum Croatiae et Sclavoniae Generalis Capitaneus, Officio Capitaneatus sui valedixit, ab eo toto tempore in finitimas Arces et fortalitia Confiniorum Regni de pixidibus, pulveribus, globis, et plumbo, ac aliis Apparatibus Bellicis, nihil provisum est; Capitaneique et Praefecti huiusmodi Artium et fortalitiorum finitimorum, non ut contra vim hostium tempore obsidionis (quod Deus avertat) aliquam Arcem, vel fortalitium finitimum per aliquod parvuum tempus defendere et retinere possint, imo sua Sacra Maiestas Cunctis fidelibus suis Regnicolis certam fidem adhibere dignetur, ut etiam tempore excursionis hostium Thurcarum, tantum pulveris in plurimis Castris et Castellis non habeant, quo excursionem ipsam Thurcicam per sonitum Bombardarum vel pixidum miseris circum vicinis Chistianis manifestare possint. Supplicant igitur humilime, Maiestas sua sacra Caesarea et Regia, ob innata erga fideles suos gratia, tanto periculo fidelium suorum subditorum provenire dignetur, ut statim de Bellicis apparatibus, pulvere, pixidibus, et plumbo, ac globis ad praescripta loca finitima, per illos quorum interest, clementer providere faciat.

Accessit etiam non sine gravissima molestia vniversorum dominorum et Nobilium Statuumque et Ordinum fidelium Regnicolarum Suae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis, adhuc sub proxime praeterito Generalium Judiciorum octavalium Regni festi Epiphaniarum domini termino, ex Comissione et Mandato Serenissimi Principis et domini domini Caroli. Dei gratia Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae etc., fratris Charissimi et locumtenentis in Hungaria praefatae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis, domini videlicet gratiosissimi; Egregios dominos Joannem Zermegh, Consiliarium Camerae Hungaricae. alterum Joannem Aynkerayther, familiarem sacrae suae Caesareae et Regiae Maiestatis, per praefatam Cameram Hungaricam, ad quandam novam revisionem seu Circumspectionem dicationis seu Connumerationis portarum, Reliquiarum praefati Regni Sclavoniae, nescitur ex cuius instinctu, contra libertates et privilegia praefati Regni Maiestatis suae Sclavoniae, destinatos esse: Supplicant itaque humillime praefati fideles vniversi domini Nobilesque ac Status et Ordines dicti Regni fideles subditi Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati, domino domino illorum clementissimo, Maiestas sua Caesarea et Regia, considerata summa humilitate et obedientia praefatorum fidelium subditorum suorum, qua semper, non parcendo sibi ipsis et miseris colonis illorum, omnibus constitutionibus publicis suae Sacrae Maiestatis et Regni obedientes . . . . fuerint; ne fideles suos, huiusmodi inaudita nova circumspectione seu revisione dicae, iam semel per dicatores suae Sacrae Maiestatis et praefata Camera Hungarica delegatos, praesentibus certis Juratis Nobilibus Regni et Judlium, Juxta praemissam publicam constitutionem Posoniensem, fideliter, prout ipsi Regnicolae credunt, peractae, inaudita hac novitate, Contra praefatam libertatem et privilegia fidelium suorum subditorum. aggravari clementissime permitat: vnde et clementissime expectant Responsum, prout super his et praefatam Cameram suae Sacrae Caesareae et Regiae Maiestatis Hungaricam, ipsi Regnicolae per litteras illorum certificare curarunt.

Praeterea, cum certe auditur, duos Beglerbeghos cum Ingentibus Copiis Thurcarum Boznam aduenisse, vereturque, ne hostes ipsi inprovise in aliquam artium finitimarum irrui attemptarent; ut autem ad haec maior Vigilantia fidelium

subditorum Regnicolarum accedat, dum et quandocunque domini Bani in subsidium alicuius Arcis vel loci finitimi contra hostes gentes armatas levare voluerint, id iuxta constitutiones priores publicas fidelium Regnicolarum facere et gentes armatas in Arces et loca finitima locare possint et valeant.

Postremo, cum Judicia octavalia Regni a certis temporibus in Capitulo Zagrabiensi Celebrari solebant, Commodaque hospicia pro dominis et Nobilibus causantibus, Magistrisque prothonotariis ac procuratoribus, etiam cum Maxima difficultate dominorum Capitularium habere in Capitulo ipsorum possunt: videretur igitur Commodus locus huiusmodi celebrationis tam Judiciorum octavalium, quam Brevium Judiciorum tocius Comitatus Zagrabiensis Civitas haec Maiestatis Caesareae et Regiae Mons Graecensis Zagrabiensis, Accedente ad id gratiosa Confirmatione praesentis Articuli Sacratissimae Cesareae et Regiae Maiestatis Vestrae.

Supplicant praeterea status et ordines praescripti Sacrae Caesareae et Regiae Maiestati, domino Illorum clementissimo, humilime: Vt praescriptos Articulos, in eadem Congregatione Communibus ipsorum votis et pari ac vnanimi consensu conclusos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos, et Accepta habere, suumque Regium Consensum illis praebere, authoritate sua Regia clementer acceptare, approbare, et Confirmare, ac Statibus et ordinibus, fidelibus suis praescriptis, quam primum clementer remittere dignetur. Datum Zagrabiae, praescripta feria quinta ante praenotatam dominicam Ramis palmarum, primo scilicet die Congregationis praenotatae, Anno domini Millesimo quingentesimo Septuagesimo primo.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1571. DIE 19. MAII. PRAGAE.

*Maximilianus Rex Articulos Diaetae, A. 1571 mense Aprili Zagrabiae celebratae, confirmat.*

Maximilianus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator, Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex etc.

Reverende, Spectabiles, Magnifici, Egregii, Nobiles, Prudentes, ac Circumspecti, fideles Nobis dilecti. Exhibuit nobis fidelis Noster Magnificus Balthasar Tahy, Nuncius vester, Articulos, quos in proxima Diaeta vestra, quinta die proxime elapsi mensis Aprilis, Zagrabiae celebrata, conclusistis. Quos quidem ubi intellexissemus, imprimis grato et clementi animo accepimus promptitudinem illam vestram, qua victualia pro confiniis contribuistis. Deinde quod ad reliquos articulos attinet, omnes eos ratos habemus et acceptos, excepto quod novam connumerationem vos admittere oportuisset, neque in hoc publicae constitutioni proxime celebratae Dietae Posoniensis contraire, quam tamen et ipsam nunc in suspenso relinquimus ad aliam vsque dicam, quae posthac primitus decernetur; Committentes vobis clementer, ut ea quae per vos decreta et conclusa sunt,

etiam executioni demandanda et observanda curetis, secus non facturi. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima nona die Mensis May. Anno domini MDMXXI. Maximilianus m. p. Joan. Listhius, E. Vesprimiensis m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1608. 6. DECEMBRIS. POSONII.

*Articuli Generalis SS. et OO. A. 1604 Zagrabiae celebratae Congregationis, a Rudolpho Rege A. 1608 confirmati, a Mathia Rege eodem Anno transsumuntur et confirmantur.*

Nos Matthias Secundus, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae Rex, Designatus in Regem Bohemiae, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod fidelis Noster Reverendus Frater Simon Brathulich, Episcopus Zagrabiensis et Consiliarius noster, nostrae Maiestatis veniens in praesentiam, suo ac fidelium nostrorum universorum Statuum et Ordinum Regni nostri Sclavoniae nominibus ac in personis, exhibuit nobis et praesentavit quasdam literas Sacratissimi Principis Domini Rudolphi secundi, electi Romanorum Imperatoris ac Germaniae, Hungariae et Bohemiae etc. Regis, Domini et Fratris nostri observandissimi, in duobus arcubus papyri constantes, sigilloque eiusdem Secreto, quo uti Rex Hungariae utebatur, in inferiori earum margine impressive communitas, ac manus suae Maiestatis subscriptione roboratas, continentes confirmative in se decem Articulos, per eosdem Status et Ordines dicti Regni nostri Sclavoniae, super certis libertatibus et consvetudinibus eorundem editos. Supplicatum itaque Maiestati nostrae nomine ac in persona dictorum Universorum Statuum et Ordinum praelibati Regni nostri Sclavoniae extitit humillime: quatenus praetactas Suae Maiestatis fraternae literas, omniaque et singula in eisdem contenta, ratas, gratas et accepta habendo, literisque nostris verbotenus inseri et inscribi faciendo, approbare, roborare, et ratificare, ac pro Eiisdem vniversis Statibus et Ordinibus praefati Regni nostri Sclavoniae ipsorumque posteris ac successoribus vniversis innovando, perpetuo valituras, gratiose confirmare dignaremur. Quarum quidem Literarum tenor talis est. Nos Rudolphus Secundus, Dei gratia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae, etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Moraviae, Comes Tyrolis et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod fideles nostri Honorabilis Balthasar Napuly, Lector et Canonicus Ecclesiae Zagrabiensis, ac Egregius Nicolaus Malenych de Corilocz, Statuum et Ordinum Regni Nostri Sclavoniae Nuncii, ad nostram Maiestatem ablegati, nominibus ac in personis eorundem

Statuum et Ordinum dicti Regni nostri Sclavoniae, exhibuerunt et praesentarunt nobis infrascriptos Articulos, in Generali eorum congregatione, ex edicto fidelis Nostri Magnifici Joannis Draskowych de Trakostyan, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, ac Cubiculariorum nostrorum Regalium in Hungaria Magistri et Consiliarii nostri, in Civitate nostra Regia Montis Graecensis Zagrabiensis, quinta die Mensis Julii, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quarto, iam praeterito, celebrata, communibus ipsorum votis et suffragiis, parique et unanimi consensu conclusos; Supplicantes iidem Nuncii, nominibus ac in personis eorundem Statuum et Ordinum praefati Regni nostri Sclavoniae, Maiestati nostrae humillime, ut omnes et singulos eos Articulos, omniaque et singula in eisdem contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare, roborare et confirmare, ac tam nos ipsi observare, quam omnes alios, quorum interest, observari facere dignaremur Quorum quidem Articulorum tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum Regni Sclavoniae, in generali eorum Congregatione, ex edicto Spectabilis ac Magnifici Domini Joannis Draskovych de Trakostian etc. Bani, in Civitate Regia Montis Graecensis Zagrabiensis, pro quinta die Mensis Julii celebrata, editi et conclusi Anno Domini Millesimo Sexcentesimo quarto.

### Articulus 1.

Postquam Nuncii Regni, ad praeteritam Diaetam Posoniensem ex publico decreto Regni transmissi, redierunt, et Articulos eiusdem Regni Hungariae, in eadem Diaeta sancitos, per Sacram Caesaream Maiestatem Dominum nostrum clementissimum confirmatos, praesentarunt, eos ut par est, cum debita reverentia Status et Ordines acceperunt, Suaeque Sacratissimae Maiestati immortales gratias agunt, quod non saltem pro diuturniori eorum permansione piam paternamque curam habeat, uerum etiam Religionem Orthodoxam a Sanctissimis suis Praedecessoribus conservatam in pristino statu relinquere satagat, quam Status et Ordines pro maiorum suorum veteri pio instituto sincere tenere et amplecti non intermittent. Ideoque statuunt et decernunt unanimi voto, ut universi Haeretici, et praecipue in bonis Ozaliensibus divagantes Concionatores, ex Styria pulsi, vel aliter qualitercunque eo devenientes, ejiciantur. Erit autem Reverendissimi Domini Episcopi Zagrabiensis, tanquam Dioecesani huius Regni, in tales perversos errores pro eius pastorali officio studiose animadvertere.

### Articulus 2.

Renovantur et confirmantur Articuli Anni praecedentis de festivitatibus colendis et observandis, ac contra secus facientes paena ibidem statuta.

### Articulus 3.

Domino Reverendissimo Praelato huius Regni, Capitulis Zagrabiensi et Chasmensi, decimae iuxta usum et morem antiquitus observatum solvantur, contra inobedientes vero per censuras Ecclesiasticas animadvertatur.

### Articulus 4.

Valachi etiam universi, iuxta Articulum decimum quartum Posoniensem praesentis Anni, Domino Praelato Zagrabiensi decimas integre persolvant, iidemque Valachi Dominis suis terrestribus terragium sive Nonam praestent, illorumque Jurisdictioni sint subjecti.

### Articulus 5.

Telonia sicca et nova aboleantur et deleantur ubique, potissimum autem in possessione Chehy in Campo et Comitatu Zagrabiensi existens, eo quod nulli pontes nullaeque viae ibidem extarent reficiendae. Similiter etiam in bonis Crapinensibus per Dominos Keglevych erecta.

### Articulus 6.

Ad postulationem Camerae Hungaricae, per Dominum Banum propositam, eidem Camerae nomine Regni significandum, quod tempore conscriptionis et exactionis Diçae Regiae, Dicatore Georgio Mikulych existente, propter quasdam fraudes eius inquisitio fuit celebrata, et Schaedae plurimae fuerant inventae, ex quibus expilationes pecuniarum a bonis plurium Nobilium per eundem Mikulych perperam factae dignoscebantur, quae Nunciis eorum ad Diaetam Posoniensem Anno Millesimo Sexcentesimo primo missis, utpote Domino Balthasare Napuly et Egregio Stephano Beryzlawych traditae fuerant, a quibus eadem Camera per Decretum suum speciale easdem Schaedas sibi dari postulavit, cui etiam datae sunt: censent itaque Status ipsi hoc ipsum nomine Regni significandum esse et petendum, ut contra ipsum in exemplum aliorum animadvertat.

### Articulus 7.

Ad petitionem Domini Comitis Thomae Erdödy, post restaurationem Castri Chasma, ad sequentem annum pro restaurando Castro Monozlo Domini Regnicolae auxilium se daturos obtulerunt.

### Articulus 8.

Ratione vecturae Bombardarum et Victualium, Domini Regnicolae se referunt ad Articulum Anni proxime praeteriti, et haec omnia, sub paena iam antea prioribus annis sancita, fieri volunt.

### Articulus 9.

Conqueruntur Domini Comites Erdödy et Zriny, similiter Nuncii Dominorum Bathiani et Istwanffy, ac reliqui Nobiles Campi Varasdinensis et Zagrabiensis, contra Cataphractos milites, sub potestate Dominorum Supremorum Capitaneorum Confiniorum Sclavoniensium et Carolostadiensium existentes, qui subditos ipsorum etNobilitatem graviter opprimunt.

### Articulus 10.

Statuunt etiam Domini Regnicolae contra Mulieres, quae Maritis suis legitimis derelictis cum aliis cohabitant; nec non etiam contra eos, qui spretis ipsorum coniugibus scelerate scortantur concubinasque perplures in singulis eorum Curiis tenent: ut in tales Domini Comites et Vicecomites serio animaduertant et comperta rei veritate, postposito longo processu, contra eos juridice procedant.

Quae praemissa et quaevis praemissorum singula, per Status et Ordines Regni firmiter et inviolabiliter observanda, Status et Ordines ipsi praemissos Articulos Sigillo illorum publico communiri voluerunt. Datum loco, die et anno suprascriptis.

Nos itaque praemissa eorundem Nunciorum humillima supplicatione, nominibus ac in personis Supradictorum Vniversorum Statuum et Ordinum dicti Regni nostri Sclavoniae, Maiestati Nostrae oblata, Regia benignitate exaudita et admissa, praefatos vniversos et singulos Articulos, nobis modo praemisso praesentatos, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum insertos et inscriptos, ac omnia et singula in eis contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum benevolumque pariter et assensum praebuimus, ac illos et quaevis in ea contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauimus, et confirmauimus; offerentes nos clementer, quod praemissa omnia in omnibus punctis, clausulis et articulis, tam nos ipsi obseruabimus, quam per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunque Status et conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus; Imo acceptamus, approbamus, roboramus, et confirmamus harum nostrarum vigore et testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Pragensi, decima sexta die Mensis Januarii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo octauo. Regnorum nostrorum, Romani Tricesimo tertio, Hungariae et aliorum Tricesimo Sexto, Bohemiae uero anno similiter Tricesimo tertio.

Nos itaque huiusmodi supplicatione humillima annotati Episcopi Zagrabiensis, pro parte ac in persona annotatorum universorum Statuum et Ordinum dicti Regni nostri Sclavoniae, nostrae modo praemisso oblata Maiestati, Regia benignitate exaudita clementer et admissa, praeinsertas literas dicti Domini Imperatoris et Regis Rudolphi etc. confirmationales, non abrasas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed omni prorsus vitio ac suspitione carentes, praesentibusque literis nostris de verbo ad verbum, sine diminutione et augmento aliquali insertas et inscriptas, quoad omnes earundem continentias, clausulas et Articulos, eatenus, quatenus eaedem rite et legitime existunt emanatae, viribusque earundem veritas suffragatur, ratas, gratas, et acceptas habentes, approbauimus, roborauimus, ratificauimusque ac pro suprascriptis universis Statibus et Ordinibus saepefati Regni nostri Sclavoniae ipsorumque posteris et successoribus universis innovando perpetuo valituras gratiose confirmauimus. Imo acceptamus, approbamus, ratificamus, et confirmamus, Harum nostrarum, Secreto Sigillo nostro, quo tanquam Rex Hungariae utimur, impressive communitarum vigore et testimonio literarum. Datum in Arce nostra Regia Posoniensi. Sexta

die Mensis Decembris. Anno Domini Millesimo Sexingentesimo Octavo. Regnorum nostrorum Hungariae et reliquorum Primo.

Matthias m. p.

L. S.

Valentinus Leepes, Electus Episcopus Nittriensis m. p.

P. Nagmihaly m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1608. MENSE SEPTEMBRI. ZAGRABIAE.

*SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae Posoniensi, inter Hungariae et Austriae Status initae Confoederationi accedunt.*

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum Regni Sclavoniae, in Generali ipsorum Congregatione, Comitatui Varasdiensi, uacante Officio Banatus, per Spectabilem ac Magnificum Dominum Comitem Thomam Erdeödy de Moniorokerek etc., Comitatibus vero Zagrabiensi et Crisiensi per Generosum ac Egregium Christophorum Merniauchich de Brezocza, Vicebanum dicti Regni Sclavoniae ac eorundem Comitatuum Comitem, indicta et publicata, in Arce Zagrabiensi pro Secunda et tertia diebus Mensis Septembris celebrata. Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octavo. Caeteris exmissis.

Et quia praedictus Dominus Comes Thomas Erdeödy etc. certas litteras missiles praefati Serenissimi Principis et Domini Domini Mathiae, Designati in Regem Bohemiae, Archiducis Austriae, Ducis Burgundiae et Inclyti Regni Hungariae Gubernatoris etc. clausas cum alijs patenter confectis, Sigillis ac manuum Subscriptione Suae Serenitatis ac Statuum et Ordinum praefati Regni Hungariae atque Archiducatus inferioris et superioris Austriae singulariter roboratis, coram ijsdem Dominis Statibus huius Regni praesentavit; in quibus Missilibus clausis Sua Serenitas eosdem hortatur atque monet, quatenus confoederationem Posoniensem dicti Regni Hungariae et praetactarum Prouinciarum in Generali eorum Diaeta approbarent atque ratificarent, vellentque omni fortunae casu arctissima necessitudine cum praetactis Regno et Provincijs pariter vivere et mori. Quarum quidem Literarum patentium tenor talis est. Nos Mathias, Dei gratia Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, et Vittembergae, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Regni Hungariae Gubernator etc., Comes Hapspurgi et Tyrolis etc., Et nos Praelati, Barones, Magnates et Nobiles, caeterique Status et Ordines Regni Hungariae, nec non Archiducatus Inferioris et Superioris Austriae, nunc in Civitate Posoniensi congregati, Universis et singulis, harum Nostrarum notitiam habituris, Memoriae commendamus, et pro nobis ac eorum nomine, a quibus missi sumus, testatum facimus. Quod cum nos ad sedandos et componendos nocivos quosdam motus et intestina dissidia, denuo ab

Haydonibus Turcarum instinctu ratione transactionis Hungaricae et Turcicae, nuper conclusae, exuscitata, hic conuenissemus, nobisque nihil aeque prius vel antiquius habendum duximus, quam non modo Regnum Hungariae sed etiam viciniora Regna et Provincias a praesentissimo eorum interitu vindicare. Ideo ne Regnum hoc propterea a Christianitate auellatur, neue Turcarum depopulationi caeteraque Regna et Provinciae pateant; placuit nobis et in persona reliquorum Statuum nunc absentium, nos invicem arcta necessitudine confoederare, firmumque et inuiolabile foedus inire, prout praesentibus quoque iniuimus et confirmauimus, ea conditione, quod si nimirum temporis successu, propter, vel contra Transactionem Viennensem et Turcicam, nuperrime conclusam, quam seruare intendimus, nobis, Regnis, Prouinciis et Patriis nostris, aut eiusdem commembris et confoederatis, hostis aut Turbator aliquis ingrueret: Extunc nos ac omnes Status et Ordines tam Regni Hungariae, quam Archiducatus Inferioris et Superioris Austriae, mutuis auxiliis et suppetijs, Nobis et Nostris commembris et confoederatis non defuturos, sed, tanquam in communi periculo Nos et nostros omnes et singulos ratione pacis et confoederationis huius Interessatos, tueri, defendere, juvare, ac propterea simul viuere et mori teneri et obligatos esse. In cuius rei fidem, certitudinem, perpetuamque firmitatem, hasce nostras, sub sigillis et Chyrographis, futura pro cautela dandas duximus et expediendas. Actum Posonii prima die Februarii Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octauo. *)

Ideo ijdem Domini Status et Ordines huius Regni, perlectis et intellectis praenominatis Litteris patentibus simul et clausis, omnes et singuli summa recreati letitia, quod sua Serenitas pia et paterna cura, ac dicti Status et Ordines tale foedus sanxerint, quo non solum collapsae antiquae libertates et immunitates nostrae, secundum conclusiones Viennenses, restaurabuntur, verum etiam augebuntur, et illibatae seruabuntur: In singulis punctis et clausulis praelibatam confoederationem, praeter libertatem Religionis, cuius usum et exercitium his in Regnis, secundum tenorem praefatarum conclusionum Viennensium, liberum esse nolunt; approbant, acceptant et ratificant, parati cum Sua Serenitate et praedictis Regno ac Provinciis iam confoederatis, et deinceps confoederandis, in omnibus fortunae casibus et periculis contra quosuis hostes et inimicos atque Turbatores praedictae confoederationis insurgere, vivere pariter et mori; Sperantes, quod tam Sua Serenitas, quam etiam saepefatum Regnum Hungariae et Provinciae confoederatae, eam sint habituri curam, ut horum Regnorum libertates quamprimum restituantur, et semper sancte ac inviolabiliter conseruentur. In cuius rei fidem, certitudinem, perpetuamque firmitatem, ijdem Domini Status et Ordines Litteras suas sub hac verborum forma, sigillo ipsorum publico muniendas, praefatis Suae Serenitati et Statibus ac Ordinibus confoederatis, dandas duxerunt et expediendas, atque per eundem Dominum Comitem Thomam Erdödy Suae Serenitati ac saepedictis Statibus et Ordinibus transmittendas censent.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

*) Originale harum literarum, 82 chyrographis et sigillis provisum, asseruatur in Archivio Regni Croatiae.

## 1609 — 1635.

*Articuli Generalium Congregationum Regni Croatiae et Slavoniae, ab A. 1609 usque ad 1635 celebratarum, a Rege Ferdinando II. A. 1636 confirmati.*

Nos Ferdinandus Secundus, Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Morauiae, Comes Tyrolis et Goritiae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit vniversis. Quod fidelis noster honorabilis Joannes Somogy, Archidiaconus Camarcensis et Canonicus Zagrabiensis Ecclesiae, Statuum et Ordinum Regnorum nostrorum Croatiae et Sclauoniae Nuncius, ad nostram Maiestatem Ablegatus, nominibus et in Personis eorundem Statuum et Ordinum dictorum Regnorum nostrorum Croatiae et Slauoniae exhibuit et praesentauit Nobis infrascriptos Articulos, in diuersis Generalibus eorum Congregationibus et Conventibus, ab anno Millesimo sexcentesimo nono ad annum vsque Millesimum sexcentesimum trigesimum quintum celebratis, communibus ipsorum votis et suffragiis, parique et unanimi consensu conclusos, supplicando idem Nuncius, nominibus et in Personis eorundem Statuum et Ordinum praefatorum Regnorum nostrorum Croatiae et Slavoniae, Maiestati nostrae humillime, ut omnes et singulos eos Articulos, omniaque et singula in eisdem contenta, ratos, gratos et accepta habentes, nostrumque Regium consensum illis praebentes, Authoritate nostra Regia clementer acceptare, approbare et confirmare, ac tam nos ipsi obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, obseruari facere dignaremur. Quorum quidem Articulorum, ex reliquis nempe excerptorum, et hisce praesentibus insertorum, tenor talis est.

Articuli Dominorum et Nobilium aliorumque Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae Regnorum, ab Anno Millesimo Sexcentesimo Nono, ad praeteritum vsque Millesimum Sexcentesimum Trigesimum quintum, in diuersis eorum Congregationibus generalibus conclusi.

### Articulus I.

Praeterea ijdem Status et Ordines vnanimi voto et consensu priores Articulos, de non admittenda libertate exercitiorum in hoc Regno alienae Religionis confirmant; et si quispiam Praedicatorum haereticorum, siue spontanee, seu ope cuiuspiam, in hoc Regnum uenerit et zizania seminauerit, Praedicatorem liceat unicuique capere, captumque ad Dominum Banum vel Episcopum Dioecesis deducere. Introductores autem talium, et transgressores huiusmodi conclusionis publicae, puniantur paena in Tripartito contenta.

### Articulus II.

Vniversa etiam molendina, in nouis locis errecta, et alia in quibuscunque Comitatibus existencia, quae damnosa comprobari poterint, per Vice-Comites et Judices Nobilium deleantur, conclusum est.

## Articulus III.

Ad querelam Domini Praelati Zagrabiensis, pro denegatis sibi Ecclesiae suae Decimis, statutum est: Vt omnes Domini Magnates et Nobiles Decimas ipsas haud gravanter connumerari permittant et Decimatoribus sint auxilio.

## Articulus IV.

Quod uero ad fixos et Indigenas malefactores Nobiles possessionatos et Ignobiles attinet, utpote fures, praedones, homicidas, raptores, publice audentes minari neces, verberatores et oppressores Nobilitatis, combustores et similium enormium facinorum patratores, item Intoxicatores, meretrices, adulteros et Strigas, eorumque receptatores, conseruatores et fautores: Domini Vice-Banus et Vice-Comes Varasdiensis eos ex officio citent, et Juridice conuictos, iuxta Articulos Regni, breui Juris processu, poena condigna puniant. Vagabundi autem et impossessionati Nobiles, similis criminis, per eosdem capiantur, itidemque poena condigna puniantur. Et singulis annis faciant inquisitiones de huiusmodi malefactoribus Domini Vice-Banus et Vice-Comes Varasdiensis. Qui autem Juridice iam proscripti et conuicti sunt, eosdem etiam ijdem persequantur et capiant, debita poena afficiendo.

## Articulus V.

Nobiles autem unius sessionis universi campi Zagrabiensis seu Turopoliensis, ut in universis antiquis ac modernis eorum legitimis Juribus, Immunitatibus, Priuilegiis, libertatibus et exemtionibus, ab praeclara in Patriam merita, adinstar caeterorum Regni Nobilium semper conseruentur, statutum est.

## Articulus VI.

Confirmatur Articulus, de locis depositionum aeditus, ita, ut quicunque extra loca depositionum mel et porcos maiales extra Regnum educens repertus fuerit, priuetur eisdem per quoscunque priuari poterit; quod si tamen aliquis Regnicolarum cum extraneo aliquo mercatore conuenerit, et in loco depositionis sese praesentauerit, liceat praescriptas res uenales extra Regnum educere, ita tamen, ut post praesentationem in loco depositionis rerum venalium, suae Maiestati Tricesimam, et Telonii tributum Dominis Terrestribus, emptor soluere teneatur.

## Articulus VII.

Idem Reverendissimus Episcopus, protestando solenniter, admonuit Praediales Nobiles Abbatiae suae de Topuzka, ut Curias suas Nobilitares ibidem et Domos Colonicales desertas reaedificent et restaurent. Ideo Reverendissimus Episcopus alioquin requisitam et possibilem restaurationem omittentes ac negligentes, praemissa debita et legitima admonitione, contra tales iuxta Leges et receptas consuetudines procedat.

## Articulus VIII.

Praeterea vniversi Status et Ordines Regni unanimi voto statuunt ac decernunt: vt deinceps Vice-Comites, ratione quorumuis liquidorum debitorum,

comperta tamen mera rei veritate, ex paratis pecuniis, vel iisdem non existentibus, ex Juribus possessionarijs debitorum, creditoribus, quibusuis Juridicis remediis obstare non valentibus, plenariam satisfactionem impendere possint et valeant; relicta tamen parti succumbenti facultate appellandi, iuxta Leges et Consuetudinem Regni.

Articulus IX.

Articulum de liquidis debitis editum, Status et Ordines, propter plurimos excessus, sic intelligere deinceps volunt: ut posthac prius appellatio transmittatur in Sedem Judiciariam Comitatus, et reuideatur, et sic postea executio subsequatur; Relicta nihilominus parti succumbenti facultate extra Dominium, iuxta Consuetudinem et Leges Regni, ulterius appellandi.

Articulus X.

Praeterea statuitur, ut Strigas, Sagas et Ueneficas, ubiuis in hoc Regno degentes et repertas, Incolae eorundem locorum libere captiuare, et ad Dominum eorundem Terrestrem deducere, qui easdem sub amissione patibularium pro demerito punire possint ac ualeant.

Articulus XI.

Statutum insuper est: Vt Vice-Comites et Judices Nobilium penes querelas procedere executionesque peragere valeant, ante Terminum Diaetae, in Regalibus suae Maiestatis specificatum; exceptis tamen quindecim diebus, eiusmodi Diaetam imediate praecedentibus.

Articulus XII.

Quantum ad breuis Articuli Posoniensis, de occupationibus et violentiis editi, explicationem attinet, Status et Ordines Regni, in depositione Juramentorum hactenus observatum morem ac Consvetudinem intra ambitum huius Regni deinceps itidem retinere volunt.

Articulus XIII.

Statutum insuper est: ut iuxta Articulos superiorum Annorum, Reverendissimus Episcopus Zagrabiensis, tanquam Dioecesanus, censuris Ecclesiasticis procedat contra haeretica prauitate imbutos Ciues et Incolas Ciuitatis Varasdiensis ac alios etiam Regnicolas haereseos notatos.

Articulus XIV.

Quoniam in Regno plurimae querelae exaudiuntur eorum, quorum praedecessores, vel etiam ipsimet, Bona seu Jura possessionaria ipsorum aliisque usque ad tempus inscripsissent et oppignorassent, huiusmodique Bona oppignorata, vel quia paria Litterarum Inscriptionalium Iniuria temporum amittentes non haberent, vel quia Centum florenos Hungaricales summa Inscriptionalis excederet, a possessoribus, etiam deposita Inscriptionis Summa, rehabere minime possent, sed

cum maximo ipsorum damno et iniuria, contra Diuina et humana Jura, bonis suis carere cogerentur. Vniversi itaque Status et Ordines Regni unanimi voto statuunt et decernunt: Quod deinceps quicunque huiuscemodi Bona sua seu Jura possessionaria, a se vel praedecessoribus suis pro quantacunque Summa cuipiam oppignorata esse Litteris vel humano testimonio sufficienter docere potuerit; ex tunc possessorem talium bonorum, primo per Judlium admoneri faciat cum pecuniis, qui si pecuniam suam leuauerit, bene quidem; si uero non, ex tunc citetur in primitus celebrandam sedem Judiciariam Comitatus eiusdem, ubi talia bona adiacere dignoscentur, ad leuandam pecuniam suam, producendasque Litteras Inscriptionales vel contrarium Jus probandum; quod nisi fecerit, ipso facto Vice-Comes per eandem Sedem Judiciariam ad faciem talium bonorum oppignoratorum exmittatur, qui vel penes praeatactas Litteras Inscriptionales (obseruatis tamen omnibus legitimis conditionibus, in eisdem Litteris specificatis), vel vero, Litteris inscriptionalibus non existentibus, penes humanum testimonium, sufficiens tamen, huiuscemodi bona oppignorata, quibusuis Juridicis remediis obstare non valentibus, eisdem quibus competere videbuntur restituere et assignare possit atque debeat.

## Articulus XV.

Statutum insuper est, ut penes Articulum Regni, ratione liquidorum debitorum editum, procuratores ita emerita sua salaria a principalibus acquirere possint, si uidelicet contrarii eisdem suis Principalibus deprehensi non fuisse comperientur.

## Articulus XVI.

Zingari, prout hactenus, sic nunc quoque proscribuntur.

## Articulus XVII.

Circa externos siue alienigenas, qui Armales obtinere consveuerunt, seruetur Anni 1630. Articulus 30. Diaetae Posoniensis.

## Articulus XVIII.

Ex Capitulo Zagrabiensi vel Chasmensi deinceps quaevis Litterae, sub sigillo eorundem Capitulorum emanandae, per Lectorem, vel in absentia sua alium in digniori officio constitutum, subscribantur.

## Articulus XIX.

Denique ad querelas plurimorum Regnicolarum contra unius Sessionis Nobiles, vel potius ignobiles, qui precio conducti, quosuis facinorosos manifestissimos fures, praedones ac homicidas, deposito penes eosdem in expurgatione eorundem Juramento, eliberare consueuerunt, Statutum est: ut eiusmodi manifestissimi duntaxat periuri Nobiles vel Ignobiles in sedem Spiritualem, ratione periurii citentur, ibidemque comperta rei veritate, Sententia Infamiae contra eosdem pronuncietur.

### Articulus XX.

Porro, cum de rebus aureis et argenteis ac aliis mobilibus oppignoratitiis variae controuersiae sint in Regno, quomodo redimi et eliberari debeant a depositariis, praesertim non existentibus Litteris aliquibus impignoratitiis. Statutum itaque est: ut huiuscemodi res mobiles oppignoratae eadem plane via et processu redimi et recuperari possint ac debeant, qua bona haereditaria oppignorata, iuxta Articulum praemissum huius Regni Sclavoniae.

### Articulus XXI.

Statutum insuper est: Ex quo nulla legitima de causa plurimi Magnatum, qui maiorem partem Regni possident, fructusque et utilitates eiusdem percipiunt, et pro communi permansione in medium consulere deberent, sese a Congregationibus Regni abstrahant; Vt imposterum, quicunque Magnatum huiusce Regni, sine iusta et rationabili excusatione, sese a praemissa Generali Congregatione Regni absentauerit, ex tunc ipso facto in byrsagio centum florenorum Hungaricalium conuictus sit. Quos Dominus Banus, pro tempore constitutus, in duabus sibi, in tertia vero partibus Protho-Notario Regni, pro labore cedentibus, per se, vel medio eiusdem Protho-Notarii, ex bonis mobilibus et immobilibus huiusmodi sese absentantis Magnatis, vigore duntaxat praesentis Decreti, quibusuis Juridicis remediis obstare non valentibus, exequi possit ac teneatur.

### Articulus XXII.

Ad grauem querelam unius sessionis Nobilium, ratione exactionis teloniorum, ab eisdem hinc inde per Regnum, contra praerogatiuam nobilitarem et Libertates ipsorum exigi solitorum, Statutum est: ut imposterum ab huiusmodi unius Sessionis Nobilibus, licet pauperibus, cum propria tamen allodiatura quaestum facientibus, secundum antiquam praerogatiuam nobilitarem, quorumuis teloniorum et Tricesimarum ac datiorum solutio minime exigatur. Si qui vero contumacia ducti contrarium fecerint; ex tunc penes querelas, vigore Articuli Posoniensis, super violentiis et actibus potentiariis fundati, coram Vice-Comite Jure requirantur, et ipso facto, in poena potentiae et refusione damnorum ac rerum ablatarum conuincantur.

### Articulus XXIII.

Contingere consueuit, ut nonnulli Regnicolae, non curato saluo conductu, Diaetas Regni publicas interturbare, inuicem sese verbis inhonestis afficere, vituperare, et minari, publiceque se ad duellum provocare non vereantur. Ideo statutum est: ut nullus Dominorum aut Nobilium ad publicas Regni Congregationes armatus, sub amissione eorundem armorum, ingredi praesumat. In violatores autem salui conductus posthac iuxta leges patrias animaduertatur.

### Articulus XXIV.

Statutum est etiam: ut haeretici nulli unquam in hoc Regnum recipi queant, aut in eo sedes figere, bona vel domos emendo; unde et emptio talis eis vetita est.

## Articulus XXV.

Statutum insuper est: ut amodo deinceps, futuris semper temporibus, uenditio et forisatio quarumcunque rerum venalium, (demptis commestibilibus, pane uidelicet, obsonio, vino et fructibus arborum, quae peractis diuinis, uendi poterunt) diebus Dominicis interdicta sit et habeatur, sub amissione rerum venalium, in facie tamen fori, et non alibi, per Dominos Terrestres, vel iisdem negligentibus, per quosuis alios accipiendarum; Celebrationibus autem Nundinarum maiorum, suis diebus saluis permanentibus. Contra Contumaces Reverendissimus Dominus Praelatus Zagrabiensis Censuris Ecclesiasticis utatur. Parochi uero sese tempori et populi necessitatibus ita conforment, ut divina usque ad decimam ante meridianam horam peragere et perficere possint.

## Articulus XXVI.

Ratione Haereticorum renouatur Articulus Anni 1628., ne uidelicet in hoc Regnum recipi queant, aut in eo sedes figere, bona vel Domos emere ualeant, sub amissione eorundem bonorum, pro Regno confiscandorum. Pro cuius Articuli executione praefatus Reverendissimus Dominus Episcopus, tanquam pastor fidelis populi, inuigilabit. Cui etiam Illustrissimus Dominus Banus brachio saeculari, si necesse fuerit, auxilio erit.

## Articulus XXVII.

Quia cum graui animi eorum dolore intelligunt Regnicolae, plurima Parochialium et filialium Ecclesiarum bona ac redditus, quae et quos pietas Christi fidelium Deo antea dicauerat, per nonnullos Regnicolas occupata et usurpatos esse: Ideo unanimi consensu statuunt, ut Vice-Comites Comitatuum huius Regni, quilibet in suo processu, habeant vigore huius constitutionis plenariam authoritatem, ad instantiam Parochi vel Archidiaconi, vel vero Domini Episcopi, facta in facie loci inquisitione, et partibus interessatis de termino tali et inquisitione instituenda certificatis, illico, et sine omni ulteriori processu Juridico, bona seu redditus eiusmodi, ab Anno Domini Millesimo Quingentesimo nonagesimo secundo occupata et usurpatos, comperta mera rei ueritate ex inquisitione, vel alias ex priuilegiis seu instrumentis aliis Litteralibus, Ecclesiis talibus statim et defacto exequendi et restituendi, omnibus Juridicis remediis praeclusis, praeter unicam appellationem, qua uti extra Dominium licebit. Per Ecclesias vero Parochiales non intelligantur Ecclesiae Cathedrales, Abbatiarum et Praepositurarum. Et bona Ecclesiarum, ante praedictum Millesimum quingentesimum nonagesimum secundum Annum occupata, ad ordinarium Juris processum remittuntur.

## Articulus XXVIII.

Ad euitandas indebitas vadiationes, statutum est: ut ratione debitorum Domini Terrestres requirantur primo; et si Domini Terrestres, liquidato prius coram se debito, satisfactionem impendere recusauerint, extunc licet Creditoribus debitorem talem, vel si is haberi nequeat, loco illius alium, praemissis tamen legitimis requisitionibus, vadiare.

## Articulus XXIX.

Aequum etiam uidetur Regnicolis, ut sicut meliorationes bona aliqua et Jure possessionaria pignoratitia possidentibus, per eos, quorum bona sunt, depositionis Summae inscriptionalis tempore persolui debent, ita etiam deteriorationes talium honorum, per eiusmodi bonorum possessores, malitia uidelicet, vel notabili incuria, aut crudelitate eorundem factae, praeuia legitima per Vice-Comites vel Judlium Comitatuum fienda inquisitione, similiter depositionis Summae inscriptionalis tempore, omnibus Juridicis remediis, admissa tamen unica in Sedem Comitatus appellatione, pospositis, persoluantur; vel vero aestimatarum Deteriorationum precium ex inscriptionali Summa per eosdem Vice-Comites vel Judlium defalcetur, et manibus legitimo bonorum haeredi vel Domino assignetur.

Nos itaque, praemissa eiusdem Nuncii humillima supplicatione, nominibus ac in personis supradictorum uniuersorum Statuum et Ordinum dictorum Croatiae et Sclauoniae Regnorum nostrorum, Maiestati nostrae oblata, Regia benignitate exaudita clementer et admissa, praefatos, ex reliquis excerptos Articulos, Nobis modo praemisso praesentatos, praesentibusque litteris nostris de verbo ad verbum insertos et inscriptos, ac omnia et singula in eis contenta, ratos, gratos, et accepta habentes, eisdem nostrum Regium consensum, beneuolumque pariter et assensum praebuimus, ac illos, et quaeuis in eis contenta, authoritate nostra Regia acceptauimus, approbauimus, roborauimus, et confirmauimus, Offerentes Nos clementer, quod praemissa omnia, in omnibus punctis, clausulis, et articulis, tam Nos ipsi obseruabimus, quam per alios omnes fideles subditos nostros, cuiuscunque status et conditionis existant, inuiolabiliter obseruari faciemus. Imo acceptamus, approbamus, roboramus, et confirmamus, Harum nostrarum vigore et testimonio Litterarum. Datum in Ciuitate nostra Vienna Austriae, die octaua Mensis Januarij, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Trigesimo Sexto. Regnorum nostrorum, Romani decimo Septimo, Hungariae et reliquorum Decimo octauo, Bohemiae vero Anno decimo Nono.

**Ferdinandus m. p.**

Georgius Lippay, Episcopus Wesprimiensis m. p.

Laurentius Ferenczffy m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

*Habet quoque: Joannis Szegedi Tripartitum Juris Hungarici Tyrocinium. Zagrabiae sumptibus Franc. Jo. Zerauscheg Bibliopolae 1762, p. 313 — 317.*

## 1620.

## 26. ET SEQUENTIBUS DIEBUS MENSIS AUGUSTI. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis SS. & OO., A. 1620 Zagrabiae celebratae Congregationis.***

Articuli Generalis Congregationis Uniuersorum Statuum ac Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae, ex edicto Illustrissimi D. D. Comitis Nicolai de Frangepanibus a Thersacz etc. Bani, in libera Regia Ciuitate Montis Graecensis Zagrabiensis, Vigesima sexta et alijs immediate sequentibus diebus Mensis Augusti celebratae, conclusi. Anno Domini Millesimo Sexcentisimo Vigesimo.

Inprimis Egregij Nicolaus Malenich cum altero Nicolao Thompa, Nuncij ex proxime Praecedenti Congregatione Regni ad Sacram Caesaream Regiamque Maiestatem, Dominum Dominum nostrum clementissimum, ablegati, in forma libelli suae Maiestatis benignam resolutionem ad grauamina ipsorum, cum alijs etiam literis eiusdem suae Maiestatis missilibus exhibuerunt.

Praeterea ex parte eiusdem Sacratissimae Caesarae Regiaeque Maiestatis Reuerendissimus Dominus Leonardus, Episcopus Lauentinus, et Spectabilis ac Magnificus Dominus Gotfridus Sthodler, Confiniorum Regni Croatiae Generalis Capitaneus, nomine autem inclytae Prouinciae Styrae Magnificus dominus Georgius Galler de Suambergh etc. deputati Commissarij, penes Credentionales, apud uniuersos Status ac Ordines praescriptorum Regnorum institerunt: ut ijdem Status ac Ordines, bene ponderato periculoso praesentis temporis statu, insultus ingruentium hostium tam a se, quam uicinarum Prouinciarum Styriae, Carinthiae et Carniolae ceruicibus, coadunatis uiribus, pro auita ipsorum gloria et fidelitate propulsare non intermittant. Et quia ijdem Status et Ordines in hisce undequaque saeuientium bellorum turbinibus, communi hosti communibus et consociatis armis et uiribus resistendum esse ducunt, ut intelligant unius salutem et permansionem ex alterius pendere: uolentes de praemissarum inclytarum Styriae, Carynthiae et Carniolae Prouinciarum, auxilio, promptitudine et erga se affectu in futurum etiam ingruente quavis necessitate certi et securi esse, opere pretium esse ducunt, ut haec Regna cum praenominatis Styriae, Carynthiae et Carniolae Prouincijs, mutuam unionis et certae confederationis deuinctionem ineant (saluis tamen semper authoritate, Juribus ac praerogatiuis, tam modernae Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis, tanquam legitimi Regis Hungariae, quam aliorum legitimorum Regum Hungariae ac Sacrae eiusdem Regni Coronae, alijsque uniuersis libertatibus, legibus ac priuilegijs horum Regnorum illesis et in suo uigore permanentibus). Ad quam quidem confaederationem et coadunationem tractandam et ineundam, ad easdem Prouincias destinantur nomine praemissorum Vniuersorum Statuum ac Ordinum horum Regnorum, Reuerendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, nec non Illustrissimi Comites, Dominus Nicolaus de Frangepanibus etc. Banus, et Dominus Thomas Erdeődi, uel in eiusdem absentia Dominus Comes Sigismundus Erdeődi, Generosi item ac Egregij Magister Stephanus Pathachich, Prothonotarius Regni, Gregorius Petheo et Georgius Vrnoczy. Quibus instructio cum plenipotentia agendi, tractandi et concludendi, sub sigillo

Regni, per eosdem Status ac Ordines publice confecta, data et assignata est. Habebunt autem ijdem Domini Plenipotentiarij ex aerario Regni pro expensis Mille florenos hungaricales; et si quid ultra exposuerint, eisdem refundetur.

Confirmatur et renouatur Articulus praecedentis Congregationis, de generali Insurrectione, penes Banderium Suae Maiestatis, contra quosuis ingruentes hostes fiendae; addito hoc, quod a singulis fumis non unus, sed duo pixidarij pedites expediantur. In extrema uero necessitate uiritim insurgere teneantur omnes Status ac Ordines Regni, sub poena in praemisso Articulo specificata, ita uidelicet, ut eadem poena, pro personali non comparitione Dominorum Magnatum et Nobilium Regni, non a personis, sed a fumis singulis, a Magnatibus quidem pro singulis diebus a singulis fumis per decem florenos hungaricales, a Nobilibus autem, a singulis fumis per tres florenos hungaricales, modo in praedicto Articulo declarato extorqueatur. Pro pixidario autem pedite et equite non comparente, singulis diebus pro singulo unius floreni mulcta accipiatur. Quicunque autem Armales Nobiles non comparuerint, hoc ipso facto Nobilitarem praerogatiuam amittant.

Liberae Ciuitates pariformiter, iuxta antiquum earundem modum et consuetudinem exercituare tenebuntur.

Interea autem temporis, ad defensionem Confiniorum Colapianorum relinquitur, prout antea, Dominus Comes Wolffgangus Erdeödy, cum Vicebano Regni, quibus adduntur bona Castrorum Selin et Nouigrad, cum uniuersis bonis, ultra Colapim existentibus, hactenus non dicatis, nec non bonis Castri Zizek.

Deinde quicunque Dicam Regiam seu Contributionem Regni hactenus impositam non persoluerint usque festum Exaltationis Sanctae Crucis proxime venturum, extunc statim, elapso praemisso Termino, in poena dupli couicti sint et habeantur.

Statuitur etiam, ut Exactores Dacij Regni, sequenti die post praemissum festum Exaltationis Sanctae Crucis, coram Reuerendo Praeposito Zagrabiensi, et Petro Gall, Exactore, ac Gregorio Jagatych compareant, et rationem de perceptis reddant; alioquin ijdem Exactores conuincantur ipso facto. In futuros praefectos autem Dacij eiusdem Regni sufficiuntur, in Comitatu Varasdiensi quidem Moyses Zaboky, in Zagrabiensi autem Laurentius Drenoczy.

Destinantur ad Jellekocz quinquaginta pedites Colapiani, pro persequendis malefactoribus, quorum Vayuoda dependentiam post Dominum Banum habebit a Domino Gregorio Petheö.

Denique renouatur Articulus de Commissarijs Regni, ad resignationem Vallacorum destinatis, et loco defuncti Domini Joannis Kegleuich Dominus Georgius Kegleuich deputatur.

Ad lamentabilem Querelam Egregiorum Petri et Fabiani Polchych, ratione depraedationis domus Nobilitaris eorundem, Statutum est: vt Egregij Gregorius Petheö cum Stephano Gereczy, tam dominis terrestribus, quam Officialibus denominandorum praedonum, et ijsdem etiam, qui eorundem intertentores et fautores, uel depraedatarum rerum perceptores et occultatores fuissent, peremptorium terminum praefigant, et comperta mera rei ueritate, reos pro demeritis iuridice puniant; Damnificatis autem, in quantum fieri poterit, satisfactionem impendant.

Denique, ad intercessionem Generosi Christophori Merniauchich, Vicebani Regni, respectu et antiquorum eiusdem emeritorum seruitiorum, residuum illud trecentorum septuaginta quatuor florenorum hungaricalium debitum, quo uidelicet Egregius Michael Vernych, alias Contributionum Regni Perceptor, tempore datae rationis suae debitor remansisset, Status et Ordines Regni eidem Vicebano, ita ut interessatos quoque Haramias Regni hac in parte contentos reddat, obtulerunt et donauerunt.

Postremo, ad instantiam praenominatorum Spectabilium ac Magnificorum Dominorum Gotthphridis Sthodler, Confiniorum, ut praemissum est, Regni Croatiae Generalis Capitanei, et Georgij Galler de Suampergh, respectu ipsorum, et praeclarorum tam in haec Regna, quam in Inclytam Prouinciam Styriae benemeritorum, eosdem haeredesque ipsorum, in horum Regnorum uera et legitima commembra (praestito per eosdem publice solito iuramento solenniter) unanimi uoto et consensu beneuole receperunt et acceptauerunt.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1621. 8. NOVEMBRIS. VARASDINI.

***Decreta a SS. & OO. Regni Croatiae et Slavoniae in Generali eorum Congregatione, Anno 1621 die 8. et sequentibus Mensis Novembris Varasdini habita, praesentibus Comissariis Ferdinandi II. Regis, sancita.*** *)

Resolutio Statuum ac Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae ad Propositiones Illustrissimorum Dominorum, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Commissariorum.

Fideles Status et Ordines Regnorum Croatiae et Sclavoniae, inprimis intellecto a Generoso Magnifico Stephano Pathatich de Zayezda, Prothonothario horum Regnorum et ad Sacram Caesaream Regiamque Maiestatem, Dominum Dominum et Regem ipsorum clementissimum, ex proxime praecedenti Generali Congregatione, delegato Nuntio, eiusdem Sacratissimae Maiestatis suae benigno et plusquam paterno in reliquias horum Regnorum affectu, praesertim ubi Sacratissima Maiestas sua in negotio grauaminum et querelarum horum Regnorum, contra Spectabilem et Magnificum dominum Nicolaum de Frangepanibus etc. Banum humillime propositarum, sese et per speciales suas litteras et per eundem Nuntium clementer resoluisset, eisdemque grauaminibus re ipsa remediaturam benigne obtulisset, prout etiam sine mora Reverendissimum dominum Joannem Thelegdi, Episcopum Nitriensem locique eiusdem perpetuum Comitem, et

---

*) Hi Commissarii: Joannes Thelegdi, Episcopus Nitriensis, Fridericus a Trawthmanstorff, Confiniorum R. Sclavoniae Generalis et Arcis Graecensis Supremus Capitaneus, ac Paulus Apponi de Nagy Appon R. Consiliarius, fuerunt Credentionalibus Ferdinandi II. literis ddo. Viennae 11. Octobris 1621. provisi.

Illustrissimum dominum Sigismundum Fridericum a Trauthmonstorff, liberum Baronem in Negaw, Burgaw, Gleichenperg et Toczenpoch, Confiniorum huius Regni Sclavoniae Generalem et Arcis Graecensis Supremum Capitaneum, praeterea Magnificum Paulum Apponi de Nagy Appon, Consiliarios et Plenipotentiarios Commissarios suos, in praemisso grauaminum et querelarum negotio, et ad capessenda gubernacula horum Regnorum, ad eosdem Fideles Status ac Ordines benigne ablegasset. Pro qua quidem Sacratissimae Suae Maiestatis tam pia, et tanto Principe in suos Fideles subditos digna benignitate, ac clementia, paternaque cura et sollicitudine, vniversi Status ac Ordines praefatorum Regnorum fortunas, aras, sanguinem et uitam ipsam, cum constanti fidelitatis ipsorum debita oblatione Sacratissimae Suae Maiestati humillime perpetuo uouent ac dedicant, praenaratosque eiusdem Sacratissimae Maiestatis Plenipotentiarios Commissarios cum debita reuerentia (ut par est) acceptant.

Verum cum tantum absit, ut memoratus dominus Banus, tot manifestissimis querelis Regnicolarum, et publice in proxime praemissa praecedenti Generali Congregatione ipsorum, coram eodem uerbis propositis, et Sacratissimae Suae Maiestati in scriptis transmissis, de se aliquam futurae emendationis et cum Statibus ac Ordinibus Regni, instar aliorum Banorum, gloriossissimae reminiscentiae, debitae accordationis, spem dedisset: quod statim finita praemissa Generali Congregatione, Nobilem Joannem Krusselium, Sacrae Regni Hungariae Coronae Fiscalem et Directorem Causarum Regalium etc. in dicta causa, inauditum, absque ulla Juris et iustitiae forma, ex solo Praeconcepto odio et rancore, quod videlicet Virginis Erdeödianae, per eundem dominum Banum repudiatae, Causam in foro Spirituali coram Capitulo Ecclesiae Zagrabiensis defendisset; ex eodem Juditio descendentem dirissimis uerberibus et vulneribus affectum, uinctum in Castrum suum Greben transmisisset, quem ipsemet paulo post insecutus, cum Carnifice miserabiliter torqueri, et supra omnem tyrannidem excruciari fecisset, inquirendo per eundem Carnificem in uitam etiam quorundam magni nominis uirorum, Sacratissimae Maiestatis suae fidelium subditorum. Quem quidem Krusselium Sacratissima Maiestas sua, ex innata sua clementia et benignitate, (licet antea crimine laesae Maiestatis notatum) per strictissima sua mandata et decreta, dicto domino Bano manumittendum et emancipandum commisisset; Idem tamen Krusselius, ita afflictus et excarnificatus, in hodiernum usque diem, contra appertissimam Suae Maiestatis uoluntatem, in tam dirissima Captiuitate seruaretur, vt nullus neque corporis neque animae curandae gratia etiam ex religiosis ad ipsum admitteretur, adeo, ut iam in desperationem ipsam prolapsus certo feratur: quod quidem factum omnem barbaricam tyrannidem superare uidetur.

Sed et aliis praecipuis Nobilibus personis idem dominus Banus minitari assuetus fuisset, prout expressissime in manu sua scriptis litteris, ad Egregium Gabrielem Bukouachky, Vice-Comitem Comitatus Zagrabiensis, in negotio arestati Caballi cuiusdam datis, et Stephano Gereczy, Exactori Contributionum Comitatus Varasdinensis, nisi pedites Regni, qui Arcem suam Greben custodirent, Contributione Comitatus exsolueret, quod eosdem pedites Regni ad domos et Curias Nobilitares utriusque illorum expedire uellet, prout certis etiam Nobilibus personis bona haereditaria ipsorum occupasset

Quemadmodum etiam Nobiles personas, conductitios stipendiarios, Regni Vaivodas, sine praescitu eiusdem Regni, sub friuolo quodam praetextu, neque citatos, neque Juris Ordine conuictos captiuari, et non secundum Jura ac consuetudinem Patriae, sed medio Sultecij Carolstadiensis, pro libitu suo, contra eosdem Jus sibi de facto pronunciari fecisset; qui tamen etiam in ipso qualicunque Jure tanquam insontes eliberati essent.

Verum certa stipendia non solum eorundem Vainodarum, sed et aliorum gregariorum peditum, quos Status ac Ordines Regni propria pecunia ad defensionem Patriae intertenerent, partim idem dominus Banus, partim uero certi Capitanei sui, pro se ipsis leuassent: ijdem uero pedites pannosi et fame enecti, ob subtracta ipsis stipendia in defensione Confiniorum officijs ipsorum satisfacere minus possent. Quibus ut ademptum stipendium ex rebus mobilibus uel iuribus possessionariis ipsorum, qui praemissa stipendia pro se ipsis conuertissent, vigore Articuli Regni, per Vice-Comites ut refundantur, Regnicolae dignum esse ducunt et statuerunt; praesertim cum iidem conducticij pedites Regni, tam pro se, quam pro peditibus Banalibus (qui omnino nulli aut pauci sunt), in praemissis Confinijs Banalibus perpetuas excubias agere debeant, et neque praemissus dominus Banus in stipendia ipsorum, alias ex Contributione reliquiarum horum Regnorum illis solvenda, aliquod Jus habuerit.

Ut interim taceantur praetitulata Confinia Banalia, quae tempore aliorum Banorum nostra memoria fuerunt ex fundamento aedificata, adeo esse collapsa, vt vix Miles in eisdem stationem suam habere, nedum hosti ingruenti resistere possit.

Accedit pulueris Tormentarij et aliarum munitionum extremus defectus; quam quidem munitionem, cum sufficienti pulvere tormentario, ad instantiam fidelium Statuum ac Ordinum, licet Sacratissima Maiestas Sua non ita pridem ad eadem Confinia Banalia, una cum haud contemnenda Summa pecuniae ad aedificationem Praesidiorum Berkusevina et Littauanich, clementer administrari fecerit; sed quonam haec omnia idem dominus Banus, extra destinatos per Maiestatem Suam vsus, converterit, nescitur.

Quae licet omnia cum prioribus querelis et grauaminibus Statuum et Ordinum horum Regnorum, Sacratissimae Maiestati Suae iam humillime praesentatis, per eundem dominum Banum, contra manifestissima Jura, priuilegia ac libertates horum Regnorum, quae ille observare strictissimo Juramento astrictus fuisset, perpetrata sint: hoc ipsum tamen certe grauissimum et intolerabile, ubi videlicet idem dominus Banus, non solum primarias familias huiusce Patriae, verum etiam totum Comitatum Varasdiensem, qui praecipuus est horum Regnorum, manifestissimae perduellionis insimulasset et accusasset. Super qua quidem sinistra et minus vera dilatione sua Vniversitas eiusdem Comitatus Varasdiensis, cum tota familia Dominorum Comitum Erdeödi, sic etiam dominus Georgius perpetuus Comes a Zrinio, solemniter protestarentur, ut suo tempore causam praemissam contra annotatum dominum Banum cum poena talionis prosequi possint.

Quare cum tam ex praescriptis, quam praecedentibus et alijs etiam infinitis grauaminibus ac rationibus inter Status ac Ordines horum Regnorum et ipsum dominum Banum intestina odia ac dissidia tam alte radices fixerunt, ut nullus sit modus neque ratio amplius cum ipso conueniendi, Sacratissimae Maiestati Suae, tanquam Domino et Regi ipsorum clementissimo, ijdem Fideles Sta-

tus ac Ordines iterum atque iterum humillime supplicant: Et quemadmodum caetera Vniversa Sua Regna ac Provincias cum summa clementia et Justitiae moderatione administrat, Ita hoc quoque perpetuo fidele ac Catholicum Regnum per talem Banum gubernare atque administrare dignetur, qui, memor officij et Juramenti Sui, privilegia, libertates ac Immunitates fidelium Regnicolarum non ita temere violare praesumat, sed illibate conservet; qui cum fidelibus Statibus ac Ordinibus non capitales inimicitias sed mutuum amorem, pacem et concordiam colat, et se tanquam caput a membris amari patiatur; qui iuxta exigentiam officij sui praesidia Banalia non ad extremam desolationem venire permitat, sed collapsa etiam restaurarj curet, et in eisdem illos quingentos milites Banales, quos Sua Maiestas soluit (qui iam admodum pauci sunt), integre in Suis Stationibus conservet; penes quem denique non solum pro defensione et conservatione Regni in avita fidelitate Sacratissimae Maiestatis Suae, verum etiam data occasione extra terminos etiam Regni Vniversi Status ac Ordines sub felicibus auspicijs Sacratissimae Maiestatis Suae fortunas, sangvinem et uitam ipsam effundere non dubitent.

Atque haec sunt, quae Status et Ordines Regnorum Croatiae et Sclavoniae ad propositiones praetitulatorum Reverendissimi domini Joannis Telegdi, Episcopi Nitriensis locique eiusdem perpetui Comitis, et Illustrissimi domini Sigismundi Friderici a Trauthmonstorff, Liberi Baronis in Negaw, Burgaw, Gleichenpergh et Toczenpoch, Confiniorum huius Regni Sclavoniae Generalis et Arcis Gracensis Supremi Capitanei, Praeterea Magnifici Pauli Apponi de Nagy Appon, Consiliariorum et Plenipotentiariorum Commissariorum, unanimi uoto et consensu praesenti scripto respondere, hoc ipsumque scriptum Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestati, tanquam Domino et Regi ipsorum clementissimo, medio eorundem dominorum Commissariorum cum demissa et effectiva ipsorum intercessione praesentare, superindeque primo et ante omnia optatum clemens ac benignum responsum expectare humillime voluerunt. Datum in Generali Congregatione eorundem Statuum ac Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in Civitate Libera Regia Varasdiensi, pro die octava mensis Novembris celebrata Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo primo.

Quo quidem sripto saepefatis Dominis Plenipotentiariis Commissariis praesentato, iidem Status ac Ordines Regni pro Communi bono et permansione Patriae infra scriptos Articulos statuerunt.

Et primo quidem ad propositionem eorundem Dominorum Commissariorum ijdem Domini Status ac Ordines, ratione publicationis monetae Statuunt ac decernunt: Vt quemadmodum in Vicinis Provinciis quaevis Imperialis moneta curreret, sub eodem ualore in ambitu quoque horum Regnorum, sub amissione rerum venalium, accipiatur.

Deinde quoniam Sacra Caesarea Regiaque Maiestas presidium Pethrinense, quod extremam ruinam minatur, vel in priori vel vero in alio idoneo loco, ex fundamento aedificarj facere benigne intendit; proinde ad propositionem eorundem dominorum Commissariorum pro videndo et eligendo eiusdem praesidij commodo loco, penes Illustrissimum Dominum Confiniorum huius Regni Sclavoniae Generalem Capitaneum et Suae Maiestatis ad id delegandos Commissarios, eliguntur ex parte horum Regnorum Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis cum

Praeposito Zagrabiensi, Magnificus Petrus Rathkai, Gregorius Pettheö, Stephanus Gereczy et Nicolaus Megiurechky.

Quantum vero ad subsidium Regni pro praemissa Nova erectione Pethrinensi attinet, ijdem Status ac Ordines prout antea sic et nunc quoqe (cum pecunia parata auxilio esse non possint) laboratores pro modulo facultatum suarum administrabunt.

Interim ad Pethrinenses Indagines deputantur Commitatuum Zagrabiensis et Crisiensis (extra processum Pomper, qui Drauae aduigilabit) illi omnes processus, qui pro hoc anno laboratores non administrarunt.

Ad reaedificationem vero Fortalitij Pleter deputantur bona Castri Selin.

Ad Fortificationem similiter Episcopalis praesidij Pokupzki deputantur bona eiusdem Episcopatus Zagrabiensis.

Pro revisione autem Colapianorum Confiniorum et Conscriptione ac Inventatione munitionum, in eisdem existentium, expediuntur Egregij Nicolaus Tompa et alter Nicolaus Megiurechky.

Praeterea ad custodienda Vada Drauana, deputantur Ducenti Haramiae Regni, quos Dominus Capitaneus Regni eodem cum Sufficienti Vicegerente suo ablegabit; quibus quidem peditibus Exactores statim Stipendium numerabunt.

Tempore uero ingruentis necessitatis alicuius (quod Deus auertat) Vniversi Status ac Ordines Regni, ad requisitionem praemissorum Dominorum Commissariorum, non obstante vnius vel alterius absentia, iuxta priorem limitationem Regnicolarum, personaliter insurgere, et penes alterum ipsorum militare, sub poena in eisdem Articulis constituta, teneantur.

Et quia plurimi regnicolarum Contributionem Regni hactenus administrare ad destinatos terminos neglexerunt, Ideo Statutum est: Vt omnes Ordines Regni praemissas Contributiones praecedentis anni, usque ad festum Beati Nicolai Confessoris et Episcopi, Exactoribus soluant; Alioquin Contumaces, elapso ipso festo, per Judlium, penes extradatas praeceptorias Regni, in duplo, ad Regni necessitatem convertendo, uadientur.

Praeterea cum hactenus Capitaneus Regni nullos Exploratores habuerit, sine quibus Confinia persistere haud possunt: ideo ad intertentionem eorum deputantur ex Dacio Regni ad singulos Annos, Centum floreni Renenses.

Quod quidem Dacium Regni cum omnino utile Statibus ac Ordinibus videatur, in Comitatu autem Zagrabiensi discordiae sint inter Exactores, Laurentium videlicet Drenoczy et Georgium Mattuz: ideo, ex quo Drenocium iidem Status ac Ordines Regni constituerint in Exactorem, eundem modo etiam in praemisso Officio confirmant A Georgio vero Matuz exigent rationes Reverendus Dominus Praepositus Zagrabiensis Thomas Mykulych, Gregorius Sugnetich et Michael Vernich, qui deinceps a praemissa Exactione cessabit.

Interea Camera nomine Regni requirenda erit, de faciliori modo Exactionis praemissi Dacij, medio Tricesimatorum.

Articulum de liquidis debitis editum Status ac Ordines, propter plurimos excessus, sic intelligere deinceps volunt, ut posthac prius Appelatio transmittatur in Sedem Judiciariam Comitatus et reuideatur, postea executio subsequatur.

Pro expensis Viennensibus Caspari Barilovych, Nonaginta quinque floreni hungaricales deputantur ex Contributione Regni, per unum florenum ex bonis

Castri Crapina et Chazarvarra solvi debentes. Similiter Prothonotario Regni pro honorario deputantur, ex Dacio Regni, Trecenti floreni hungaricales.

Praeterea ad sustentationem Equorum Dominorum Commissariorum, deputantur Sexaginta plaustra foeni, et Centum Metretae auenae, ex aerario Regni persoluendae.

Pro Iniurioso uerbo per Magnificum Nicolaum Draskouych Egregio Michaeli Boynichych in Regno publice prolato, idem Nicolaus Draskouych in emenda linguae, Centum videlicet florenos hungaricales, ipsi soli laesae parti cedendos, omnibus Juridicis remedijs postpositis, ex bonis immobilibus, uel parata pecunia, per unum ex Judlium persoluere conuincitur.

Praesentatae sunt litterae Priuilegiales Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis, pro parte Consortij siue Cehae Sartoriae Ciuitatis Varasdiensis, in eo videlicet, ne deinceps pro alienis debitis arrestari possint in Regno, quae acceptantur. Judex tamen praemissae Ciuitatis externis Creditoribus absque dilatione et tergiversatione satisfactionem impendere teneatur imposterum.

Postremo, praetitulatus Illustrissimus Dominus Sigismundus Fridericus a Trauthmonstorff, Liber Baro a Negaw, Burgaw, Gleihenpergh et Toczenpoch, Confiniorum Regni Sclavoniae Generalis et Arcis Graecensis ac Praesidii Pethriniensis Supremus Capitaneus, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Secretus Consiliarius etc., ob praeclara eiusdem domi militiaeque, praesertim uero in reliquias horum Regnorum cumulatissima merita, ab Vniversis Statibus ac Ordinibus praefatorum Regnorum ultro sponte ac beneuole in uerum et legitimum membrum et Conciuem horum Regnorum (deposito per eundem publice coram Statibus ac Ordinibus ac praeallegatis Scratissimae Suae Maiestatis reliquis Plenipotentiarijs Commissarijs solenni Juramento) cum summa congratulatione receptus et acceptatus est.

Lectum per me Magistrum Stephanum Pathatich de Zajezda
Prothonotarium Regni. m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1622. VARASDINI.

*Acta Generalis SS. & OO. Regni Varasdini A. 1622 celebratae congregationis; inter alia Inaugurale Diploma Ferdinandi II. continentia.*

Acta Generalis Congregationis Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae, ex publicatione Reuerendissimi Domini Petri Domitrouich, Episcopi Zagrabiensis, tanquam Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis hac in parte delegati Commissarii, in Civitate Libera Regia Varasdiensi, pro decima quinta die Mensis Nouembris, Tempore videlicet Introductionis et Installationis in Officium Banatus Illustrissimi Comitis Domini Domini Georgii perpetui Comitis a

Zrinio, Equitis Aurati ac praefatae Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Cubicularii et Consiliarii, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Vigesimo Secundo celebratae.

Posteaquam Sacra Caesarea Regiaeque Maiestas tandem fidelium suorum Statuum et Ordinum horum Regnorum tot tantisque querelis contra Spectabilem ac Magnificum Dominum Comitem Nicolaum de Frangepanibus, alias horum Regnorum Banum, erectis, in praecedenti Generali Regni Hungariae Soproniensi Diaeta diligenter ponderatis et clementer exauditis, praefatum Illustrissimum Dominum Georgium perpetuum Comitem a Zrinio, ob excellentem eiusdem Indolem et maiorum suorum immortalia in totam Christianam Rempublicam merita, in futurum horum Regnorum Banum clementer elegerit: Eundem itaque praenotatus Reuerendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, tanquam eiusdem Caesareae Regiaeque Maiestatis Commissarius, universis Dominis Statibus et Ordinibus horum Regnorum solenniter una cum Banderio Regio imprimis praesentauit, tandemque in Monasterio Fratrum Ordinis Diui Francisci, in honorem Beati Joannis Baptistae sacrato, Idem Dominus Comes, more solito, Sacramentum Juramenti praestitit.

Quibus rite peractis, sequenti die Domini Nuncii Regni, ad praecedentem Diaetam Regni Hungariae Ablegati, seriem legationis ipsorum, cum Articulis eiusdem Diaetae, retulerunt et praesentarunt, ac insuper speciale illud Diploma praefatae Cesareae Regiaeque Maiestatis, tempore felicis inaugurationis Suae Statibus ac Ordinibus horum Regnorum datum, una cum aliquot Commissorijs Literis, ratione resignationis Valachorum dominis ipsorum Terrestribus, restituerunt et exhibuerunt. Cuius quidem Regii Diplomatis tenor talis est:

Nos Ferdinandus secundus, Dei gratia Hungariae et Bohemiae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Vittembergae, superioris et inferioris Silesiae, Marchio Morauiae, superioris et inferioris Lusatiae, Comes Tyrolis et Goritiae. Memoriae commendamus et notum facimus quibus expedit universis. Quod cum Nos Generali Congregationi Inclytorum Statuum ac Ordinum Regni Hungariae et partium ei annexarum, ex edicto Sacratissimae Caesareae Regiaeque Maiestatis, Patruelis et Patris Nostri obseruandissimi, ad quartum diem proxime praeteriti mensis Martii in Ciuitate Posoniensi ultimatim promulgatae, ex benigna eiusdem Caesareae Maiestatis uoluntate praeessemus; iidemque Status et Ordines praedicti Regni Hungariae ac partium ei annexarum, ex singulari et paterna Suae Caesareae Maiestatis erga Nos benevolentia et amore, Nos in futurum ipsorum Dominum et Regem unanimi consensu rite elegissent: extunc iidem Status et Ordines Regni certa quaedam grauamina ipsorum praefatae Caesareae Regiaeque Maiestati, ante felicem coronationem nostram, sub praesenti Diaeta, iuxta Diploma eiusdem Caesareae Maiestatis, praedictis Statibus datum, effectiue tollenda humillime porrexissent. Ex quibus quaedam Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae grauamina, utpote Conclusionibus Viennensibus et aliis Articulis Annorum subsequentium comprehensa, ad debitum effectum neque per praefatam Caesaream Maiestatem, neque per Nos deduci potuissent; ob hoc Nos eosdem Status ac Ordines dictorum Regnorum Croatiae et Sclauoniae, pro clementi nostra, qua semper in eosdem ducimur propensione, in verbo Nostro Regio assecuramus: Nos sedulo curaturos ac elaboraturos, ut praemissi Articuli et Constitutiones effectuentur, qui si ante

susceptionem Regiminis Nostri Regni Hungariae aliquo modo in effectum deducti non forent, Nos statim tempore apprehensionis regiminis dicti Regni Hungariae omnes modos et rationes inituros et adinventuros, ut tam praetitulatae Viennenses Constitutiones et Articuli in effectum deducantur, quam uero de certo et indubitato stipendio, et restitutione Confiniorum Banalium prouisum sit; interea tamen in conferendis Capitaneatibus, Praefecturis aliisque officiis Confiniorum Croatiae et Sclauoniae, aequalem Indigenarum eorundem Regnorum cum Prouincialibus Nostris rationem habituros semper, atque Supremis Praefectis et aliis Capitaneis benigne ac serio mandaturos, ne se in Jurisdictionem Dominorum Terrestrium et Liberarum Civitatum intromittant. Denique Valachos, in Terris Statuum et Ordinum praefatorum Regnorum Croatiae et Sclauoniae residentes, quos Sacra Caesarea Maiestas Jurisdictioni Dominorum Terrestrium, per speciales Commissarios, sub hac Diaeta nominandos, applicare et subjicere benigne promisit, Nos etiam nec per Nos, nec per Generales, aut Capitaneos Confiniorum impediemus, quin potius Literas ad eosdem Generales Capitaneos statim expediemus: ut cum primum dicti Commissarii Suae Caesareae Maiestatis et Regni ad Tractatum descenderint, omnem manum Suam a Jurisdictione dictorum Valachorum eximant, et determinationi eorundem Commissariorum sese accomodent. Super quibus praemissis omnibus dictos Status et Ordines Regnorum Croatiae et Sclauoniae vigore praesentis Diplomatis Nostri, propria manu Nostra subscripti, et sigillo Nostro muniti, assecurauimus. Datum Posonii XV. Calendas Julias. Anno Domini M.D.C.XVIII. Ferdinandus.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1643 — 1681.

*Leopoldus Rex articulos plurium, inde ab A. 1643 usque ad 1681 celebratarum, Regni Croatiae et Slavoniae diaetarum A. 1681 confirmat.*

Nos Leopoldus, Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Comes Habspurgi, Tyrolis et Goriciae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes quibus expedit universis. Quod Fideles nostri Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Status ac Ordines, medio fidelis itidem nostri Egregii Magistri Petri Antolchich, eorundem Regnorum nostrorum Prothonotarii et ad praesentem Generalem Regni nostri Hungariae Diaetam Ablegati Nuncii, exhibuerunt nobis et praesentarunt certos quosdam Articulos, in diuersis generalibus eorundem Congregationibus et Conuentibus, ab Anno Millesimo Sexcentesimo quadragesimo tertio usque ad annum itidem Millesimum Sexcentesimum Octuagesimum primum celebratis, com-

munibus ipsorum uotis ac suffragiis unanimique consensu, pro conseruatione et tranquillitate eorundem Statuum ac Ordinum conclusos, summeque necessarios, et ipsi duntaxat deseruientes; humili cum subiectione supplicantes, quatenus Nos universos eosdem Articulos, omniaque et singula in eis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, iisdemque Regium consensum nostrum praebentes, Regia authoritate nostra clementer acceptare, ratificare, approbare, roborare, et confirmare, ac tam Nos obseruare, quam per alios omnes, quorum interest, obseruari facere benigne dignaremur. Quorum quidem Articulorum, praeuio modo conscriptorum et concinnatorum, tenor talis est.

Articuli Statuum et Ordinum Croatiae et Sclavoniae Regnorum, ab Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo tertio usque ad annum Millesimum Sexcentesimum Octuagesimum primum, in diversis eorum Congregationibus Generalibus conclusi.

## Articulus Primus 1643.

Quoniam Vice-Comites et Judices Nobilium Comitatuum in faciendis contra malefactores inquisitionibus minus diligentes sese frequentius exhibuerint, statutum est: ut iidem Vice-Comites et Judlium deinceps Articulum quartum horum Regnorum superinde editum, et per Maiestatem Sacratissimam in anno Domini 1635 confirmatum, perquam diligenter observent. In capiendis vero ex mandato Domini Comitis Bani, aut etiam in certis casibus Vice-Comitum, malefactoribus, penes Judices Nobilium Nobiles unius Sessionis, sub poena florenorum duodecim, irremissibiliter exigenda, assurgere et proficisci teneantur et sint obligati.

## Articulus Secundus 1643.

Conclusum etiam est: ut nemo Dominorum Magnatum et Nobilium ante vel ad ipsum festum Beatae Catharinae Virginis et Martyris, quolibet anno venturum, mel emptum, vel propriae allodiaturae, ad Civitatem Petoviensem, vel alio, extra Regni limites, quo hactenus ad partes Christianitatis divendi consvevit, sub ammissione melis eiusdem, ac iuxta priores Articulos in contrabandam convertendi, evehere et educere andeat, tam diu, donec per Dominum Banum vel eius Vicesgerentem, in Styriam vel alio, quo mel vendi commode poterit, exmittendi de Regno Commissarii, quos ipsi deligere et ordinare placuerit, educendi deinceps melis cum mercatoribus pretium non constituant, et illud eidem Domino Comiti Bano, vel eius Vicesgerenti non denuncient; quo tandem facto praemissa eductio cuivis Dominorum Magnatum et Nobilium libera manebit.

## Articulus Tertius 1644.

De inductione et eductione militum, renovantur Articuli superinde conditi, et ut imposterum nemo sine praescitu Domini Comitis Bani inducere vel educere milites praesumat, decernitur; alioquin idem Dominus Comes Banus in contrafacientes sua authoritate absoluta utatur.

### Articulus Quartus 1644.

Illud etiam sancitum est: ut divisorii processus, per defunctum Prothonotarium inchoati et indecisi manentes, per successorem in Officio Magistrum Prothonotarium reassummi et debito fine terminari valeant atque possint.

### Articulus Quintus 1645.

Conclusum etiam est: ut causae illae, in quibus Vice-Comes Comitatus Crisiensis interessatus esset, ex quo ille Comitatus plures Vice-Comites non haberet, per unum ex Vice-Comititus Comitatus Zagrabiensis, servatis in reliquo de Jure servandis, iudicari valeant atque possint.

### Articulus Sextus 1645.

Licet Domini Magnates potiorem Regni partem possident, nonnulli tamen a Congregatione Regni persaepe se absentant, contra quos statuitur: ut tales, qui sine legitima causa emanent, iuxta Articulos, superinde conditos, convinci et aggravari debeant in poena sancita, et post convictionem executio de Bonis eorundem peragatur.

### Articulus Septimus 1649.

Et ne aliqui Regnicolae cursum Juris in octavalibus Judiciis huius Regni, sibi in parte aliqua praeclusum, quaerantur, pro communi idcirco iustitiae Administratione decernitur: ut in causis, per alios contra Magistrum Prothonotarium (qui unicus in hoc Regno est) et per ipsum contra alios in octavalibus Judiciis motis vel movendis, alius in Sede Banali loco Prothonotarii in talibus duntaxat causis substitui et subrogari possit.

### Articulus Octavus 1649.

Ad Instantiam et propositionem Reverendissimi Domini Episcopi Zagrabiensis, contra nonnullos haereticae Confessionis homines, Bona, Colonos et Domos in hoc Regno ementes vel habentes, aut quovis titulo possidentes, priores Articuli superinde conditi renovantur, et ulterius declaratur: ut ad effectuationem eiusmodi Articulorum, contra tales haereticos, in singulis Comitatibus Vice-Comes et Judex Nobilium illius Comitatus, ubi Bona per ipsos coempta vel possessa adiacent, ad mandata Domini Bani, comperta duntaxat prius mera rei veritate, procedere possint. Idem etiam in Civitatibus Judex et Senatus Civitatum ad mandata Banalia peragere debeant.

### Articulus Nonus 1651.

Litterae Donationales Suae Maiestatis Sacratissimae super Telonio in Toplika sive Topliczá, Venerabili Capitulo Zagrabiensi collatae, cum ea acceptantur conditione, ut ipsum Capitulum strata viarum, et pontes, difficilesque et paludinosos transitus, ibidem in territorio et montibus suis reparare teneatur.

### Articulus Decimus 1654.

Decernitur etiam: ut stipendia merentes Regnicolae, loco personarum suarum et a portis quoque suis, adinstar aliorum Regnicolarum, nec non etiam quomodocumque in Regno possessionati, tempore Generalis Insurectionis alios milites expedire cum caeteris Regnicolis debeant et sint obligati.

### Articulus Undecimus 1655.

Articuli huius Regni de laesionibus Judicum Nobilium conditi, ad laesiones etiam et iniurias Vice-Judlium, in officio procedentium, extendantur, cum ea declaratione, ut ipsis Vice-Judlium non floreni Hungaricales trecenti, sicuti Judicibus Nobilium, sed medietas ipsorum, in sedibus Judiciariis Comitatuum, modo et ordine in praescriptis articulis declarato, adiudicentur.

### Articulus Duodecimus 1655.

Conclusum etiam est: ut unius sessionis Nobiles, damna aliis inferentes, aut debita contrahentes, nullasque res mobiles pro executione habentes, per detentionem etiam personae ad satisfactionem compelli possint.

### Articulus Decimus Tertius 1656.

Statutum insuper est: ut in capiendis Praedonibus et aliis malefactoribus, quos Leges Regni capiendos admitterent, ubi Magistratus per se insufficientes essent, talibus Magistratibus brachium peditum Regni Domini Vice-Capitanei ipsorum subministrare debeant; et si Domini Terrestres subditos suos malefactores ad admonitionem Dominorum Comitum vel Vice-Comitum punire nollent, extunc tales Domini terrestres simul cum subditis malefactoribus in sedem Comitatus evocari possint.

### Articulus Decimus Quartus 1659.

Statutum pariter est: ut Libera Regia Civitas Montis Graecensis Zagrabiensis mandatis legitimis Domini Comitis Bani, veluti Judicis istius Regni ordinarii, locum dare debeat, innuente id ipsum etiam Articulo 45 Anni 1659 Diaetae Posoniensis.

### Articulus Decimus Quintus 1660.

Ratione mercium ex Turcia importandarum, conclusum est: ut pro exigenda Tricesima ordinaria et auctione, a talibus mercibus proveniente, Caproncae, vel in Dernie, locis Tricesimalibus, erigatur, ibidemque ab inducentibus legitima Tricesima exigatur; a rebus tamen, per captivos pro Lytro inferendis, tricesima exigi non debeat.

### Articulus Decimus Sextus 1674.

Innotuit Statibus et Ordinibus Regni, nonnullos Regnicolas, inquietudine sua et causarum propriarum diffidentia motos, ordinarios Iuris processus, forum-

que et Judices istius Regni, veluti primas debitas et ordinarias instantias, praetereundo et declinando, ex Regno Hungariae, penes mandata superiorum Judicum, quoscumque Judices et Justitiarios, cum gravi praeiudicio Judicum et Tribunalium, Jurisdictionisque et authoritatis officii ac sedis tam Banalis quam Comitatensium, contra tenorem tituli 62. Partis secundae, Decreti Tripartiti, et Conditionem quintam Diplomatis Regii, nec non Privilegia, a Dominis quondam Hungariae Regibus Regnis Nostris Croatiae, Sclavoniae et Dalmatiae, benigne concessa, inducere velle. Ad praecavendas proinde eiusmodi inconvenientias, communi huius Regni Statuum et Ordinum voto sancitum est: ut si qui Regnicolarum Judicem et Justitiarium eiusmodi, penes mandata taliter inducerent, et ad instantiam suam quempiam iudicio aut Executione aggrauarent, extunc pars damnificata, medio unius Vice-Comitis, taliter abiudicata ac executa Bona, una cum damnorum et expensarum refusione, praevia duntaxat unica certificatione, sine omni mandato et ulteriori exmissione, restituere, et satisfactionem impendi facere, et si opus fuerit, etiam Illustrissimus Dominus Comes Banus vel Regni Capitaneus assistere possit valeatque.

## Articulus Decimus Septimus 1675.

Quoad liquidorum debitorum, per quospiam tam apud Indigenas Regni, quam etiam extraneos contractorum persolutionem, prioribus Articulis Regni Sclavoniae, de huiusmodi liquidis debitis editis, Regnicolae additum esse censent: Quod quilibet huiusmodi liquida debita praetendentes, et coram Vice-Comitibus et Judicibus Nobilium Comitatuum huius Regni Sclavoniae liquidantes, in uno brevi eoque competenti termino, per huiusmodi Vice-Comites vel Judices Nobilium Comitatuum praefigendo, medio quidem Judlium ad vigintiquinque Florenos Hungaricales, medio vero Vice-Comitum quinquaginta itidem florenos Hungaricales, omnibus iuridicis remediis abscissis et amputatis, et absque omni extractione mandati, cum omni etiam refusione expensarum, executionem in parata pecunia, si dabitur, sin minus, de bonis fructuosis, ipso facto habere possit. Reliqua vero debita, quae sese ultra praetactas summas extenderent, ea vigore mandati a Creditoribus eiusmodi acquirere et extorqueri valeant, Salva semper Appellatione in quibusvis eiusmodi causis liquidorum debitorum parti succumbenti extra Dominium ad Sedes Comitatuum memoratorum Regni Sclavoniae et Croatiae fienda, permanente.

## Articulus Decimus Octavus 1675.

Siquidem non raro in hoc Regno Croatiae et Sclavoniae accidit, quod Status Ecclesiastici ac etiam Saeculares homines, tam videlicet nobilitari praerogativa gaudentes, quam etiam ignobiles, praesertim pauperiores, in variis suis necessitatibus, Bona et Jura possessionaria, ad duo, subinde tria, plus minus iugera terrarum et foenilium, pro exigua pecunia et summa, potentioribus et ditioribus nobilibus seu etiam Magnatibus, aliqui ad certum tempus, alii vero simpliciter oppignorare et hyppotecare consvevissent; cumque successu temporis, sive evoluto termino conditionis, huiuusmodi bona et Jura possessionaria, seu terras aut foenilia, talis impignorans, vel vero eiusdem Successores, pro se rursum redimere vellent. Tunc ipsi Emptores et eorundem Successores, ratione talium Bonorum

impignoratitiorum admoniti, pecuniam oblatam levare recusant, taliterque impignorantes et ipsorum Successores in magnas expensas (quas in Comitatibus in extractionem expeditionum et praestolationem eventus Causarum eiusmodi erogare coguntur) ipsum meritum et summam impignoratorum bonorum excedentem, in summum praeiudicium et damnum eorundem adducere solerent: Quocirca ad tollendas abbreviandasque tot et tantas in quibuslibet Sedibus Judiciariis expensas, et ob rariorum celebrationem Sedium Judiciariarum, concursumque in iisdem gravioris momenti causarum, decernitur, ut, omissis in Sedem Judiciariam Comitatuum huius Regni quibuslibet admonitionibus et citationibus, Vice-Comes et Judices Nobilium in partibus, Vice-Comites quidem ad quinquaginta, Judices Nobilium vero ad viginti quinque florenos Hungaricales, prout huiusmodi leves impignorationes (salva nichilominus parti succumbenti extra Dominium ad Sedes Comitatuum huius Regni Croatiae et Sclavoniae appellatione permanente) iudicare possint ac valeant, etiam ad ammissionem pecuniae, vigore solummodo praesentis Statuti.

### Articulus Decimus Nonus. 1676.

Articulus Anni 1674, de non inducendo externo Judice in hoc Regnum, per Status et Ordines ita declaratus est: Quod si quis Dominorum Regnicolarum Personalem praesentiae Regiae, aut Magistrum Prothonotarium, in hoc Regnum inducere praesumpserit, executionemque alteruter eorum peregerit, talem executionem Personalis quidem praesentiae Comes Banus, Prothonotarii vero extranei Magister Prothonotarius huius Regni, ipso facto reexequi possit et valeat.

### Articulus Vigesimus. 1681.

Et quia unicus in hoc Regno Sclavoniae et Croatiae Magister Prothonotarius Regni haberetur, ex alio autem Regno adducere Prothonotarios Privilegia Regni vetant; ne itaque Justitia communis aliquam remoram patiatur, additur Articulo Septimo supraspecificato: ut in causis omnibus, non tantum in quam etiam extra Tabulam Banalem sive octavas, pro parte eiusdem Magistri Prothonotarii Regni, et e contra etiam adversus eundem, pro parte aliorum, ea prorsus authoritate, qua Prothonotarius discutiendi aliorum causas habet, procedere et determinare Dominus Vice-Banus Regni possit. Interessato vero etiam ipso Domino Vice-Bano, Dominus Comes Banus, pro tempore constitutus, alium Judicem non interessatum, tam in Tabula sua, quam extra eam, habeat authoritatis facultatem substituendi, qui similiter omni authoritate Prothonotariali ea in parte poleat.

Nos itaque huiusmodi demissa memoratorum Fidelium nostrorum Statuum et Ordinum supplicatione benigne exaudita, clementer et admissa, praespecificatos Articulos, nobis praeuio modo praesentatos, hisce Litteris de uerbo ad uerbum inseri et incribi fecimus, ipsosque ac omnia in illis contenta, ratos, gratos et accepta habentes, eisdem nostrum Regium Consensum benevolum, pariter et assensum praebuimus, illosque, et quaevis in eisdem expressa, authoritate Nostra Regia acceptauimus, approbauimus, ratificauimusque et confirmauimus, clementissime nos offerentes, quod praemissa omnia tam nos ipsi obseruabimns, quam per alios uniuersos fideles dictorum Croatiae et Sclauoniae Regnorum Nostrorum

Incolas obseruari faciemus. Imo acceptamus, approbamus, ratificamus et confirmamus, authoritate et Jurisdictione nihilominus Palatinali in reliquo salva semper permanente, Harum nostrarum, sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impressive communitarum, uigore et testimonio Litterarum mediante. Datum per manus fidelis nostri nobis dilecti Reverendi Joannis Gubassoczi, Ecclesiae Nitriensis Episcopi et Comitatus eiusdem Supremi ac perpetui Comitis, Consiliarii nostri et aulae nostrae per Hungariam Cancellarii, in Archiducali Ciuitate nostra Neostadiensi, die decima septima Mensis Augusti, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Octuagesimo primo. Regnorum Nostrorum, Romani Vigesimo tertio, Hungariae et reliquorum Vigesimo Sexto, Bohemiae uero Anno vigesimo quinto.

Leopoldus m. p.

(L. S.)

Joannes Gubassoczi, Episcopus Nitriensis m. p.

Joannes Maholany m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae, Protocollum Regni Congr. 1636 — 1691. Habet quoque J. Szegedy. Tripartitum Juris Hungarici Tyrocinium Zagrabiae 1762. p. 317.

---

## 1660. 7. et 8. JANUARII. VARASDINI.

*Articulus, ad Bani authoritatem Regnique libertatem tuendam, in Generali SS. et OO., Varasdini A. 1660 celebrata, Congregatione conditus.*

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regni Croatiae et Sclavoniae, in Generali ipsorum Congregatione, ex edicto Illustrisimi Domini Comitis Domini Nicolai perpetui a Zrinio etc., Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, in Libera ac Regia Civitate Varasdiensi, pro die septima et octava Mensis Januarii in Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Sexagesimo celebrata, conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

Quia in certo ejusdem postremae Diaetae Articulo, de Executionibus legitimarum Sententiarum confecto, quaedam Clausula inserta esset: quod videlicet Executiones hujusmodi Sententiarum, nolente vel interessato Domino Bano, in hoc quoque Regno Dominus Palatinus peragere possit; et clausulam istam nonnulli interpretarentur, tam Domino Bano quam Regno isti esse praejudiciosam: Idcirco eidem Clausulae coram Capitulo Ecclesiae Strigoniensis, si et in quantum Authoritati et Jurisdictioni Domini Bani, vel libertati istius Regni, praejudicaret, contradicendum erit. Et hoc ipsum suae quoque Maiestati, si necessarium fuerit, intimari poterit.

Lectum per me Magistrum Joannem Zakmardy de Diankovecz,
Protho-Notarium Regni m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

# 1700.

**Ex Actis Congregationis Regni, Zagrabiae, Praesidente Excellentissimo Domino Comite Adamo de Batthyan, Regnorum horum Bano, Die 30. Septembris Anni 1700 celebratae.**

*(Caeteris exmissis.)*

## Articulus Septimus.

Considerantes Domini Status et Ordines onera sua, quae ipsos ex intertentione et exolutione Confiniorum manerent, adeoque non immerito in gubernio eorundem Confiniorum et eo seruientium, ad instar Prouinciarum uiciniarum, authoritatem habere deberent, cuius intuitu concludunt: ut cum Excellentissimo Domino Comite Bano chrastino immediate die tractetur, quatenus de iurisdictionibus confiniariis generice intellectis, Domini quoque Status, secundum quod conuentum fuerit, participes efficiantur, (in quo hactenus etiam medio Generosi Domini Georgii Plemich, Regni Prothonotarii, praetitulatus dominus Banus se fauorabiliter resoluisset); et ut Excellentia sua Banalis, dum Causa publica per dominos Ablegatos promota fuerit Viennae, adesse, solitoque fauore et actiuitate sua partibus Regni assistere et fauere dignetur; offerentes se Domini Status et Ordines, quod intuitu praemissorum affectuum, hac Congregatione stante, competenti oblatione, et tandem etiam exolutione mediante, gratos sint se exhibituros.

---

(Factis iterato ex Generalibus SS. et OO. Congregationibus, medio eorundem SS. et OO. Ablegati Francisci Chernkoczy, de Confiniis Regno Croatiae reincorporandis, repraesentationibus, secutaque Comitis Adami de Bathyan, Regnorum Bani, energica interpellatione, sequentes Regiae Resolutiones prodiverunt, quae tamen hodiedum omni carent effectu.)

## Doc. I.

## 1703. 6. JUNII. VIENNAE.

*Leopoldi Regis Resolutio, de Confiniis Regni Jurisdictioni subjiciendis et Generalatu Varasdinensi abolendo.*

Leopoldus DEI Gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae etc. Rex.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item, et Egregij, Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Posteaquam his superioribus euolutis Annis et temporibus per Naturalem Christiani Nominis hostem Turcam lacessiti, diuturniori cruento contra eundem Bello continuato, praepotentique dextra Dei justae Causae Nostrae et totius Christianitatis clementer opitulante feliciter superato, non solum gloriosos de eodem hoste Triumphos iteratasque solennes Victorias reportassemus, verum etiam fines ac Limites Regnorum Nostrorum Hungariae, Croatiae et Sclauoniae, ante hac nimium coarctatos, expugnatis pluribus Fortalitijs, longe lateque extendissemus et propagassemus, ac tandem gloriosam etiam cum Porta Otthomanica Pacem Deo propitio inivissemus, qua stabilita, siquidem antiqua praefatorum Regnorum Nostrorum Confinia pariter extendi et translocari, ipsa Regnorum Conservatio et rerum ordo exegisset, eatenus vero tam ratione Jurisdictionis Territorialis, quam et dependentiae Militaris, nec non Translocationis et respective Cassationis Sclauonicorum atque Petriniensium Confiniorum inter Fidelitates Vestras ab una, nec non Austriae interioris Dicasteria Nostra ab altera Partibus, quaedam lis et Controuersia suborta, ac ex parte quidem Fidelitatum Vestrarum medio Fidelis quoque Nostri Francisci Csernkoczy de eadem, Colonelli et Consiliarij Nostri, Vestri vero hunc in finem specialiter Deputati Ablegati, iteratis vicibus Maiestati Nostrae humillime repraesentata fuisset; pro qua rite complananda, primo quidem certam Commissionem ad facies Locorum

(quatenus eadem inibi mediante oculari Inspectione meram atque veram eorundem Confiniorum situationis Constitutionem, nec non exacta Inquisitione peragenda, Genuinam adductorum Gravaminum Seriem melius erueret) clementissime delegassemus. Deinde super, eiusdem exmissae Commissionis humillime suppeditata relatione, caeterisque per eatenus cointeressata et Aulica et Provincialia Dicasteria, simul atque Status, videlicet hujus Loci Caesareo Regium Nostrum Consilium Bellicum Aulicum, nec non intimam Austriacam Cancellariam Nostram itidem Aulicam, prout et Interioris Austriae alterius Intimi et Bellici Consiliorum pariter Aulicorum Nostrorum Gremia, neque minus Fidelitates Vestras, et Styriae Status, pro et contra, submissis et intro porrectis Informationibus atque deductionibus, novam hic Viennae Commissionem Ministerialem Aulicam instituissemus; Tandem ad ulterius, tam scripto, quam oretenus in pleno factam ab hacce dellegata Ministeriali Commissione omnium et singulorum, Secundum acta et probata, Causae huius Punctorum, Circumstantiarum atque motivorum uberiorem propositionem et omnimodam relationem, pro finali decisione benigne resolvimus, quatenus:

Primo. Totum et omne, Colapim inter et Vunnam Fluvios situatum, justissimis ideoque Victricibus Armis Nostris ab immani praefato Christiani Nominis Hoste Turca recuperatum Territorium, cum omnibus et singulis in eodem reperibilibus, modernis atque futuris, Inhabitatoribus et Incolis (quos inter et Stipendiarij Milites, qui propriae Commoditatis et Convenientiae suae causa iam dictis in locis, ultronea sponte degentes, sua Domicilia fixerunt, etiam intelligendi et computandi sunt) quoad proprietatem et Dominium utile (quatenus Illud Fiscale esset aut fieret) hujati Caesareae Camerae Nostrae Aulicae, quo vero ad Jurisdictionalia et Spiritualia duntaxat praefato Croatiae Regno Nostro et eiusdem Banali potestati cedere et resignari, perindeque totum Illud (excepto solo pro Confinijs necessario) Neorecuperatum Territorium, una cum statim tollendis, atque cassandis Varasdiniensis Generalatus locis Praesidiarijs, et eo pertinentibus Districtibus, ad meram praefatae Caesareo Regiae Camerae Nostrae Aulicae Dispositionem omnino transferendum, rite conscribendum, et in Dominia subdividendum sit, quae nempe Dominia, vel Diuenditione fienda, vel alio quouis meliori modo in bonum atque Commodum Regii aerarii Nostri conuertenda, nihilominus sub Collectatione et Jurisdictione eiusdem Regni Nostri atque Comitis Bani (saluis tamen quibusve alijs Juribus Regijs atque consuetis Summis legalibus nobis competentibus per expressum reseruatis) ad Contributionem et praestandorum praestationem caeteris regnicolis parem atque communem proportionaliter attrahentur. Quem in finem, et omnimodam huiuscemodi benignissimae Resolutionis Nostrae effectuationem, per expeditionem praefatae Cancellariae Nostrae interioris Austriae Dicasteria, et medio eorundem modernis Commendantibus, caeterisque Varasdinensis, Capronczensis, Sancti Georgij, Chasmensis, Crisiensis, et Petriniensis Praesidiorum Officialibus indilate quidem et serio demandari jussimus, ut in ijsdem Partibus degentem Populum directe vel indirecte contra Bannale Dominium quouis modo animare seu concitare, vel alios eidem contrariandi modos suggerere non ausint, multo minus ipsos Inhabitatores et Incolas ad se suasque partes inducere intendant, quin potius, quod si unus vel plures illorum eo concurrerent, querelas aut alia peracturi, attunc eundem vel eosdem a sese abigere et ad Comitem Banum eiusdemque Instantias simpliciter remittere teneantur; neque minus Supremo Petriniensi Capitaneo firmiter iniungi commisimus, quatenus suos Costaniczae existentes Stipendiarios, Petrinienses, sive quoscunque alios ibidem haberet Milites, abinde mox avocet, seque pariter cum ijsdem, eductis educendis, statim inde proripiat, casu autem quo vel ipse, vel ipsi Petrinienses respectu praetensi Istius, propria Authoritate et potentia mediante occuppati, et hactenus usuati Territorij, Meliorem quam Episcopales Donationales in se continerent, Titulum sese habere et docere posse existimarent, per Consequens Episcopum et Capitulum eatenus infestare et in Causam attrahere vellent, ut tunc huiuscemodi praetensa Jura sua (posteaquam utraque Pars interessata superinde suos Titulos hic Viennae coram instituta sic dicta Neoacquistica Commissione Nostra Aulica, respectu interessentiae Fisci Regij produxerit) via Juris Ordinaria coram dicto Comite Bano, tanquam in realibus Actionibus ibidem competente Judice, prosequi, Interea vero ab omni eiusdem retentione, propriaque usuatione, seu alia quacunque violentia prorsus abstinere debeant sintque obligati. Praeterea ijsdem Austriae interioris Dicasterijs pariter commissum est, ut Petrinianos Instigatores ad alia quo quo potest fieri modo remotiora Confinia illico transferant, modernosque viarum ductores, et signanter quidem illos sic nominatos Janko Borogonich, Bunyan et Dubrek, simul et reliquos omnes officiales superiores (utpote quos imposterum solus ipse Banus, ad praehabitum nihilominus et semper requirendum praefati huiatis Nostri Caesareo Regij Consilij Aulico-Bellici Consensum, denominandi et inibi constituendi facultatem haberet) inde mox amoveant, nec ullos alios, praesertim Trans-Collapiano-Vunnanos adhibeant, aut inibi diutius commorari patiantur, ne forte (prouti metuendum est), ibidem permanentes, omnis generis fomites hinc inde seminando, inter Populum Disturbia quaedam aut motus periculosos excitent. Similiter cum Maiestati Nostrae relatum exstitisset, certas quasdam, a generali locumtenente Nostro Principe Ludouico Marchione Badensi ijsdem Valachis impertitas Protectionales Nostras, per eosdemque Comiti Erdeödy assignatas, nec minus Inventarium Costaniczense, simul atque dicti Comitis Bani et Vice Bani Reuersales,

prae manibus praefati interioris Austriae Consilij Aulico-Bellici Nostri etiamnum supervacaneas iacere, alibi magis necessarias; praesertim quia (Costaniczam quod concerneret), hocce Fortalitium unacum omnibus praerepetitis, Colapim inter et Uunnam adjacentibus, sicut et Jassenouecz, pariter cum eo spectantibus Confiniarijs caeterisque locis Cis-Savum Praesidiarijs, iam antea per Maiestatem Nostram Banatui Regni benignissime collatum atque confisum est, quae omnia siquidem nunc et in futurum . . . . . . . . . . . Regio Consilio Nostro Aulae Bellico dependerent, eidem quoque praerecensita quatvor Instrumenta Literalia mox con-et assignanda fore clementer determinavimus, ac mediante praefata Cancellaria Nostra Austriaca Aulica dictae interioris Austriae Bellico itidem Aulico Consilio Nostro efficaciter committendum esse decrevimus.

Secundo. Quod non solum Ipse Mentionatus Generalatus Varasdinensis, et Praesidia Sancti Georgij et Ivaniczìense, sed etiam Capronczense, Chasmense, Crisiense et Petriniense, adeoque indifferenter omnes Commendae Varasdinenses, cum integro superiore statu eiusdem Militari quamprimum inde remoueri atque cassari, e contra autem Gregarij Varasdinenses, et reliqui milites Praesidiarij, quotquot eorundem necessarij seseque eo transferre intentionati fuerint, prae caeteris ad alia, tam constituta, quam adhuc constituenda exteriora loca seu Praesidia Confiniaria, ex beneplacito et dispositione huiatis Caesareo Regij Consilij Nostri Aulico-Bellici translocari possint ac debeant; Capronczense vero Fortalitium, siquidem hoc ipsum adhuc in bono defensionis statu reperiatur, quasi in Sclauonici illius Territorij Meditullio situatum, pro aliquo receptaculo vel Patriae istius Asylo etiamnum in statu quo, sed tamen sub Gubernio, Commenda atque Jurisdictione saepefati Comitis Bani et Vice Bani totiusque illius Sclauoniae Regni, sed et cum suprema huius Caesareo-Regij Consilij Nostri Aulico-Bellici directione omnino conservetur; et quia

Tertio. Saepe mentionata illa exteriora loca Confiniaria Territoriali a Jurisdictione haud bene separari quirent, ea ipsa Praesidia in futurum Bannalia pariter cum omni per ipsum Regnum atque Comitem Banum inibi collocata atque stipendiata, seu ex Generalatu Varasdinensi, iuxta mentionati huius Consilij Nostri Aulico-Bellici dispositionem, pro exigentia rerum forsan adhuc extrahenda atque desummenda uberiore militia, nec non coeteris Districtuum eorundem Inhabitatoribus et Incolis, Ipsoque Territorio, signanter et cunctis in suprafato Varasdinensi quondam Generalatu adjacentibus locis, modalitate praerecensita Regni Jurisdictioni ac Gubernio constanter incorporentur, adeoque, et haec et reliqua, Collapim inter et Vunnam fluvios situata Confiniaria aeque ac caetera omnia et singula in toties memorato prius Generalatu Varasdinensi residua loca, ex ijsdem principijs et causis, eidem Banatui co....... imperturbate subiaceant; in Militaribus autem quoad supremam directionem praedictus Comes Banus cum suis subalternis, ab hocce Caesareo-Regio Consilio Nostro Aulico-Bellico plane dependeant, vnde benignissimas Maiestatis Nostre Resolutiones et Ordines obsequenter accipiant.

Quapropter benignam in praemissis Resolutionem Nostram pro directione sui eum omnino in finem Fidelitatibus quoque Vestris clementer notificandam esse duximus, quatenus eidem tum in passu Regiae Nostrae, tum etiam Provincialis Jurisdictionis atque Gubernij semet conformare, clementissimamque determinationem Nostram rite obseruare et exequi noverint ac debeant eadem Fidelitates Vestrae. Gratia in reliquo Nostra Caesareo Regia eijsdem benigne propensi manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae, die Sexta Mensis Junij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Tertio.

Leopoldus m. p.

Ladislaus Mátyássovsky, Episcopus Nitriensis m. p.

Ladislaus Hunyady m. p.

*Inferius*:

Ad intimationem Commissionis delegatae Ministerialis Aulicae Statibus Regni Croatiae intimatur benigna suae Maiestatis Sacratissimae de sublatione Generalatus Varasdiensis et accessoriorum resolutio.

*A tergo:*

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus, prudentibus item ac circumspectis N. N. uniuersis Statibus et Ordinibus Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Slauoniae etc. Fidelibus nobis dilectis.

Originale in Archivio Regni Croatiae. In eodem Archivio asservantur insuper bina authentica, a Francisco Rege A. 1807. 11. Septembris, facta hujus Resolutionis transsumpta, nec non Intimatum delegatae Ministerialis Aulicae Commissionis ddo. Viennae 6. Junii 1703, quo eadem Resolutio Bano Regni nota redditur.

## Doc. II.

## 1703. 10. JULII. VIENNAE.

***Leopoldi Regis, Resolutio de omnibus, inter Colapim, Unam et Savum sitis Confiniis, Regni Croatiae Jurisdictioni subjiciendis, et Generalatu Varasdinensi abolendo.***

**Leopoldvs Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus etc.**

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, nec non Egregij & Nobiles, Fideles Nobis Dilecti. Caesarei Regijque Muneris Nostri Maiestas eam sibi antiquissimam semper esse voluit curam, ut quemadmodum omnium passim Nobis Divina fauente Clementia Subjectorum Regnorum & Provinciarum, ita eorum praeprimis ampliationi stabilique Felicitatis cursui Consilium omne omnemque Industriam impendere adniteremur, quorum grandiora erga Nos Augustissimamque Domum Nostram merita, sanctior fides, constantiorque Deuotio per gloriose summis Bellorum aeque ac Pacis momentis comprobata Facinora longe lateque commendantur.

Cum igitur tanta sint Fidelitatum Vestrarum ad notitiam totius fere orbis Christiani in Nos Augustissimamque Domum Nostram merita, eaque a saeculis propria Fidelitatibus Vestris sit Laus & Commendatio, quod Seruitij et Deuotionis Nostrae intuitu Patriam, fortunas, liberos, sanguinem & vitam, alias quidem semper, ultimis tamen vel maxime Belli Ottomannici motibus et disturbijs, dum propagandae & armorum & sceptrorum Nostrorum felicitati omnem quoque, ad Immortalem Nominis Vestri Gloriam, conatum & operam contribuistis, nec obstante, quod extremum saepe saepius excidium vel pati, vel pertimescere debuissetis, omnia tamen & singula, Vosque ipsosmet cuicunque discrimini malueritis exponere, quam ab auita, Vobisque ingenita virtute, fide constantique obsequio Nostro & Augustissimae Domus Nostrae degeneres abire.

Quare, ut perspectam Nobis totique Aulae Nostrae virtutem & fidem vestrarum fidelitatum (cujus spem futura etiam tempora nobis indubitatam pollicentur) pro singulari illa & paterna, qua in Fidelitates vestras ferrimur propensione, Vobisque in omnibus omnino occurrentijs fauendi conatu, pro condigno recognosceremus, nec pateremur, propagatis Dei Gratia victricibus armorum nostrorum successibus, Patriae Vestrae limites constrictos ulterius permanere; verum in congruam tot pro Augustissimae Domus Nostrae incremento exantlatorum laborum, comparatorumque exinde meritorum, recompensam, non modo Districtus & Confinia, intra Vunnam, Colapim & Sauum fluuios sita, Fidelitatum vestrarum opera virilit r & parta & conseruata, sed & Partes, ab antiquo ad Regni & Banalem Jurisdictionem appertinentes, Jure postliminij Regno & Banali Jurisdictioni reincorporaremus, earundemque unionem, Fidelitatibus vestris omnimode competentem, successivis in perpetuum temporibus continuandum clementissime ordinaremus.

Hinc, posteaquam inter Fidelitates vestras ab una, nec non Austriae interioris Dicasteria nostra ab altera Partibus, occasione Populi, inter Vunam, Colapim & Sauum fluvios inlocati, sic & ratione Jurisdictionis Territorialis, ac dependentiae Militaris, nec non translocationis & respective Cassationis Sclauonicorum & Petrinensium, seu Generalatus Varasdinensis sic dictorum Confiniorum, lis & controuersia suborta, & medio fidelis aeque Nobis Dilecti Francisci Chernkoczy de Chernkoucz, Consiliarij & Colonelli nostri, qua fidelitatum vestrarum eadem in causa ad Aulam Nostram Ablegati, Maiestati Nostrae humillime repraesentata fuisset; expost vero pro eiusdem causae complanatione, primo quidem certam Commissionem ad faciem Locorum (quatenus eadem inibi mediante occulari inspectione veram eorundem Confiniorum Situationem, nec non exacta inquisitione peragenda genuinam aductorum Grauaminum Seriem melius erueret) Clementissime delegassemus; deinde super eiusdem exmissae Commissionis humillime Nobis Suppeditata relatione, Caeterisque per eatenus cointeressata & Aulica & Prouincialia Dicasteria simul atque Status, videlicet Caesareo Regium Nostrum Consilium Aulo-Bellicum, nec non intimam Austriacam Cancellariam itidem nostram Aulicam, prout & Interioris Austriae alterius intimi & Bellici Consiliorum nostrorum Gremia, neque minus Fidelitates vestras & Styriae Status, pro et contra submissis & intro porrectis informationibus atque deductionibus, novam hic Viennae Commissionem Ministerialem Aulicam instituissemus.

Tandem ad ulterius, tam scripto quam oretenus in pleno factam ab hacce delegata Ministeriali Commissione omnium & singulorum, secundum acta & probata, causae huius punctorum, circumstantiarum et

motiuorum uberiorem propositionem & omnimodam relationem, ipsa aequitate & Justitia sic exigente, in servitij Nostri reique publicae Emolumentum ac fidelitatum vestrarum & Jurisdictionis Banalis in emnitatem perpetuo duraturam, pro finali decisione benigne resoluimus, & determinauimus, accurateque executum habere volumus, quatenus:

Primo, totum illud, Vunnam inter Colapim et Sauum fluuios situm, Nostraeque Ditioni, ex almae victricibus armis nostris procuratae pacis mente legitime subiectum Territorium, una cum omnibus & singulis cuiuscunque Nationis inhabitatoribus, praesentibus & futuris (quos inter ij quoque Stipendiarij, qui ob propriam Commoditatem Stationes ibidem sponte fixere, intelligendi ueniunt), quoad proprietatem & Dominium utile, quatenus fiscale esset, a Camera Nostra Aulica deinceps dependere, quoad Jurisdictionalia vero & Spiritualia immediate Regno Nostro Croatiae & eiusdem Banali potestati resignari ac subesse, totumque exinde Territorium, quod ultra Confiniorum exigentiam neoacquisitum superest, una cum abolendis & cassandis Generalatus Varasdinensis fortalitijs, eoque pertinentibus Districtibus, juxta antelatae Camerae Nostrae Aulicae Dispositionem ordinatim conscribi, in Dominia et Bona diuidi, atque vel venditione, vel alio quouis meliore modo in aerarij Nostri Emolumentum conuerti, ac contributioni, sub collectatione & Jurisdictione Regni & Bani, cum Reservatione tamen omnium aliorum Jurium Regiorum & Regalium solitorum, subijci debeant.

Eumque porro in finem ab intima Nostra Interioris Austriae Cancellaria, medio interiorum Austriae Dicasteriorum, modernis Commendantibus & Officialibus Varasdinensibus, Copreinizensibus, Sancti Georgij, Crisiensibus, Iuanitschiensibus, Petrinensibus, aut ubiuis alibi constitutis serio simul iniungendum commisimus, ne quisquam Eorum supra mentionatum, in praerecensitis Districtibus degentem Populum Valachicum, vel quoscunque Incolas directe vel indirecte aduersus Regni & Banale Dominium eorundemque Dispositiones concitare, vel ab obedientia illis debita auertere, aut alios qualescunque modos, hanc gentem ad se vel aliorsum traducendi suggerere, ullo sub praetextu ausit vel praesumat; quin potius, ubi unus vel plures ex praefata gente aut Incolis ad Confiniarios interioris Austriae Nostrae Commendantes queribundus refugeret, talem vel tales a sese inauditos abigere, atque ad praedictum Regni Nostri Banum illiusque Instantias simpliciter & sine mora remittere teneantur. Supremus insuper Petriniensis Capitaneus, si Militiam quampiam, ex suis stipendiatam, siue Kostanizae, siue alibi, ex saepe recensitis Districtibus adhuc haberet, illam ab inde confestim auocet, ipseque pariter cum ijsdem, eductis educendis, statim inde cedat, postque eductionem nihil prorsus sibi curae aut negotij illis in locis ultra summat. Verum et ipsi Petrinenses, hactenus Petrinae & intra praetactos limites colocati, qui ibidem subsistere & suam habitationem continuare voluerint, Bano & Regno parere ac subesse teneantur. Casu autem, quo ipsi respectu Petrinensis, aut istius, propria Authoritate & potentia mediante occupati & hactenus usuati Koztanicensis vel alterius cuiuspiam Territorij meliorem titulum, quam Episcopi Zagrabienses Donationales habere atque authentice demonstrare se posse existimarent, & consequenter dicto Episcopo litem intentare, eumque & Capitulum in causam attrahere superinde vellent: Attunc causam hanc suam via Juris ordinaria coram ipso Nostro Bano, tanquam in ejusmodi realibus actionibus competente Judice, prosequi nouerint. Interea vero ab omni ulteriori retentione, violento ausu, propriaque usuatione abstineant. Non minus item Petrinenses dictae Nationis instigatores atque concitatores, pacisque et quietis publicae turbatores, ad alia, quoquo potest fieri modo, remotioria Confinia procul amoueantur, omnesque hactenus viarum Ductores alijque Officiales, cuiuscunque Officij aut dignitatis existentes (Siquidem isthaec munia imposterum a nemine alio, praeterquam a praelibato Nostro Regni Bano conferenda veniunt) penitus exauthorentur indeque mox amoueantur, nec ullos deinceps Trans-Colapiano-Vnnanos adhibeant aut inibi diutius comorari patiantur. Similiter cum Maiestati Nostrae relatum extitisset, certas quasdam a Generali Nostro Locumtenente Principe Ludouico Marchione Badensi etc. ijsdem Valachis impertitas Protectionales Caesareo Regias, ab ijsque Comiti Erdeödy consignatas, nec minus Inventarium Kostaniczenze, simul atque Bani & Vice Bani reuersales prae manibus interioris Austriae Consilij Aulico Bellici etiamnum supervacaneas iacere, alibi magis necessarias, praesertim quia (Kostaniczam in quantum concerneret) hocce fortalitium una cum omnibus praerepetitis, Colapim inter & Vnnam adjacentibus, sicut & Jessenouecz pariter cum eo spectantibus Confiniarijs caeterisque locis cis-Sauano-praesidiarijs, iam antea per Nos Banatui Regni, eiusque & Banali Dispositioni benignissime collatum atque confisum esset: Quae omnia siquidem nunc & in futurum a Consilio Nostro Aulae Bellico dependerent, eidem quoque praerecensita quatuor instrumenta literalia mox consignanda, ac mediante nostra intima Cancellaria Austriaco Aulica, crebrius dicto interioris Austriae Bellico itidem Consilio efficaciter ordinauimus praecipimusque.

Secundo, non solum ipse Generalatus Varasdinensis & Praesidia Sancti Georgij & Iuanitschense, sed etiam Copreinizense, Chasmense, Crisiense et Petriniense, adeoque omnes indifferenter commendaturae earundemque Jurisdictio, cum integro Superiore Statu Militari, quamprimum reformari, cassari atque annullari debeant; ex adverso Gregarij & Praesidiarij Varasdinenses Milites, quotquot eorundem necessarij, propriaque sponte sese transferre intentionati fuerint, prae caeteris ad alia tam constituta, quam adhuc constituenda

finitima loca & Praesidia, ex beneplacito tamen & Dispositione huius nostri Aulico Bellici Consilij translocari possint. Copreinizense vero Fortalitium, siquidem hoc ipsum in aliquo adhuc defensionis statu reperiretur, & velut in meditulio Sclauonici illius Territorij situatum pro quodam receptaculo vel Patriae istius Assyllo deseruire possit, etiamnum quopiam milite, pro praelibati Nostri Aulico Bellici Consilij arbitrio, praesidiandum, sub Gubernio tamen, commenda atque Jurisdictione Bani, Vice Bani totiusque illius Regni, sub Suprema autem huius saepe memorati Consilij Nostri Aulae Bellici Directione & dependentia omnino conseruetur.

Tertio, quandoquidem praementionata illa finitima & Confiniaria loca saeparari nequeant a Territoriali Jurisdictione, ea ipsa confiniaria loca in futurum Banalia, pariter cum omni per Regnum et Banum inibi collocata atque stipendiata, seu ex Generalatu Varasdinensi, secundum consilij Nostri Aulae Bellici Dispositionem pro exigentia rerum forsan adhuc extrahenda ampliore militia, nec non residuis districtuum eorundem inhabitatoribus & Incolis, ipsoque Territorio, signanter & cunctis in saepefato Varasdinensi quondam Generalatu adiacentibus locis, modalitate praemissa Regni & Banali Jurisdictioni ac Gubernio constanter incorporentur. Consequenter & haec & reliqua, Collapim inter Vnnam & Sauum fluuios situata Confinaria aeque ac caetera singula & uniuersa loca et Districtus, in toties memorato prius Generalatu Varasdinensi residua, ex ijsdem causis et principijs Banatui Regni Banalique Dispositioni subsint et subiaceant, taliterque subiecta & subordinata per idem Croatiae & Sclauoniae Regnum ac Banum successiuis in perpetuum temporibus constanter & immutabiliter regantur et gubernentur, Sicque a primo ad ultimum omnia & singula Varasdinensis Generalatus loca & Praesidia (excepta Copreiniza, quae, ut praemissum est, pro Asyllo et receptaculo cum aliquo, iuxta saepefati Consilij Nostri Aulae Bellici Dispositionem, milite inpraesidianda veniet) sublata, cassata, reformataque in perpetuum haberi & esse volumus; Kostanicza vero, Novi, caeteraque, per Banalem militiam praesidiata, aliaque praeteaea, quae fors pro militari necessitate errigenda deinceps et praesidianda Consilium hocce nostrum Aulae Bellicum judicabit, loca singula et uniuersa, una cum Banali confiniaria, hactenus isthuc applicata, et ex Generalatu Varasdinensi fors desumenda, vel undecunque aduentitia et ibidem applicanda militia, Bani, Vice Bani, ijsdemque subalternorum Commendae, et Regni Gubernio Jurisdictionique subsint et subiaceant; Atque ita idem Banus, Vice Banus, & Regnum cum praementionata sibi subordinata et, tam nouiter quam hactenus subiecta militia, residuisque tam pristinis, quam Regno et Banatui neo incorporatis ac Postliminio restitutis districtibus uniuersis, quoad militaria sub dependentia huiusce Nostri Aulae Bellici Consilij benignas Nostras resolutiones & Ordines obsequenter accipiant et exequantur.

In concursum porro eorum, quae ad Confiniariorum locorum & Praesidiorum instaurationem conseruationemque, uti et Banalium Officialium, specialiter autem Vice Bani (ne particularis cuiusquam status aut personae obligationi obnoxius esse necessitetur, uerum pro decore officij ac dignitatis congrue subsistere possit) intertentionem atque accomodationem, aliasque publicas necessitates requiri dignoscentur: Contributionale quantum, quod justum et tollerabile viribusque ac facultatibus vestris par atque proporcionatum per Aulico Bellicum Consilium Nostrum, cum Bani & Regni interuentu, determinari constituique volumus, eo praecipue applicandum et per Fidelitates vestras, velut in vestrumet ipsorum securitatem, et seruitij Nostri promotionem, quotannis subministrandum decreuimus.

Quae omnia ad perpetuam Jurium vestrorum, Regnique & Banalis Jurisdictionis Indemnitatem ac securitatem perpetuo valitura, maturo deliberatoque Consilio ex plenitudine Caesareo Regiae potestatis Nostrae vobis fidelibus antelatorum Regnorum nostrorum Croatiae, Dalmatiae & Sclauoniae Statibus et Ordinibus sicut impertienda clementer esse censuimus, ita in Fidelitatum vestrarum erga nos et Augustissimam Domum Nostram Auita fide, constanti deuotione, et indefesso promouendi seruitij Nostri zelo firmam ulterius spem habentes, vobis Gratia Nostra Caesarea et Regia benigne propensi manemus. Dabantur in Ciuitate Nostra Viennensi die Decima Mensis Julij, Anno Millesimo Septingentesimo Tertio. Regnorum Nostrorum, Romani quadragesimo quinto, Hungarici quadragesimo Nono, Bohemici vero quadragesimo Septimo.

Leopoldus, m. p.

Eugenius a Sabaudia, m. p.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium:

Joannes a Tiell, m. p.

*A tergo:*

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, nec non Egregijs et Nobilibus N. N. Uniuersis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Regnorum Nostrorum fidelibus dilectis.

Originale in Archivio Regni Croatiae. In hocce Archivio asservatur quoque authenticum hujus Resolutionis transsumptum, a Francisco Rege A. 1807 factum.

## Doc. III.

### 1703. 15. JUNII. VIENNAE.

### *Resolutio Regia, de Valachis, inter Unam, Colapim et Savum sitis, Jurisdictioni Regni subjiciendis.*

Nos Leopoldvs Divina Favente Clementia Electus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Styriae, Carinthiae, & Withenbergae, Superioris & Inferioris Silesiae, Marchio Moraviae, Superioris & Inferioris Lusatiae, Comes Habspurgi, Tyrolis & Goritiae etc. Omnibus & Singulis Valachicae Nationis intra Vvnam, Colapim & Savum constitutis Officialibus militaribus, Knezijs, Caeterisque Gregarijs ac incolis ibidem Commorantibus, hisce benigne notum facimus. Quemadmodum hucvsque nihil propensius curavimus, quam ut Valachicae Nationis (quae ob Insignem Christiani sui Zeli impulsum, excusso Turcicae servitutis Jugo, suas intra Vvnam, Colapim & Savum, quietae permansionis, novique Patrimonij, a nostra Maiestate Caesarea Regiaque ipsis concessas fixerat Sedes) Salutem ac Tranquilitatem, cum omni prosperitatis Civilis incremento promoveremus; Ita Sane nihil indignius experti sumus, nec quidquam maiori cum animi aegritudine intelleximus, quam quod eadem Generosa Natio, sinistris hinc inde persvasionibus in Contrarium acta, Consilij nostri Aulae Bellici decretis publicatis debitum non gesserit morem, Sepositaque Banali & Regni nostri Croatiae Authoritate & Jurisdictione, munia sua militaria eidem concredita obire recusaverit, pluresquo alias inobedientiae ac Turbulentae etiam pervicatiae notas aediderit, imo in nuper demandato abhinc Territorij Novensis, vigore almae pacis ad portam Ottomanicam resignandj, actu cessionario, Alay Begum Bosniae, tanquam ex Parte Portae Ottomanicae constitutum eo fine Comissarium, ejusque cohortes, coniunctjs aliquot armatorum millibus hostiliter prorsus & pacifrage invaserit. His itaque commotj. ad avertendas quasvis ulteriores eatenus Confusiones, ac mala, quae in Servitij nostri reique publicae detrimentum ex longiori rerum illis in partibus incertitudine suboriri possent, gratiose resolvimus, & determinavimus, accurateque executum habere volumus: ut Spectabilis & Magnificus Consiliarius intimus, Camerarius, Regni nostri Hungariae Judex Curiae, Regnorumque nostrorum Dalmatiae, Croatiae & Sclavoniae Banus, nec non Campi Mareschalli Locumtenens & Fidelis nobis dilectus Adamus Comes de Batthyan, perpetuus in Nemeth Vyvar etc. totum illud, intra Vvnam, Colapim & Savum situm, nostraeque Ditioni, ex almae Pacis mente legitime subiectum Territorium, vna cum Inhabitatoribus ejusdem omnibus, cujuscunque Nationis Incolis, protinus nostro nomine in fidem obedientiamque nobis debitam recipiat, & huic actui personali cum praesentia intersit, Simulque Vniverso Populo Valachicho & Incolis intra praedictos fluviorum Vvnae, Colapis atque Savi limites Constitutis, nostro itidem nomine publicari faciat, dictam mox Valachorum gentem, totamque illam praedefinitam Terrae plagam, ex nunc deinceps, quoad Jurisdictionalia & Civilia quaevis ac Spiritualia immediate Regno nostro Croatiae, quoad militaria vero Consilio nostro Aulae Bellico, & sub ejusdem Dispositione praefato Bano nostro, ejusque subalternis Officialibus perpetuo & Constanter subesse debere, uti & in reliquo, quidquid Terrae extra seu Retro Lineam, actuali Confiniorum Custodiae destinatam, superest, quoad proprietatem & Vtilitates Camerales a Camera nostra Aulica dependere, eaque porro de Causa Supremum Capitaneatum Petrinensem, qui Generalatui Varasdinensi hucvsque subiectus fuerat, quippe cum Locus ille. promotis vltra per DEI gratiam & Victricia Arma nostra Limitibus, pro fortalitio Confiniario amplius haberi nequeat, vna cum Militia ibidem existente, penitus aboleri & abrogari, idque ipsum vbivis, quoad necessum fuerit, declarari atque publicari facere, Cancellariae Aulicae Interioris Austriae nostrae benigne ac serio comitimus, gravique sub Indignatione nostra poenisque rigorosissimis prohibuimus, ne quisquam modernorum Commendantum aut Officialium Varasdinensium, Copriniccensium, S. Georgij, Crisiensium, Ivanicensium, Petrinensium, aut vbivis alibi constitutorum, supramemoratos iam Valachos aut Incolas illos, directe vel indirecte, versus Regni & Bani Dispositiones concitare, vel ab obedientia illis debita avertere, aut alios qualescunque modos, hanc gentem aliorsum inducendj suggerere, vllo prorsus sub praetextu audeat vel praesumat; quin potius, vbi vnus aut alter ex prefata Gente ad Confiniarios Interioris Austriae nostrae Commendantes quaeribundus refugeret, ijs aut ij, ab ijsdem ad djctum nostrum Regni Banum, illiusque Instantiam sine mora remitantur. Vltra quae amplius etiam Supremo Capitaneo Petrinensi Injunximus, si militiam quampiam ex suis Kostanicae stipendiatam adhuc haberet, aut vbicunque alia ejusmodj in praeattacto districtu moraretur, vt illam confestim abinde avocet, postque eductionem nihil prorsus sibj curae aut negotij illis in locis vltra sumat; verum ipsi Petrinenses hactenus Petrinae, & hac in adiacentia

locati (qvi ibidem subsistere & suam habitationem continuare vellent,) Bano & regno parere ac subesse debeant, sique hi, respectu Territorij sui, se maiorem titulum quam Episcopi Zagrabiensis productas Donationales habere ac authentice demonstrare praetenderent, & consequenter Venerabili Capitulo dictoque Episcopo litem desuper movere intenderent, tunc Causam hanc suam via Juris ordinaria coram praeattacto nostro Bano, tanquam in hisce realibus actionibus competente Judice, prosequi noverint, interea vero ab omni violento ausu, ac possessionis ullius arrogatione abstinere; non minus item Petrinenses dictae Nationis Valachicae instigatores atque Concitatores ad alia Interioris Austriae Confinia procul inde amoveri, omnesque alios illarum partium Officiales cujuscunque dignitatis aut officij existentes (siquidem isthaec officia in posterum a nemine alio, praeterquam praelibato nostro Regni Croatiae Bano, conferenda venient) penitus exauthorarj ac debito cum respectu eidem subjici & assignari, ipsi vero quoad Jurisdictionalia huic sese submittere, uti & militaria mandata, a Consilio hoc Aulae Bellico ad eundem dirigenda, prompte exequi, quoad Cameralia vero a Camera nostra Aulica dependere, omnimode debeant ac teneantur; benigne praeterea assecurantes, Valachicam hanc nobis charam Nationem, omnesque toties fati districtus Incolas, quod Vniversis & Singulis Justitiam, quacunque ex Causa debite administrari, eosque tanquam fideles subditos, qui in ultimi cruenti Belli decursu prae caeteris generositatis suae aedidere specimina, protectione nostra Caesarea ac Regia plenarie frui atque gaudere faciemus, uti & illos, qui in linea limitanea constituti, adeoque militaribus Confiniorum Servitijs actualiter applicati fuerint, a Decimis alijsque oneribus publicis immunes haberi, ac caeteris quoque Privilegijs militaribus donari curabimus. Omnibus demum & singulis praerecensitis hisce iterum pro conclusione serio Injungentes, quatenus benignum Caesareum hocce ac Regium Mandatum nostrum, ad evitandam severam alias animadversionem (erga secus facientes irremisibiliter secuturam) firmiter observari debeant, nec populum vltra quocunque sub praetextu commoverj, tumultuarj, aut Jussis nostris Regijs reniti patiantur, ne fortioribus (quod plane abhorremus) remedijs almae pacis conservationj, subactorumque nostrorum tranquilitatj consulere necessitemur. Dabantur in Civitate nostra Viennensi, die Decima quinta Mensis Junij, Anno Millesimo Septingentesimo Tertio. Regnorum nostrorum, Romani Quadragesimo quinto, Hungarici Quadragesimo Nono, Bohemici vero quadragesimo Septimo.

Leopoldus m. p.

. . . a Mansfelt m. p.

(L. S.)

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Maiestatis proprium
Joannes a Tiell m. p.

*A tergo:*

Resolutio Regia de Valachis, intra Unam, Colapim et Savum Regni Jurisdictioni subigendis. A. 1703.

In Archivio Regni Croatiae. Acta Gen. Congr. A. 1703.

---

## Doc. IV.

### 1704. 24. JANUARII. VIENNAE.

***Leopoldus Rex suae, de Generalatu Varasdinensi abolendo, A. 1703 die 6. Junii datae Resolutioni insistit; ejus tamen executionem ad pacatoria tempora differt, unaque ad intemeratam fidem contra rebelles hungaricos SS. & OO. hortatur.***

Leopoldus Dei gratia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiaeque etc. Rex.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles & Magnifici, Magnifici item & Egregij, Prudentes, ac Circumspecti, Fideles nobis dilecti. Probe recordabuntur Fidelitates Vestrae, Qualiter tenore benignarum Literarum

nostrarum, sub dato in hac Civitate nostra Vienna Austriae, die sexta Mensis Junij, Anni Millesimi septingentesimi tertij recenter evoluti, ad easdem exaratarum, coetera inter occasione etiam Generalatus Varasdiensis, ac Praesidiorum S. Georgij, et Ivaniczensis, nec non Caproncensis, Crisiensis, Csasmensis, et Petriniensis, adeoque indifferenter omnium Commandarum Varasdinensium, cum integro superiore Statu eiusdem Militari, quamprimum removendorum et Cassandarum benignam Resolutionem et determinationem nostram ijsdem Fidelitatibus Vestris clementissime intimari fecerimus. Et licet ejusmodi benignam Resolutionem nostram jam hactenus debito effectui mancipare cupivissemus, nisi modernae temporis Circumstantiae & confusus in Regno nostro Hungariae Status et Conditio, ad eandem adhucdum differendam, ac ad opportunius tempus prorogandam, et in Statu quo sustinendam Nos coëgissent, idipsumque e re et servitio nostro futurum modernae Conjuncturae svasissent. Ne tamen de ejusdem benignissimae Resolutionis nostrae, ob id, quod aliquamdiu effectuari nequeat, vel derogamine, vel etiam immutandae periculo Fidelitates Vestrae quempiam concipiant scrupulum, et propterea fors animo concidant; Indubiam eatenus spem & fiduciam easdem Fidelitates Vestras habere, nec ullatenus dubitare cupimus, idipsumque tenore harum ab ijsdem Fidelitatibus Vestris desideramus, ut, dum Nos praedeclaratae benignissimae Resolutioni nostrae omnino inhaeremus, effectivamque ejusdem executionem (quamprimum per temporis conditionem licuerit) clementissime pollicemur; Fidelitates quoque Vestrae de paterna erga se Gratia & clementia nostra confirmatae, occasione modernorum Motuum advicinanti tumultuoso et hostili Agmini, pro innata heroici Pectoris virtute sua, fideque, et Fidelitate hactenus illibate contestata, omnem in resistendo eidem operam impendere, charamque Patriam in debita erga Maiestatem nostram devotione conservare conentur, neque ulla defectionis aut jnfidelitatis labe avitam Nominis Croatici gloriam, & existimationem, atque integram hactenus fidem vel minimum commaculare & violare patiantur. Gratia in reliquo nostra Caesareo-Regia ijsdem Fidelitatibus Vestris benigne propensi manemus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima quarta Mensis Januarij, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quarto.

L e o p o l d u s m. p.

(L. S.) Ladislaus Mátyássovsky, Episcopus Nitriensis m. p.

Ladislaus Hunyady m. p.

*A tergo:*

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item & Egrijs, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Uniuersis Statibus & Ordinibus Dalmatiae, Croatiae & Sclauoniae Regnorum nostrorum etc. Fidelibus nobis dilectissimis.

Originale in Archivio Regni Croatiae. Acta Gen. Congr. A. 1704.

---

## Doc. V.

## 1704. 27. JANUARII. VIENNAE.

*Leopoldus Rex executionem Resolutionis suae, de Generalatu Varasdinensi Regni Jurisdictioni subjiciendo factae, iterum promittit.*

Leopoldvs Diuina Favente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus etc.

Reuerendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Egregij item et Nobiles, Fideles Nobis dilecti. Exposita Nobis demisse fuere ea, quae per Ablegatos Vestros, Episcopum quippe Zagrabiensem Martinum Braykovich, et Consiliarium ac Colonellum Nostrum Franciscum Csernkoczy, circa electionem Nostri Camerarij, Campi Mareschalli Locumtenentis, et constituti Colonelli Comitis Joannis Palffi ab Erdöd ad Banatus Officium, ejusdemque admaturandam administrationem, atque reformandum Jurisdictionique Regni reincorporandum Generalatum Varasdiensem Nobis Consilioque Nostro Aulae-Bellico humiliter exhibere atque supplicare voluistis. Et siquidem in peculiari solatio, quo ob attactam Comitis Joannis Palffi ad Banatum promo-

tionem affici Vos uberius testamini, benigne Nobis complacuimus, Idcirco etiam clementer demandavimus, ut jdem Banus proxime huc evocetur, ac porro, absolutis ijs, quae circa Insurrectionem Militiae Nationalis atque alia Regni negotia cum eodem disponenda hic occurrent, non solum quantocijus ad Vos veniat, servitio Nostro ac Patriae Vestrae bono gnaviter incubiturus, verum etiam continuus ibidem persistat, nec unquam, nisi praevia Consilij Nostri Aulae Bellici licentia, inde egrediatur.

Confirmationem deinde benignae Nostrae Resolutionis de incorporando in Regnum Generalatu Varasdiensi, pro qua tam enixe supplicatis, quod attinet, certos Vos securosque hisce volumus, Nos firmiter in benigna Nostra desuper publicata Resolutione persistere, nullamque eatenus alterationem admissuros, quin potius illam, quamprimum per modernas temporum Vicissitudines licebit, debito effectui mancipaturos esse, quamvis idipsum ob praesentem periculosum undequaque rerum Statum differre adhuc paulisper necessitemur.

Coeterum ob Commeatum, Copijs Nationalibus in Regno Hungariae aut alibi extra Patriam Militaturis necessarium, per Cameram Nostram Aulicam eae dispositiones fient, ne praeattactae Militiae de sufficienti Annona ac pabulo quidquam desit, Cujus accuratam Executionem cuidam, eapropter expresse adjungendo Annonae Officiali, serio committi curabimus; Quod Vos pro Vestra directione haud celare voluimus. In reliquo Vobis gratia Nostra Caesareo-Regia benigne propensi manemus. Datum in Civitate Nostra Viennensi, die vigesima septima Mensis Januarij, Anno Millesimo Septingentesimo Quarto. Regnorum Nostrorum, Romani Quadragesimo Sexto, Hungarici quadragesimo nono, Bohemici vero quadragesimo Octavo.

Leopoldus m. p.

(L. S.)

Eugenius a Sabaudia.

Ad Mandatum Sacrae Caesareae Majestatis proprium.

Joannes a Tiell m. p.

*A tergo*:

Reuerendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, nec non Egregijs & Nobilibus N. N. Universis Statibus et Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum etc. Fidelibus Nobis dilectis.

Originale in Archivio Regni Croatiae. Acta Gen. Congr. A. 1704.

---

## 1704. 15. MARTIJ. VARASDINI.

Articuli, Anno 1704. die 15. Martii, Varasdini, tempore nimirum Installationis in Banum Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Palffy ab Erdöd, medio Commissarij suae Sacratissimae Maiestatis et Installatoris, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Martini Braikovich, Episcopi Zagrabiensis, constituti.

*(Caeteris exmissis).*

### Articulus Tertius.

Quantumuis Diuino auxilio et Excellentissimi Domini Comitis Bani ductu et dispositione, ac virtute militari, concurrentibus uero potioribus Dominis Regnicolis et eorum armis, tumultuantium Hungarorum exercitus ex Insula Murakös recentissime cum notabili clade sua eiectus sit; nihilominus tamen, cum inaudiatur, circa Miholch Dravum alio Exercitu eosdem transiuisse, et Praesi-

dium Uerouiticza, uel hactenus expugnasse, aut obsidere actu: Domini Regnicolae, generalem Insurectionem per suam Excellentiam publicandam decernunt, ut nimirum domini Magnates et Banderia producere soliti et obligati cum Banderijs, Communitates et Civitates pariter cum Banderijs, Nobiles uero Turopolenses maiori longe quam hactenus numero, si non uiritim, pariter etiam Nobiles unius Sessionis itidem personaliter, reliqui uero Nobiles fumati personaliter et cum suo famulitio, a fumo uero Equitem unum et pedites duos producere teneantur, Armis, munitione et Annona pro uno mense provisi, elapso uero mensis spatio de Domibus Annonarijs suae Sacratissimae Maiestatis prouisionem habituri.

### Articulus Quintus.

Recognoscunt Domini Status et Ordines laudabilem prorsus zelum erga seruicium Suae Sacr. Maiestatis et Patriam suam, his proxime praeteritis temporibus, Illustrissimi Domini Comitis Petri Kegleuich, denunciati in praecedentibus Regni Congregationibus, uacante Banali Officio et absente Illustrissimo Domino Episcopo Zagrabiensi, Locumtenentis Officij Banatus, praestitum etiam per suam Maiestatem Sacratissimam et Excelsum Consilium Bellicum, et uicinae Provinciae Styriae recognitum, dum nimirum occupata Insula Muraköz, in huius etiam Regni Confinia Armati irruerent uicini Hungari, quandoquidem suis dispositionibus et resolutionibus mentionatus Dominus Comes Patriam hanc, usque ad Suae Excellentiae aduentum, immunem et illaesam praeservavit, promittentes fidelitatis huius et Solicitudinis se et posteritatem suam gratam memoriam habituros.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1712. 9. MARTII. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis SS. & OO. Regnorum Croatiae et Slavoniae, Anno 1712 mense Martio Zagrabiae celebratae Congregationis, in qua Sanctio Pragmatica a dictis Regnis acceptata fuit.*

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclauoniae, in generali eorundem Congregatione, Zagrabiae, in Arce Episcopali, Praesidente Illustrissimo et Reverendissimo Domino Comite Emerico Eszterhazy de Galantha, Episcopo Zagrabiensi, Abbate B. Mariae Virginis de Thopuszka, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario, et officij Banalis in Politicis Locumtenente, pro Die 9. et sequentibus Mensis Martij Anni 1712 celebrata, conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quintus.

Quantumuis hactenus ob incuriam temporis, seu impractibilitatem Uiarum, Ablegatio illa, quae pro salutanda sua Maiestate sacratissima erat ordinata, inter-

mitti debuerit, et eadem Ablegatio, ex parte Dominorum Hungarorum disuadetur, ex eo, quod in illorum peractam functionem extensam et in eadem comprehensam habere atque intelligi debere uoluissent, attamen Domini Status et Ordines, prima et proxima occasione, qua Domini Ablegati eorum Audientiam benignam consequi poterunt, eandem peragant et effectuent, statuerunt.

### Articulus Septimus.

Solicitudine atque zelo, quo Domini Status et Ordines ad assecurandam Patriam suam, consideratis tot et tantis eiusdem praeteritis periculis, et periculosis, euenibili quo casu Interregni tempore, reuolutionibus, et praeterea ad promerendam ampliorem hoc suo facto Benignitatem atque benignum Regimen Augustissimae Domus Austriacae, cujus deficiente Masculino (quem ut Divina bonitas in omne aevum superesse et florere admitat, optant,) foeminini etiam Sexus retinendum, in eosdem Regium Jus, praerogatiua, et Jure Regis et Regni exercendum subire cupient, eidemque se confidere, illius nimirum et talis foeminini Sexus, Augustissimi sanguinis Austriaci, qui uidelicet non modo Austriae, sed Prouinciarum etiam Styriae, Carinthiae, et Carnioliae possessionem habebit, et in modo fata Austria residebit: sinceris et unanimibus uotis moti et dispositi, statuunt, declarant, et resoluunt. suosque Dominos Ablegatos ad suam Sacratissimam Maiestatem Caesaream et Regiam exmittendos, in eo etiam et principaliter se instructuros decernunt, imo protinus instruunt; vt nimirum hanc eandem praefatorum Dominorum Statuum et Ordinum, motu eorum proprio, atque liberi arbitrij sensu, expressam et manifestatam resolutionem ac fiduciam Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestati, nomine Dominorum Statuum et Ordinum praesentent et offerant; et uicissim Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestatis, suorumque Augustissimorum Haeredum Gratiam, et pro tenore Clementissimarum resolutionum, promissionum, et assecurationum, Augustae reminiscentiae Austriacorum Principum, et Regum Hungariae, publicis Diaetalibus Regni Hungariae et Partium eidem annexarum Actis, et priuatis quoque, pro parte mentionatorum Dominorum Statuum et Ordinum emanatis Testimonijs insertis, benignam effectuationem, cum assecuratione Diplomatica, manutenendorum et conseruandorum horum omnium, et quae praeterea pro bono et emolumento, atque Interesse securitatis, petenda ipsis occurrerint, petere et obtinere non intermittant.

### Articulus Decimus Quartus.

Ne a modo ullus Dominorum Regnicolarum, siue inquietudine animi, siue odio, in statuta et consuetudines publicas, uel etiam in ipsas Dominorum Officialium Regni et Regnicolarum personas, suscepto et continuato, aduersus Jura et Consuetudines receptas Dominorum Statuum, uel etiam ipsorum officiales, praetermissa prima Instantia, et Dominorum Statuum Notitia, ad Diaetas Regni Hungariae recursum suum facere, ibidemque promotis suis instantiis, publica et priuatorum Jura, Priuilegia, et praerogatiuam, uel etiam receptas consuetudines lacessire et uiolare praesumat; Domini Status et Ordines uniuersos Regnorum horum Incolas, Jurisdictioni Banali subiectos, inhibent, inhibendoque statuunt et decernunt: Ut si quiscunque, et cuiuscunque Status ac conditionis, praesenti articulo contrario facto derogare praesumeret; talis eo facto

Jurium Regni, aduersus quae egit, incapax, respectu uero iniuriandorum Officialium, in poena Judices Regni infamantium eo ipso et defacto conuictus sit et habeatur. Hanc autem suam Constitutionem Domini Status et Ordines, pacis et quietis propriae conseruandae, Juriumque suorum protegendorum et manutenendorum amore, et ad praesidium Judicum Regni immutabiliter se conseruaturos et manutenturos resoluunt, et obligant.

### Articulus Vigesimus Nonus.

Instructionem pro memoratis Dominis Ablegatis quatuor, ad sacratissimam Caesaream et Regiam Maiestatem et Augustam Aulam deputatis, his punctis Domini Status comprehendunt (siquidem de aliis, alios Dominos Ablegatos, ad imminentem Diaetam Posoniensem exmissos, alia pariter instructione informassent, de suarum instantiarum numero et qualitate). Primo: Vt debita erga suam Maiestatem humilitate, erga Patriam uero suam et eiusdem Interesse saecuritatis fidelitate, resolutionem Dominorum Regnicolarum, de Successione Augustissimae Domus Austriacae, sub decursu modernae Congregationis institutam et statutam offerant et commendent. Secundo. Vt necessitates Confiniariae, uirium autem et facultatum Dominorum Regnicolarum erga eosdem improportio, suae Maiestati Sacratissimae demonstretur, adeoque succursus a Sacratissima Caesarea et Regia Maiestate petatur. Tertio. Ne Quanto onerum Dominorum Hungarorum, uti ipsi toties et anni etiam praeteriti 1711 sub finem ursissent, Domini Status et Ordines subjiciantur, petenda a sua Maiestate perpetua securitas et immunitas. Quarto. Solicitabunt executionem benignae resolutionis, Diui olim Leopoldi Imperatoris et Regis, a nouissime defuncto etiam Augustae reminiscentiae Josepho Imperatore et Rege petitae et promissae. Quinto. Petent diploma securitatis perpetuae, super uniuersis omnium Dominorum Statuum et Ordinum Juribus, Priuilegiis, praerogatiuis et receptis Consuetudinibus, inuiolabili conseruatione et manutentione per Suam Maiestatem et Augustissimos Haeredes et Successores suos utriusque Sexus tuendis et protegendis. Sexto. Vt quae praeterea pro commodo et vtiliori atque securiori Dominorum Statuum atque Ordinum permansione et conseruatione promouenda iudicauerint, inter quae occurrat etiam Salis beneficio, quoque Bani inducendi necessitas, et de eorum, quae in Regni Congregationibus per Dominos Status et Ordines praesentes concluduntur, manutentione, non obstante absentium reclamatione, et si quae in Diaeta non effectuarentur, promoueant et solicitent.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1712.

*Ex eadem Regni Congregatione.*

### Instructio.

Pro Generosis Dominis Petro Gotthal, S. C. R. Maiestatis Uice-Colonello ac Confinij Zrin Commendante, et Daniele Rauch, Zagrabiensi, nec non Georgio

Czyndery, Uarasdiensi, Comitatuum Uice-Comitibus, ad generalem Inclyti Regni Hungariae, ex indicto Suae Maiestatis Sacratissimae Caesareo Regiae, in Libera Regiaque Ciuitate Posoniensi, pro die tertia imminentis Mensis Aprilis, Anni modo currentis 1712 celebrandam Diaetam, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Ablegatis.

*(Caeteris exmissis.)*

4^to. Publicis quidem Regni Hungariae Juribus et Libertatibus atque Diplomatibus Diuorum Regum, in fauorem etiam horum Regnorum emanatis, inhaerebunt, nisi quod in praesenti Congregatione, de Successione Augustissimae Domus Austriacae factae Declarationi et Resolutioni, superindeque condito Statuto et Articulo, si et dum eo uentum fuerit, derogari non patientur, minus ipsi ullo pacto ab eodem Statuto recedent.

*Ex eadem Regni Congregatione.*

Instructio.

Pro Illustrissimis et Reuerendissimo Dominis Comitibus, Emerico Eszterhazy de Galantha, Episcopo Zagrabiensi, Abbate Beatissimae Uirginis Mariae de Topuszka, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Consiliario, etc. Joanne Draskovich de Trakostain, altetitulatae Suae Maiestatis Sacratissimae Consiliario et Camerariorum per Hungariam Magistro, Generali Uigiliarum Praefecto, Comitatuum Ualko-uar et Baronya Supremo Comite etc., Francisco Christophoro Dellisimonouich de Kosztanieuecz, Summae titulatae Maiestatis Sacratissimae Consiliario, Generali Uigiliarum Magistro, Praesidij et Confinij Kosztanicza Commendante etc., ac Generoso Georgio Plemich de Ottok, optimae titulatae Maiestatis Caesareae et Regiae Consiliario et Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Prothonotario, Dominorum Statuum et Ordinum eorundem Regnorum ad Sacratissimam et Regiam Maiestatem, ex moderna ipsorum pro die nona Martij Anni 1712 Zagrabiae indicta, et sub Praesidio praetitulati Domini Episcopi, qua Officij Banalis Locumtenentis, celebrata Congregatione Ablegatis.

Modo titulati Domini Ablegati, cum alijs Dominis ad id denominatis, et exmissis, praefatorum Regnorum Ablegatis, postquam Sacratissimam Caesaream et Regiam Maiestatem, Dominum Dominum eorundem Clementissimum, humillime reueriti, ac de felici ac exoptato Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestatis redditu, nomine Dominorum Statuum et Ordinum competenter agratulati fuerint, tunc in alia Audientia per se soli:

1^mo. Debita erga suam Maiestatem humillime, erga Patriam uero suam et eiusdem Interesse securitatis fidelitate, Resolutionem Dominorum Regnicolarum, de Successione Augustissimae Domus Austriacae, sub decursu modernae Congregationis statutam et receptam, et superinde factam Declarationem, Sacratissimae Caesareae et Regiae Maiestati offerant et commendent.

2<sup>do.</sup> Necessitates Confiniarias, uiresque et facultates Dominorum Regnicolarum remonstrent et declarent, et proportionem erga eiusmodi onerum supportationem manifestent et remonstrent, adeoque succursum a Sacratissima Caesarea et Regia Maiestate, per Augustae Reminiscentiae Leopoldum primum, Imperatorem et Regem benignissimum, oblatum et compromissum, demisse expetant.

3<sup>tio.</sup> Ne Quanto onerum dominorum Hungarorum, ut ipsi toties, et anni etiam praeteriti 1711 sub finem ursissent et intendebant, huiates Domini Status et Ordines subjiciantur, securitatem et immunitatem petant et obtinere studeant.

4<sup>to.</sup> Sollicitabunt Domini Ablegati Executionem benignae Resolutionis iam Titulati Diui olim Leopoldi Imperatoris et Regis, a felicissimae Memoriae Josepho quoque Imperatore et Rege petitae et promissae.

5<sup>to.</sup> Domini Ablegati petent Diploma securitatis perpetuae, super uniuersis omnium Dominorum Statuum et Ordinum horum Regnorum Juribus, Priuilegiis, praerogatiuis, et receptis Consuetudinibus, inuiolabili conseruatione et manutentione per modernam quoque Sacratissimam Caesaream et Regiam Maiestatem, eiusdemque augustissimos Haeredes et Successores utriusque Sexus, manutenendis, protegendis et conseruandis.

6<sup>to.</sup> Quae praeterea pro commodo et utiliori atque securiori eorundem Statuum et Ordinum permansione et conseruatione proponenda et petenda judicauerint, (inter quae occurrat etiam Salis beneficio quoque Bani inducendi necessitas, et de eorum, quae in Regni Congregationibus per Dominos Status et Ordines praesentes concluduntur, non obstante absentium declaratione, obseruatio) et si quae in Diaeta effectuata non fuerint, eorum quoque accomodationem, desideriaque et petita eatenus publica, pro sua prudentia et in rem communem eiusque securitatem consequendam affectu, promoueant, et salutare remedium benignamque Caesareo Regiam Resolutionem petant. Datum Zagrabiae ex eiusdem Congregationis Statuto et Decreto.

Lectum per me Magistrum Georgium Plemich,
Prothonotarium Regni m. p.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1712. DIE 15. MARTII. ZAGRABIAE.

*Carolus III. a Primoribus Regni edocetur, quibus mediis SS. & OO. Regnorum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae ad Pragmaticam Sanctionem acceptandam permoti fuerint.*

Augustissime, Inuictissime Caesar, Rex noster Clementissime!

Occasione Hungaricae Diaetae, Secundum regales Maiestatis Vestrae Sacratissimae, Posonii, ad effectum Coronationis Regiae, proxime celebrandae, con-

gregati sumus pro more Patriae in Regia hac Ciuitate Zagrabiensi omnes Status Regni Croatiae et Sclauoniae, super bono nostro communi et tractatibus Diaetalibus, qui haberi possunt aut deberent, consultaturi.

Quibus Statibus in unum Congregatis, nos infrascripti subditi Maiestatis Vestrae, de Statu quidem Cleri Episcopus, de Magnatum Statu Comes Joannes Draskouich, de Praesidiis et Confiniis Regni Christophorus Comes a Delisimonouich, senior Commendans, tandem de Statu Nobilium Nobilis Georgius Plemich, totius Regni Prothonotarius, habitis primum inter nos priuatis Consiliis, et Augustissimam Domum Maiestatis Vestrae indicibili teneritudine atque votorum fidelitate prosecuti, publicis finaliter exagerationibus periculum fecimus.

Ut amore salutis et Incolumitatis suae suaeque totius, quam relinquent, Posteritatis zelo, serio et attente considerare uelint dolorosam illam, cuius vel memoria afflictissima, et contingentiam, si, quod Deus et universi Coeli pientissime in finem ipsum Mundi auertant, Augustissima Domus in Principe mare deficeret; quae nobis eotum Electionis illa libertate, quam Patria Lex ibidem Posonii in postrema Coronatione diaetaliter condita, fatali eo in casu vendicare sibi videtur, polliceri licebit.

Sine dubio electivum illius temporis Regnum non nisi in cruentum et horribile bellorum erigetur Theatrum, fomentum erit intestinorum motuum, factionum, ipsa viscera Civium intime discerpentium, ineuitabile periculum, sanguineae denique et exterorum Principum nefors Tyranorum ambitionis, nobisque ignotorum hominum mordax et lethale irritamentum: eotum infidis blandimentis quaeremur, armis universa absumentibus compellemur; sine Duce, sine Rege, pro lubitu, pro fortuna Potentioris tractabimur, spretisque universis iuribus, libertate tota, et auitis praerogativis gentis nostrae vel inuiti subiugabimur. Non procul abest praesens exemplum, Poloniarum instar libere electiuarum peribimus; ubi solo libertatis vanae vano relicto sono, re non imperat nisi omnis Exter, non spoliatur nisi quiuis ciuis.

Dicant Status, num non salubrius foret et dulcissimis Pignoribus sane suis prouisum, si, semota illa vix foelici prouisoriae super electione Regis libertate, hereditarium Augustissimae Domus, cuius in singulis Regibus Austriacis plus quam Paternam experti sumus Pietatem, in utroque suo Clementissimo Sexu, nunc, et in obitum usque mundi, suscipiamus Gubernium, ut deficiente infelici fato Austriaco Rege, Austriaca nos habeat Regina, quae nimirum cum residuis et amplissimis prouinciis suis haereditariis nos, populum suum protegat, nos materne regat, nos defendat. Est quidem, ut esse plane videtur, Diuinum quoddam Austriacae Domus Priuilegium, in imbecillitate Sexus adeo dispensatiuum, ut vel proxima Poloniae ex Austria Regina, postmodum Lotharinga, in Gubernio nou tantum Reginali, quam etiam Regio et virili, factus Princeps esset.

Non deterreat nos a praeconcepto nostro Commodo, quod pars simus Hungariae. Partes quidem sumus, uti leges loquuntur, annexae Hungariae, non autem Subditi; et natiuos olim habebamus, non Hungaros, Reges; nullaque vis, nulla Captiuitas nos Hungaris addixit, sed spontanea nostra ultroneaque voluntate non quidem R e g n o, verum eorundem R e g i nosmet subiecimus; ipsorum omnino etiamnum profitemur Regem, quamdiu Austriacus fuerit. In Contrario autem euentu, ne audiamus seducentem libertatis electionem, aut electionis libertatem, neque necessitatem nostri, atque indissolubilem post Hungariam sequellam. Liberi sumus,

non mancipia, et prospectis rebus nostris, atque dimisso cum Tyrannis Periculo cumque Sciticys Regibus, dum aliunde antemurale simus Austriacorum Principum, hereditatis eos in toto gloriosissimo semine suo, sine discrimine Sexus, iterata voluntate et spontanea, veluti fidelis Populus Regnumque fidele, sequamur subiectione.

Memores sint, repetiimus Statibus, summarum illarum atque nouissimarum fidelitatis nostrae Conplacentiarum, quibus nos gloriosissimae reminiscentiae Austriaci Caesares: Leopoldus Primus et Josephus Primus, ferme partialitate quadam Paterna fuere consolati; quam Sacrosanctae libertates nostrae, quod ipsum de pientissimo Carolo et residuo Austriaco sanguine dubitare nefas est, fuerint per eorundem conseruatae et manutentae. Quod si Ludovicus ab Hungaris meruit unicam Filiam suam in Successorem Coronae et Regem praefici, ampliori argumento Augustissima Austriadum Domus a Croata nostra Gente meretur, ut Reginale semen suum in Principes Regni perpetuemus.

Verbo, non erat ... is Augustissime Caesar! quem in intentum istud, in hereditarium utriusque Austriaci Sexus Regiumque Jus Croatiae, Dalmatiae et Sclauoniae, toto nisu totisque uiribus non admouerimus. Deo proinde propitio et Gente nostra, Austriadum Principibus non ultime addicta, quid super eodem merito utriusque Sexus Successionis, in memorata et publica Regni istius Congregatione, singulorum exquisito voto, atque unanimi assensu, concluserimus, adnexus Regni Articulus remonstrabit. Acceptet, Supplicamus, universa Maiestas Vestra Sacratissima ea Clementiae suae teneritudine, qua et nos omnem operam nostram et fideles Status consensum suum impendere. Caeterum nos imprecatis Cordicitus Maiestati Vestrae, Regi nostro Clementissimo, serenissimis pignoribus, victoriis gloriosis, plena incolumitate et felici omnium atque nostrum Gubernio, ad ultimos ipsos Cineres perseueramus. Zagrabiae in Croatia die 15° Martii 1712. Maiestatis Vestrae Sacratissimae humillimi et iurati Subditi: Emericus Eszterhazy, Episcopus Zagrabiensis. m. p. Comes Joannes Draskovich, Cubiculariorum Regalium Magister et Generalis Vigiliarum Praefectus m. p. Cristophorus Dellissimonovich, Generalis Vigiliarum Praefectus et Supremus Confiniorum Commendans m. p. Georgius Plemich, praefatorum Regnorum Prothonotarius m. p.

***A tergo:***

Augustissimo, Inuictissimo Carolo, Dei gratia Romanorum Imperatori. Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae Regi, Domino et Regi nostro Clementissimo.

***Hic adnectimus Aulicae c. r. Deputationis in eodem Merito Suae Caes. Regiaeque Maiestati in germanica lingua substratam Opinionem.***

### Allergnädigster Kaysser vnd Herr!

**Auf Euer k. k. Maiestät allergnädigsten Befehl, hat Dero würklich geheimber Rath vnd hofcantzler Baron von Seilern den 27. dises der engern Conferenz vorgetragen, was an dieselbe der Cardinal von Sachsen-zeiz unterm 10. dieses aus Preßburg über den von den Steunden des Königreichs Croatien jüngsthin gefaßten allgemeinen schluß, daß auf den fall (welchen der Allerhöchste gnädigst abwende) des Absterbens Oesterreichisch**

Mannlichen Stammes sie in den sexum foemininum ejusdem Augustissime Domus, Si possidebit simul Austriam ac in eadem residebit, Stiriam ac Carnioliam simul, consentirt hetten, nachrichtlich erinnert, vnd weß so wohl er die Hungrischen Stande, die mit ihnen von diser sach geredet, darüber versichert, daß nemblich Ew. k. Maiestät von diesem Punkte nichts wüßten, Sie samsten denselben nicht bey den Croaten, sondern bey dem Königreich Hungern wurden haben anbringen lassen; also was auch Euer k. Majestät ersagten Cardinal unterm 13. dito darauff gnädigst resultirt haben; Nun wäre bald darauf Ew. k. Majestät die versicherte nachricht vom wirklichen vorgang dises von ersagten Croatischen Ständen gefaßten Schlusses zugekommen, vnd durch die anhero eigens abgeordnete in gehabter Audienz mündt- vnd schriftlich der mehrern allerunterthänigs bestättiget worden. Wäre demnach auf Ew. k. Majestät allergnädigsten Befehl gegenwärtig zu deliberiren, vnd deroselben allerunterthänigst einzurathen, was bey so beschaffen Dingen zu thuen? Ob nemblich diser articulus auch denen Hungrischen Ständen bey gegenwärtigen Landtag vorzutragen, vnd ihre gleichmässige einwilligung darüber zu begehren? oder aber ob damit der Zeit noch an sich zu hallten seye?

Die gehorsambste Deputation hette einsmahls fast wünschen mögen, daß dise sich noch ein wenig hette anstehen können, nicht daß selbe an sich nicht höchst erwünschlich vnd heilsamb, als auch, da die Hungarn noch in der forcht, vnd Ew. k. Majestät im Königreich armiert seind, jetzt an der rechten Zeit seye, disen Punkt mit hoffnung gueten ausgangs in vortrag vnd seine richtigkeit zu bringen, sondern weylen durch deren Befestigung eo ipso auch die Ordo Successionis auf den hoffentlich niemahls erfolgenden fall weder denen nachgelassenen Leopoldin- vnd Josephinischen Ertzhertzoginen, welches secretum man bis dato aus hochtringenden ursachen noch geflissen ohnberührt, oder doch verdekht gehalten, zu einer Zeit erörthert, vnd der wellt kundbahr gemacht würde.

Nachdem aber die Croaten sowohl aus loblichem antrib ihrer zum durchlauchtigsten Ertzhaus tragenden liebe unterthänigst vertrauen vnd Devotion, also auch aus einer sorgfelltigen, obschon darumb der Allerhöchste anzuflehen, ohnnöthigen vorsichtigkeit, für ihr selbst eigenes heyl, mit diser ihrer erklährung heruorgebrochen, selbe auch vnder den Hungarn bereits ruchbar vnd kund worden. So findet die gehorsambste Deputation keinen anstand, Euer Majestät allerunterthänigst einzurathen, mit eben diser Proposition gegen die Hungrischen Stände ohnbedenkhlich fürzugehen, vnd anzutragen, daß die Successio foeminea von den Ordinibus regni auff gegenwerttigen Landtag, wie in Croatien, also auch im Königreich Hungarn, durch ein Diätal-schluß, adeoque per legem publicam regni, in ihre verläßlichkeit gebracht werde, vnd dieser zwar aus folgenden ursachen, weylen:

1. nach diser vom Königreich Croatien offentlich gethanen vnd nun den Hungarn kündigen Erklährung eine gantz gewünschte vnd gleichsamb von Gott geschikhte, vielleicht sich so bald nicht mehr erreignende gelegenheit sich ergibet, in disem sonst haiklen bey vorigen vnd etwa auch künfftig folgenden Zeiten mißlichen passu, dermahlen sine inuidia vnd mit gewisser hoffnung, bey der Hungrischen nation anszulangen, nicht allein, weylen dise:

2. dermahlen wie obermeldet, annoch in forcht stehet, vnd Euer k. Majestät im Königreich bewaffnet seind, sondern, daß sie auch

3. bei so nachtruchlichem Vortribt der Stände des Königreichs Croatien sich schwährlich getrauen wurden Euer k. Maiestät in dem diesfalligen verlangen zu entgehen, wie dann auch nicht zu denkhen, daß sie den Croaten allein das verdienst hierin gönnen, sondern selbes vielmehr mit jenen zu theilen, oder es ihnen gar mit hurtiger einwilligung vnd dirigirung des werkhs abzugewinnen trachten werden. Wohingegen

4. Euer Kaiserl. Mayestät mit jenem, was Sie an Cardinal jüngsthin geschriben, daß Sie nemblich damahls von disem von den Croaten gefaßten entschluß nichts gewußt, alle gehässigkait vnd mißtrauen der Hungarn von Ihnen abwenden, nicht zu geschweigen daß

5. durch Stabilirung dieser weiblichen Successionsordnung in beiden Königreichen, Hungarn vnd Croatien, auch übrigens auf den ob Gott will nimmer auskommenden Toderledigungsfall in dero Erbkönigreich Böheimb vnd Oesterreichischen Landen zu besorgen habenden Spalltung vorgebauuet wurde, vnd endlich

6. die oben pro ratione dubitandi angebrachte vrsach, eben so wichtig nicht wär, daß darumb ein so grosser gegenwärttiger Vortheil vnd erwünschliche gelegenheit aus händen gelassen werden solle, daß nachdem die Stände dero Königreich Croatien in puncto Successionis foemineae in defectum masculorum sich also trew vnd bewot gegen dero durchlauchtigstes Ertzhauß freywillig vnd ohne mindeste dero antrib vnd veranlassung durch offentliche erklährung herbeygelassen vnd ihm selbst in futuros possibiles casus vorgesehen, Ew. k. Mayestät denenselben hierunder nicht aus handen gehen noch sie in disem ihren eyffer ansachen konnten, sondern wegen der hierunter waltenden gemeinsamben heyls beder Ihre liebsten Kenigreich Hungarn vnd Croatien auch zu verewigung der bisherigen zwischen ihnen hergebrachten engen Verknüpfung vnd Union, dise proposition ebenfalls ihren Hungarischen Ständen auff jetzigen Diaeta zu erörthern anzutragen entschlossen hette, ihm dann auch ausser allen Zweifel desto angenember sein werde, alß durch der Hungarn beytritt in ohnthoffenden obgang dero aus Gottlichem Seegen erwarthenden leibs Erben, oder auch in casu, da Sie allein erben weiblichen geschlechts hinterlassen sollten, einem künfftigen Interregno, welches inter mala Reipublicae pessimum wäre, heylsamblich vorgebogen vnd in antecessum vorgesehen sein wurde.

Nach so berathschlagter questione An? ist die gehorsambste Deputation auf den modum, wie diser Vortrag den Hungarn zu thuen wäre, gefallen. Vnd hat sich hierüber folgender massen verglichen. Daß anfänglich die sach bey denen Hungarn Im vnterbauen vnd absonderlich der Hungarischen Diät durch den Cardinal von Sachsenzeitz vnd hinnach auch die vertrauetern vnd ansehnlichern Magnates Regni, so geist- als weltliche, alsso der Palatinus, die grafen Palfy, Erdödy, Erzbischoff in Colossa ꝛc. wie nicht weniger auch die neuw Versöhnten als Karoly ꝛc. zu besprechen, durch nachgesetzte triftige motiua herbeyzubringen, vnd jeden insbesondere zu besprechen, ehe und vor aber dises gescheft den Hungarische Cantzler Illeszhazy In diser enger Conferenz mit ausschließung aller Referendariorum zu berueffen vnd diesem auch gleichsamb besonderen zu ihm setzenden vertrawen zu eröffnen wäre, daß Er, Cantzler, In dessen bekanntte eyfer, trew und dewotion, Ew. Mayestät hierunter das gnädigste Vertrauwen setzet, werde nicht allein den nutzen sondern auch die noth dessen für Hungarn desto mehr erkennen, alß dises Königreich sich wider die andringende Turkhische Macht anderst nicht, als durch ein an Patrimonial Königreich vnd Land mächtiges Oberhaupt wurde erhallten können, auf den fall eines Interregni aber, durch die innerliche motus von selbsten ohnfehlbahr zu grund gehen müßte. Ewer. Kayserl. Maiestät wäre zwar in blühenden alter vnd aus Gnade Gottes bey vollkomner erwünschter leibs gesundheit, Allein vom Manusstamm dero durchlauchtigsten Ertzhauses der Zeit noch der einzige vbrig, vnd seyen eben auch grosse Monarchen den menschlichen Zufällen unterworffen, wie es die frische laydige erfahrenheit nur allzu bewtlich bewahre. Angesehen dise bewegursachen hetten die Stände des Königreichs Croatien ihnen vnd ihren nachkömlingen gegen all diese betruebte zuefalle, die der Allerhöchste gnediglich abwenden wolle, durch obige erkhlährung gar loblich vorgesehen, derentwegen sie höchstens zu rihmen. Euer Majestät wollen sich demnach vorderst zu Ihme Cantzler, vnd dan In den gesambten gehorsambsten Ständen des Königreichs Hungarn gnädigst versehen, sie würden ersagten Croatien weder in der liebe vnd vorsichtigkeit gegen ihrem vatterland, noch in der devotion gegen dero durchlauchtigsten Ertzhaus nicht allein nichts nachgeben, sondern viel mehr ihnen das meritum hierunter abgewinnen wollen: mithin ihnen vnd ihrer posteritet in dem heyl ihres vatterlands, gleichfalls in omnes possibiles casus prospiciern, vnd zu dem ende dise weibliche Successionsordnung im Königreich Hungarn, mit Hebung aller sich etwa darwider vorthuenden beschwerlichkeiten, zu ihrem ohnsterblichen lob, vnd Euer Kayserl. Mayestät absonderlichen gefallen, auf gegenwerttigen Landtag gleichmässig vest stellen.

Wornnter vnd so lanng Ew. Kayserl. Mayestät sich desto neher versichert hallten konnten, wann er, Cantzler, wie das allergnädigste vertrawen zu Ihme gestellt wäre, die Magnaten, Barones vnd ordines regni durch seine getrewen embsigen officia mit nachtrükhlicher vorstellung obangebrachter motiuen hierzu vorberaith wurde, welches Ew. Mayestät gleichfalls thuen, vnd hinnach das werkh der Diaetae selbsten vortragen wurden, vnd sich allefalls auf der Croaten Instanz dauon nicht abhallten lassen könnthen.

Wie nun auff solche eyfrige Zuesprechung weder der Cantzler noch ander Magnates regni, sich Euer Mayestät willen entzihen könntten, alß wäre das werckh nach der hand in seine verläßlichkeit zu bringen, vnd aus dem künfftigen zu erwegen, In was Zeit, ob ante vel post Coronationem, der vortrag darüber der Diaetae zu thuen wäre. jedoch ꝛc.

*A tergo:*

In puncto stabiliendae successionis foemineae in regno Hungariae. Anno 1712.

Originale in c. r. aulico Tabulario Viennae.

---

## A. 1712.

*Carolus III. Rex, Pragmaticam Sanctionem a SS. & OO. Regni Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae adoptatam fuisse edoctus, suo et suorum haeredum nomine illibatam conservationem jurium et libertatum dictorum Regnorum spondet.*

Recredencionales Caroli VI. Regis.

Ad Status Regni Croatiae, Dalmatiae, Sclavoniae.

Quod a vobis Statibus Ordinibusque inclytorum fidelissimorumque Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali uestra Congrega-

tione, nuper Mense Martii Zagrabiae celebrata, propositum, deliberatum, actum, ac ibidem unanimi omnium consensu statutum ac placitum fuit, ut quandocunque futuris temporibus (quod Omnipotens Deus auertat) Sexus masculinus Augustae domus deficeret, in eo casu Sexus foemininus ex eadem Augusta domo, dum simul Austriam, Styriam ac Carnioliam possideat, atque in Austria resideat, in Regimine dictorum Regnorum haereditario succedat: ea singula, cum ex litteris vestris, Zagrabiae, ex dicta Generali Congregatione sub 9. dicti Mensis ad nos datis, tum ex libello nobis a Reverendo ac devoto, Magnifico, ac Spectabili, Generosoque Comite Emerico Esterhazy de Galantha, Episcopo Zagrabiensi, Abbate B. Mariae de Topuszka, Consiliario Nostro Caesareo Regio et Officii Banalis in politicis Locumtenente, Joanne Draskovich de Trakostain, Consiliario nostro et Camerariorum per Hungariam Magistro, Generali Vigiliarum Praefecto, Comitatuum Volkavar et Barona Supremo Comite, Francisco Christoforo Dellisimonovich de Kostainevecz, Consiliario itidem nostro, Generali Vigiliarum Magistro, Praesidii et Confinii Costanievecz Commendante, denique Georgio Plemich de Ottok, Consiliario pariter nostro et Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae Protho-Notario, Ablegatis vestris, hic porrecto, luculenter, sed et amplius ex oratione ipsorum ad nos habita, clementissime intelleximus; quorum utrumque ac imprimis dictum Ordinum Statuumque Decretum, utpote posteris vestris consultissimum, non uno nomine Nobis pergratnm, uerum ea ratione longe acceptissimum fuit, quod id ex sincera in Nos Augustamque Domum deuotione profectum esse agnouimus, neque nobis non potuerit non esse jucundissimum isthoc experimento comperire, spes vestras non in unius nobis, aut heredibus dumtaxat nostris masculinis, quos Deus dabit, concludi, verum ad sexum quoque foemininum Augustae domus a Vobis porrigi, nimirum certis atque securis, cuiuscunque sexus a Sanguine Austriaco generosi Principes contigerit, aut deinceps contingeret, non nisi bonos sceptroque aptos nasci posse, felicitatemque Regnorum cum Diademate Austriaco perpetuo conjunctam esse. Igitur pro tanta Vestra in nos nomenque Austriacum colocata fiducia, Vos Status et Ordines, universosque fidelium istorum Regnorum subditos Ciues ac Incolas paterno vicissim amore complectimur, recludimus vobis sinum, in quem ceu tutissimum portum confugitis, atque adeo saluberrimum hocce decretum vestrum, quo uno in futurum interregnum malorum omnium per illam praesertim partem pessimum anteuertistis, Caesareo Regia authoritate nostra clementissime probamus, acceptamus et confirmamus, operam daturi, ut quae cepistis consilia, ea quoque inclyti Hungariae Regni Status ac Ordines amplectantur, sed et vicissim vobis verbo Regio spondemus: Nos totos in eo fore, ut quae a Nostris Praedecessoribus, istorum Regnorum olim Regibus, pro egregiis avorum vestrorum meritis, concessa unquam iis fuere priuilegia, libertates, praerogatiua ac jura, ea omnia et singula vobis non modo sarta, tecta, illibata manuteneantur ac conserventur, verum quandoque id res postulat, etiam in majus augeantur et amplificentur, id ipsum pro haeredibus iisque successoribus Nostris Regibus aut Reginis Austriacis promittentes. Fidem porro supradictorum ablegatorum vestrorum, cum in aliis, tum praesertim in defungendo imposito sibi munere spectatam Nobis atque probatam, par est vobis ut commendemus, neque enim eorum quid aut dictare prudentia, aut sugerere su-

lertia, devotioque potuit quidpiam desiderari in se passi sunt, quin adimpletis omnibus muneris sui numeris, Gratiam Nostram Caesareo Regiam ubertim promeritos ad vos remittimus, quam ipsam vobis istisque fidelissimis Regnis Nostris perpetuo addicti manemus. Dabantur Viennae Austriae die... Anno 1712.

Originale in c. r. secreto aulico Archivio Viennae.

---

## 1712. DIE 16. MAII. VIENNAE.

*Carolus III. Rex, Regna Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae de conservandis eorum juribus et libertatibus iterato certiora reddit.*

Carolus Sextus Divina favente clementia Electus Rom. Imperator Semper Augustus, Germaniae, Hispaniarum, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Rex, Archidux Austriae.

Reverendi, honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Generosi, fideles Dilecti!

Quam grata Nobis fuerit declarata rursum et in nuperno Conventu Zagrabiensi, et per Solennem Legationem a fidelissimis inclytorum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Statibus in Nos totamque Augustam Domum avita devotio, providaque avertendorum, quantum fieri queat, futurorum discriminum solicitudo, ipsi Ablegati Vestri, Reverendus, Spectabiles et Magnifici Generosusque Comes Emericus Esterhazy de Galantha, Episcopus Zagrabiensis, Abbas B. Mariae Virginis de Thoputzka, Consiliarius olim Caesareus et Officii Banalis in Politicis Locumtenens, Joannes Draskovich de Trakostain, Consiliarius nuper quoque Caesareus et Camerariorum per Hungariam Magister, Generalis Vigiliarum Praefectus, Comitatuum Valkowar et Burona Supremus Comes, denique Georgius Plenich de Ottok, Consiliarius antea pariter Caesareus, Regnorumque Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Prothonotarius, testimonium perhibere poterunt. Referent Vobis ijdem, quid ad rem tam Salutarem omnino perficiendam et quam Solidissime stabiliendam Nobis necessarium visum fuerit, neque adeo dubitamus, quin una Nobiscum, ubicunque usus postulaverit, Vos porro sedulo incubituri sitis. **Vobis vicissim firmissime spondemus, non solum Vestra Vobis jura, Privilegia, et immunitates a Nobis Successoribusque Nostris inviolabiliter semper conservatum,** sed nec praeterea quicquam omissum iri, quod ad ingenitam Austriaci Sanguinis benignitatem et Clementiam demonstrandam, Regnorumque optime meritorum commoda ulterius provehenda facere queat. Superest, ut probatos iam luculento judicio Vestro ipsosmet Ablegatos Vestros, obita apud nos egregie functione, reduces, Nostris quoque verbis commendemus, Vosque simul de perenni gratia Nostra Caesareo Regia quam certissimos reddamus, quod et lubentissimo animo ac benignissima in Vos omnes et singulos voluntate nunc

agimus. Dabantur Viennae Austriae Die 16. May Anno Millesimo Septingentesimo Duodecimo. Regnorum nostrorum, Romani primo, Hispanici nono, Hungarici vero et Bohemici secundo.

Carolus m. p.

Joan. Fried. B. a Seilern.

Ad mandatum Sacrae Caesareo Regiae Maiestatis proprium:

Joannes Georgius Buol. m. p.

*A tergo*:

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis ac Nobilibus, Prudentibus item ac circumspectis N. N. uniuersis Statibus ac Ordinibus Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Regnorum Nostrorum fidelibus Nobis Dilectis.

(L. S.)

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1713. DIE 15. DECEMBRIS. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, A. 1713 celebratae Congregationis.*

Acta Congregationis Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, Zagrabiae, sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Comitis Emerici Esterhazy de Galantha, Episcopi Zagrabiensis, qua Officij Banalis in Politicis Locumtenentis, pro die decima Quinta et Sequentibus Mensis Decembris Anno Domini Millesimo Septingentesimo decimo Tertio celebrata.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Decimus.

Erga convenientem Excellentissimi Domini Comitis Josephi Rabbatha, Sacrae Caesareae Regiaeque Maiestatis Intimi Consiliarii, Camerarij, Confiniorum Carlostadiensis et Maritimorum Generalis Capitanei, requisitionem, praeclarorum quoque meritorum Eiusdem Domini Comitis erga Patriam hanc contestatorum, et, ut sperant, a modo etiam et quidem abundantius exhibendorum ob respectum, Uniuersi Domini Status et Ordines uoto unanimi eundem Dominum Comitem Generalem in suum indigenam, iuriumque suorum capacem et compartem suscipiunt, ea etiam conditione interposita, ut in proxima Congregatione, super fidelitate dominis Statibus praestanda, praetitulatus Dominus Comes iuramentum deponat.

Adnectimus hic Exemplum Diplomatis ejusdem Comitis Josephi Rabbathae:

Nos Vniversitas Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclauoniae. Damus pro memoria, quod Nos praemeditato Animo et maturo Consilio illud quoque considerauerimus; Quam gloriosum et utile sit Reipublicae, non modo propriorum filiorum Sapientia, Virtute et robore sustineri et promoueri; verum Externorum quoque accessu & Aggregatione exornari et ampliari; veterum Monumentis, Imperiorum et Regnorum Annalibus Testimonic, etiam Sancti Stephani Regis Hungariae Decreti Primi Capite Sexto, et quotidiana rerum Experientia id testantibus. Hinc nos pro eo, quo in promotionem et Conseruationem Status nostri et Reipublicae flagramus Zelo, Salutare omnino et proficuum nobis et posteris nostris futurum existimabamus, si Excellentissimum Dominum Sacri Romani Imperij Comitem Josephum a Rabatha, ad Eiusdem Domini Comitis in eo factam apud nos repetitis uicibus competenter instantiam, in Commembrum nostrum suscipiamus et adoptemus: qui aliunde in Praesidio Carlostadiensj Sacratissimae Caesareae & Regiae Maiestatis Militiae Germanicae perantea Capitaneum et in eodem Confinio Vice Generalem Annis plurimis, adeoque Congentilem quasi nostrum, cum Omnium nostrum Satisfactione et Consolatione egisset, donec ad Majores et altiores Honores et dignitates Augustissimae Domui Austriacae Seruitiorum, ac tandem in modernum Eiusdem Generalatus Officium praeclaris suis et multiplicibus meritis atque uirtutibus assumptus et promotus cum Summa Laude ad nostrum omnium notitiam et Conspectum ijsdem perfunctus extitisset: Eundem itaque Dominum Comitem Josephum Rabbatha et Eiusdem haeredes masculos, uoto unanimj et Summa omnium Congratulatione, Articulo superinde in praesenti Congregatione nostra condito, non modo in nostrum indubitatum Indigenam uerum etiam iurium nostrorum Capacem et compartem suscipimus et pro tali declaramus et publicamus, ea spe indubia freti: Quod abhinc etiam in eorundem Jurium et Libertatum nostrarum Conservationem et ampliationem, suo pro posse fideliter et constanter idem Dominus Comes Josephus Rabbatha sit cooperaturus et concursurus suique posteri concursuri & cooperaturi: Et inde ipse quidem Dominus Comes Josephus Rabbatka suique chari posteri meritorum suorum gloriosam & perpetuam Laudem et Encomium: Nos porro et posteritas nostra indelebilem ac uberrimam memoriam et Consolationem simus consecuturi. Et quod praeterea idem Dominus Comes Josephus Rabbatha Suo et Suorum haeredum nomine in proxima Congregatione nostra super fidelitate Eiusmodj inuiolabiliter praestanda et Continuanda Juramentum solitum et generalibus Decretis insertum sit depositurus. Datum Zagrabiae Die decima quinta Decembris, Anno Dominj Millesimo septingentesimo Decimo Tertio.

Renouabitur Diploma Indigenatus Regni Christophori olim Firinger, in Anno — sub sigillo Dominorum illius Temporis Statuum et Ordinum emanatum et in facie Praesentis Congregationis exhibitum, pro parte haeredum utriusque sexus eiusdem Christophori Firinger.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1717. MENSE MARTIO. ZAGRABIAE.

### *Articuli Generalis SS. & OO. A. 1717 mense Martio Zagrabiae celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in Generali ipsorum Congregatione, pro die prima Mensis Marcii in Anno 1717, Zagrabiae, ex Edicto Excellentissimorum et Illustrissimorum Dominorum Comitum, Emerici Esterhasy perpetui de Gallantha, Episcopi Zagrabiensis et Suae Maiestatis Caesareo Regiae intimi Actualis Consiliarii etc. et Joannis Draskovich perpetui de Trakostain, alte titulatae Maiestatis Consiliarii et Came-

rarii Cubiculariorum Regiorum Magistri et Campi Vigiliarum Praefecti officiique Banalis Locumtenentis celebrata, conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

Articulus 9.

Pro Vice-Comite Comitatus Zagrabiensis in Partibus Segniensibus Maritimis, Exemplo Articuli 13. Anni Millesimi Sexcentesimi quinquagesimi Tercii, Egregius Antonius Vukaszovich per Dominos Status electus et constitutus est; qui cum actu abesset, proxima occasione coram Domino Regni Vice-Bano, tanquam Comitatus Zagrabiensis Supremo Comite, super eodem Officio solitum praestare tenebitur Juramentum; qui post praestitum Juramentum, et Successores sui in eodem Officio, sessionem dum et quando ad Regni Congregationes comparuerint, post Comitem Terrestrem Turopolytanum sunt habituri; Cujus Juditia ad Sedriam Comitatus Zagrabiensis appellari debeant; Celebratione nihilominus sedis ejusdem etiam sine praesentia dicti Vice-Comitis libera permanente. Lectum per Magistrium Joannem Braniugh Protho-Notarium Regni m. p. (L. S.)

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1723. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generatis SS. et OO. a. 1723. 23. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Croatiae et Sclavoniae, in generali ipsorum Congregatione, penes Commissionem suae Excellentiae Banalis, ex Edicto Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Draskovich, Suae Maiestatis Sacratissimae Intimi Consiliarii et Officii Banalis Locumtenentis, pro die 23. et sequentibus Mensis Augusti Anni Millesimi Septingentesimi Vigesimi tertii Zagrabiae celebrata conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

Articulus Decimus Tertius.

Diploma Caesareo-Regium, Illustrissimo Domini Comiti Dismae ab Averspergh clementer elargitum, in praesenti Congregatione Statibus et Ordinibus praesentatum, publicatum, et nemine contradicente acceptatum est. Ipseque Dominus Comes (deposito in facie Congregationis solito et solenni Juramento) suique Haeredes et posteritates utriusque Sexus in Indigenas recepti sunt.

Articulus Decimus Quartus.

Similiter etiam Magnificus Dominas Baro Josephus Sermaghe, qui penes Dominam Coniugem suam in hoc Regno possessionatus esset, ad magnorum etiam virorum recommendationem, deposito solenni fidelitatis Juramento, in Indigenam Regni, haeredesque sui acceptati sunt.

**In Archivio Regni Croatiae. Acta Gen. Congr. A. 1723.**

---

## 1725. MENSE APRILI. VARASDINI.

*Conclusa Generalis SS. et OO. a. 1725, 12. die Mensis Aprilis, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Conclusa in Generali Congregatione Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Draskovich de Trakostyan tit. etc. qua videlicet Excelsi Officii Banalis Locumtenentis. Varasdini die 12. Mensis Aprilis anni 1725 celebrata.

*(Caeteris exmissis.)*

Articulus Quartus.

In merito Rectificationis metarum, supervenerunt etiam litterae ad Dominos Status et Ordines sonantes Excelsi Consilii Regni Hungarici, ad quas Domini Status et Ordines rescribendas judicant, se in hac ipsa materia et merito suae Excellentiae Banali scripsisse et informationem dedisse.

Articulus Quintus.

Ne demum per eiusmodi Intimationes idem Consilium Hungaricum, subjectionem aut dependentiam quampiam Statuum et Ordinum horum Regnorum (quam tamen subjectionem et dependentiam memorati Status neutiquam agnoscerent, imo tam in Diaeta, quam et apud Suam Maiestatem Sacratissimam per Ablegatos suos deprecati fuissent) praetendere possit, omnimode nunc et successivis temporibus praecavendum statuunt, salva caeteroquin eiusdem Consilii Regii Authoritate permanente.

**Originale in Archivio Regni Croatiae. Acta Gen. Congr. A. 1725.**

---

## 1732. MENSE FEBRUARIO. VARASDINI.

***Articulus Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae, A. 1732. 17. et sequentibus mensis Februarii diebus, Varasdini celebratae Congregationis.***

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae, A. 1732. 17. et sequentibus mensis Februarii diebus, Varasdini, post Installationem novi Bani Comitis Joannis Draskovich, celebratae Congregationis.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Decimus Quintus.

Ad 113. 1715, et ad 88. 1723 Annorum Diaetarumque Posoniensium publicos Diaetales Articulos reccurrendo, cum aliunde certa Commissio Caesareo-Regia ad Generalatum huncce Varasdinensem, et nefors Carlostadiensem quoque, non multo post tempore, et possibile, quod adhuc hoc imminente vere, descensura pro certo inaudiatur; Per humillimum itaque ad Thronum Suae Majestatis Sacratissimae recursum, ad tot tantaque, in praementionatis Articulis uberius denotata, utrobique in praemissis Generalatibus Regno huic et Regnicolis gravissima injuriosissimaque, et nec hodiedum etiam remediata praejudicia, avulsorumque eatenus reincorporationem, Deo denique hominibusque gratam et desideratam adjustandorum tandem aliquando complendam adiustationem, eandem suam Sacratissimam Majestatem clementissime reflectendam, instandumque eatenus, statuunt: Ut nimirum, tanquam pientissimus Justissimusque eorundem Dominus et Rex, eas talesque clementissimas instituere dignaretur dispositiones, dareque ordines et mandata, ut videlicet hac eadem, praementionatae propediem descensurae Commissionis occasione et contextu, iidem quoque supra alligati publici Diaetales Articuli, qua appertissimae eodem in merito conditae sancitaeque Leges, cum adaequata Justitiae satisfactione, tandem aliquando suum, tot suspiriis desideratum, consequantur effectum; et ut penes modernam quoque suam Excellentiam Banalem, quoad Dominos ex parte Regni articulariter ordinatos eatenus Commissarios, loco demortuorum, aut aliter qualitercunque legitime impeditorum, vel absentium, in locum talium alios sufficientes, e gremio Dominorum Statuum pro eadem functione elligendi et constituendi manere supplicetur Authoritas. Domini Status et Ordines praetensiones eatenus habentes; ut medio tempore Jura sua eo in passu disquirere, et appromptare, paratique talismodi Commissionem praestolari noverint, nec intermittant, hoc publico facto monentur.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

## 1733. MENSE FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae A. 1733, 23. et sequentibus mensis Februarii diebus, Zagrabiae celebratae Congregationis.*

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae A. 1733, 23. et sequentibus mensis Februarii, post mortem Domini Comitis Joannis Draskoviah, sub Praesidio Excellentissimi Domini Episcopi Zagrabiensis Georgii Branyugh qua Locumtenentis Banalis, in Arce Episcopali Zagrabiae celebratae Congregationis.

*(Caeteris eximissis.)*

### Articulus Quartus.

Post haec jam ante triduum assumpta, et satis superque disputata et considerata, in modernis vacantis realis Regni hujus Banalis Officii circumstantiis, an et cui Supremi Capetaneatus officii conferrendi occurrebat? etc. reassumpta est quaestio. Statu videlicet Nobilitari, hanc Officio Vice-Banali aeque Nobilitari competere allegante et praetendente, Dominis vero Magnatibus contrarium oppinantibus et sentientibus; in qua talismodi sensuum et opinionum diferentia, ne uni vel alteri eatenus parti, tantoque minus publico prejudicetur, aut quoquo modo derogetur, priusquam in re ancipiti, taliterque disputata, Domini Status quidquam decernerent, ac perlustranda hoc etiam in passu deservientia antiqua et sollennia Regni Jura et Privilegia, veterioresque et recentiores Regni Annalles, Actaque et Prothocola, necessario fuerat recurrendum; ipsisque inspectis et accurate revisis, ad ipsam primordialem ejusdem Capitaneatus Officii deveniendo radicem, successivumque postmodum et continuum Collationis ipsius observandae usum, clare satis et manifeste comperto, adinventoque eo, quod praerepetitum Regni huius Supremi Capitaneatus Officium, nulli absolute alteri Regni huius officio aut Statui sit alligatum, verum cuicunque tandem, sive de Dominorum Magnatum, sive Nobilitari (Vice-Bano etiam non excluso) statu, ad gerendum riteque obeundum idem Officium habiliori et qualificatiori, per Dominos Status et Ordines non modo sit conferibile, sed et a primo ejusdem Exordio et institutione semper et continuo per Dominos Status et Ordines illi, quem talem, ut praefertur, in se inveniebant, legitime collatum fuerit. Unde jam eatenus in claris et apprico existendo, ut in praeinsinuatis modernis vacantiae Banatus circumstantiis, in re quoque Militari, Regno huic, adeoque et ejusdem et Suae Sacratissimae Majestatis Domini Domini et Regis nostri Clementissimi Servitio magis respiciatur, Jure sibi incumbente et competente, Domini Status et Ordines legitime usi, pro eodem Officio Supremi Capitaneatus Regni praeprimis supratitulatum Illustrissimum, Reverendissimum Dominum Episcopum, in Politicis et Judicialibus modo praevio creatum et jam Instalatum Locumtenentem Banalem, praeterea Illustrissimum Dominum Georgium Emericum

Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Supremum perpetuumque Comitem, nec non Sacratissimae Caesareae et Regiae Majestatis Campi Colonellum, sic et Illustrissimum Dominum Sacri Romani Imperii Liberum Baronem Gabrielem Emericum Gotthall de Gotthallovecz, ejusdem Suae Sacratissimae Majestattis aeque Campi Colonellum et Comitatus Viroviticensis Supremum Comitem, demum Generosum etiam Dominum Georgium Czindery, qua per nuper demortuam Suam Excellentiam Banalem declaratum Regni hujus Vice-Banum, postquam legitime candidassent, ac pro candidatis eum in finem habere voluissent et scripto annotassent, libera omnibus et singulis praesentibus Statibus & Ordinibus voce et votisatione admissa, et collecta, incomparabili respective pluralitate votorum, interimaliter et titulo provisorio, usque dum nimirum peracta indubie realitate et actualitate Banali, Regna haec per Clementissimum eorundem Dominum consolata fuerint, secus cum hoc eodem Officio Capitaneatus Dominis Statibus disponere placuerit, cum omni quidem hactenus eidem Officio competenti Jure et Authoritate, in aliquod tamen miserae Contribuentis Regni hujus Plebis aleviamen, et Praesidiorum Regni exinde magis providendorum aliquod Subsidium, non nisi cum medio hujus eidem Officio cedenti Salario, praetitulato Domino Illustrissimo et Reverendissimo Episcopo et Locumtenenti Banali collatum est.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1736. MENSE NOVEMBRI. VARASDINI.

***Articulis Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1736. 28. et sequentibus diebus Mensis Novembris, Varasdini, celebratae Congregationis.***

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1736. 28. et sequentibus diebus Mensis Novembris, ex edicto et sub Praesidentia Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Josephi Esterhazy de Galantha eorundem Regnorum Bani, Varasdini celebratae Congregationis.

***(Caeteris exmissis.)***

### Articulus Nonus.

In quo tali extraordinario Summi Principis momentoso quarterii servitio et onere, Regno huic modo proviso imposito, de Confiniis Regni Banalibus proposita fuerat illa quoque publice quaestio, utrum eadem Regni Confinia Banalia ad idem supportandum quarteriorum onus etiam aliqualiter concurrere debeant? In quem finem per Suam Excellentiam Banalem, ex iisdem Regni Confiniariis huc vocati, et nonnulli etiam hic praesentes, sua prae-

stita, ac in futurum continuanter, fideliter atque fructuose praestanda allegantes merita, consequenter in condignam reflexionem summenda enumerantes servitia, supplicarunt, semet in praesentibus circumstantiis temporum, ab eodem onere quarterii eximi et immunitari. Quorum Confiniariorum justa et rationabili, ad notitiam publicam, ex ipsa ratione praesentium circumstantiarum status, ac ipsis Confiniariis, qui sub Excellentissimi Domini Comitis Bani moderni commanda et exemplari directione, ad instar aliorum Regiminum laudabilem assummentes Regulam, armaque, vestitum, Timpana, vexilla, atque necessarios Equos, ex propriis sibi comparantes, consequenterque et animum sibi in servitio Suae Majestatis Sacratissimae accendendo, praeter Vigiliarum praestationes Confiniorum, restantem continuandam repartitionem restaurari inceptorum continuare volentibus, ut Calcar et stimulus idem praeallegatus non tantum relinquatur, sed et eisdem tanquam hostico vicinis, et pro antemurali positis, vires conservandi, ac eundem stimulum serviendi, et bellandi, merito concedatur argumentum, Domini Status et Ordines omnino, pro hac vice, absque tamen consequentia, ab eodem praesentaneo onere quarterii eosdem praenominatos Regni confiniarios immunitari, et nullatenus idem onus, ex rationibus et motivis praeviis, in ipsos extendi debere unanimi voto statuerunt.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1737. MENSE SEPTEMBRI. GLINAE.

*Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1737. 4. et sequentibus diebus Mensis Septembris, Glinae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in generali eorundem Congregatione, Glinae, in novo videlicet eiusdem nominis Praesidio, confinio eidem Glinano et Commitatui Zagrabiensi adjacente, ex edicto, et sub Praesidentia Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Josephi Esterhazy de Galantha etc. Bani, pro die 4. et sequentibus Mensis Septembris Anni 1737 celebrata, conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Undecimus.

Litteras Excelsi Consilii Bellici Viennensis, Suae Excellentiae Banali perscriptas, Domini Status et Ordines communicatas habentes, Tractatum Pacis cum porta Otthomanica in Regno Poloniae, Loco quippe Nemirov dicto, si non jam inchoatum, proxime certo inchoandum, posteaquam intelexissent; quando quidem ea, quae Partes hujus Regni Turcis vicinas, consequenterque salutem et majorem Regni subsistentiam respiciunt, non tam aliis,

quam ipsismet Regnicolis constent: ut sensu etiam Articuli 41. Anni 1715 ibidemque citati 4. 1681., ac exemplo ultimae Pacificationis Passarovicensis, Sua Majestas Sacratissima unum de gremio hujus etiam Regni, ad eundem tractatum benignissime ordinare dignetur, instandum determinant.

### Articulus Duodecimus.

Cujus Litterae communicationis occasione, sua Excellentia Banalis, quod, quemadmodum ex traditione authorum colligere esset, Regni hujus metales ad fluvium Verbaz olim extensae habebantur, Praesidium vero Novi, in ripa Vunnae, prius ex Palanka duntaxat constans, tempore pacificationis noviter quasi muro errectum et fortificatum, in linea Praesidiorum nostrorum recta situatum exstaret, abindeque metales per fluvium Vunna, Biachinum usque exclusive observatae fuissent, Kozarecz quoque, prius ex Chardaka saltem constans, priori bello ignis voragine consumptum, contra puncta pacificationis, in proxima confinii nostri Dubicensis vicinia novissime sit ex muro exstructum atque errectum: Semet Suae Majestati Sacratissimae repraesentaturum, simulque, si non ultro, saltem eousque Regni hujus fines, cum reincorporatione nimirum ejusdem terreni, occasione praemissi Pacificationis tractatus, extendi Instantiam formaturum declaravit. Quod ipsum negotium Domini Status et Ordines eidem Suae Excellentiae ultro quoque obnixe recommendant.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1739. MENSE DECEMBRI. VARASDINI.

***Acta Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae A. 1739. 14. et sequentibus Mensis Decembris diebus, Varasdini, habitae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Dominorum Statuum et Ordinum, in Generali Eorundem, pro die 14. et sequentibus Mensis Decembris Anni 1739, Varasdini, ex edicto et sub praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Domini Josephi Esterhazy de Galantha perpetui in Frakno, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani etc. (P. T.) celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

Quod inter varias Superiorum temporum afflictae hujusce Patriae Injurias, Excellentissimus ac Illustrissimus Dominus, Dominus Comes Banus, singularem suum in conservationem et augmentum boni horum Regnorum publici directum conatum, piumque et paternum curarum studium, semper etiam inde ab exordio suscepti horum Regnorum Regiminis dirigere, potissimum autem, quod

inter praeteritas hujusce ultimo habiti contra portam Othomanicam Belli tempestates, primo quidem concreditae Principi ab Hildpurgshausen Varasdinensis Carlostadiensisque Generalatuum, horum item Regnorum Confiniorumque ejusdem, cum derogamine omnium Instantiarum, politicarum, aeconomicarum et Militarium, grande illud et enorme Regno, Officioque Banali, et praerogativae Nobilitari commandae praejudicium non tantum antevertere et declinare, verum etiam praeattactorum Generalatuum, veluti superaeminentiam quampiam praetendentium, ante hac non facile priorum Banorum Commandae subjectorum, pro majori et securiori Regnorum horum tutamine et Securitate, Gubernio et Commandae suae subjectionem exoperari, Militem Regni Nationalem in cohortes bene formatas speciali industria et labore redigere; eidemque de praestita ex Magazinis Caesareo-Regiis Annona providere, praeteritisque ternis campi ductibus cum gravi multorum Millium propriorum sumptuum impendio, et nec curatis propriae Sanitatis itteratis gravissimis alterationibus, cumque Altissimae Suae Personae vitae et sangvinis objectioni, in persona sua, a principio semper et ad finem usque, raro et admirando Exemplo, et sine ullo (quam omnes fere apud alias Suae Majestatis Sacratissimae Armadas Supremi Generales experiri debuerunt) Censurae incursu, cum maxima nominis sui gloria, gentis autem hujusce honore et existimatione praeesse, Imanem Juratumque Cristiani nominis hostem, cum ingenti, et vix unquam partibus in istis observata, vi et multitudine, campum Zrinanum inundantem, praesidiumque Zrin strictissima obsedione cingentem, totique Regno exiciale, publicae felicitatis exterminium minitantem, non modo proprio marte et consilio a visceribus Regni arceri, verum etiam eundem aeque cum imortali, et nunquam obliteranda, perque posteros grata semper et Jugi mente et memoria recolenda nominis sui gloria, sine ullo suorum damno, accedente divinae Clementiae Suffragio, ab obsidione praemissa amovere, et e finibus Jurisdictionis suae victoriose propulsare, talique facto Regno et regnicolis tranquilitatem, quietem, et securitatem, Jurisdictioni autem Suae Confiniariae, et Militari, finibusque ejusdem ex integro conservationem, in maximum denique miserae et sub tot et tantis oneribus poene ruentis plebis sublevamen et subsidium, pro intertentione hybernantis hicce Militiae ex Magazinis Caesareo Regiis panem et avenam procurare dignatus sit eam et talem, propenso, pleno, et plusquam paterno sinu effusam in Regnum hocce pietatem, Amorem, et Solicitudinem, Status et Ordines venerabundi agnoscentes, ejusdemque Suae Excellentiae Banalis magnanimo, heroico et marciali Animo, dextroque et felici Gubernio hujusce Regni felicitatem et conservationem plene et unice attribuentes, pro hacce singulari cura, propensione, labore, et solicitudine, eas quas possunt longe amplissimas et imortales dictae Suae Excellentiae Banali refferunt gratias; ultroque eidem felix et diuturnum Gubernium, prosperumque rerum omnium successum, firmamque et constantem, usque ad seros invidae Senectutis Annos incollumitatem, cum perreni servitiorum suorum oberationi, unanimibus et concordibus votis comprecantur; cum autem quibus propter tot et tantos, per Suam Excellentiam Banalem pro bono publico et conservatione hujusce Regni exantlatos labores, habitaque grandia fatigia et expensas, eidem Suae Excellentiae Banali Status et Ordines, (uti Justum omnino conveniensque et expediens foret) gratificare possent, in moderna extremà facultatuum suarum defectus circumstia constituti non haberent; Dominis Adamo Oresky Supremo Regni Perceptori et Stephano Gudich Substi-

tuto Comitatus Zagrabiensis Vice-Comiti, ejusmodi gratificationis modum exquirendi, eundemque fors adinveniendum in effectum et Executionem deducendi, plenariam et omnimodam admiserunt et hoc facto admittunt potestatis facultatem.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1740. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis SS. & OO. Regnorum Croatiae et Slavoniae, Anno 1740 22. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, habitae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem pro die 22. et sequentibus Mensis Maji Anni 1740. in Libera et Regia Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis et Comitatu similiter Zagrabiensi existente habita, ex edicto Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Josephi Eszterhazy de Galantha, perpetui in Frakno, Praefatorum Regnorum Bani (P. T.), sub Praesidio vero, ob actualem Suae Excellentiae Banalis Chyragrici paroxismi affectionem, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Vigesimus Quartus.

Considerantes et grata memoria Illustrissimi Domini Comitis Benvenuti Sigismundi Petaczy, Sacrae Caesareae Regiaeque Majestatis Colonelli, et Praesidii Generalatusque Carlostadensis actualis Vice-Generalis, diversis occasionibus, potissimum autem occasione ultimi hujus contra Portam Othomanicam Belli, in propugnando hocce Regno, viresque suas, cum expositione vitae et fortunarum suarum contra Infestissimum Christiani Nominis Hostem Turcam, cum copiis et Exercitu Regnicolari conjungendo, contestatum studium et propensionem, Domini Status et Ordines recolentes et recognoscentes, eundem Illustrissimum Dominum Comitem, erga praeviam ejusdem eatenus debite factam Instantiam, cum Filio suo Adelmo, Antonio Fratre suo Germano, Germanico Francisco a Petaczy, S. C. Regiaeque Majestatis Regiminis Geldiani Capitaneo, suosque utrius Sexus descendentes, in caetum et numerum verorum hujusce Regni Indigenarum, cum relaxatione solitae Taxae, receperunt et cooptarunt, sperantes eosdem Illustrissimos Dominos Comites sese gratos, utiles et fideles Patriae hujusce Concives deinceps quoque exhibituros; qui Illustrissimus Dominus Comes coram Sua Excellentia Banali solitum eatenus est depositurus Juramentum.

### Articulus Vigesimus Sextus.

Eximias Illustrissimi Domini Liberi Baronis Josephi a Kulmer, fixam suam in Regno hocce habitationem ponentis, et per Domum et Familiam Pathachichianam Confinium subintrantis, qualitates; suorum antenatorum, et quemadmodum praeclara Familiae Pathachichianae, Regno huicce constanter non minus quam et utiliter praestitorum meritorum facinora, Domini Status et Ordines grata et Jugi memoria recolentes, eodemque hoc facto ultro recognoscentes, ad praeviam ejusdem Domini Baronis Josephi a Kulmer Instantiam, eundem, suosque utriusque Sexus descendentes, in numerum et caetum verorum Regni hujusce Incolarum et Indigenarum, ad solitae taxae relaxationem, cooptarunt et receperunt, consvetum coram Sua Excellentia Banali depositurum Juramentum, sperantes suam Dominationem Illustrissimam fidelem et utilem Patriae hujusce Civem et comembrum sese semper exhibiturum.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1740. 5. JUNII. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis SS. et OO., A. 1740. 5. et sequentibus Mensis Junii diebus Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini 1740 die vero 5. Mensis Junii, Zagrabiae, sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Josephi Eszterhazy de Galantha, perpetui in Frakno, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (P. T.), occasione Continuationis suprascriptae generalis Regni Congregationis, conclusorum Actorum et Articulorum Regni Series sequens est.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Vigesimus Sextus.

Quando quidem Acta Regni, formalitate Diaetali in Articulos reddacta inprothocolari solerent, tum igitur ob hoc, cum etiam, pro capienda quo celerius, quidnam in aliquo statutum habeatur Articulo informatione, cum praeliminari ante quemlibet Articulum compendiosa, totales ejusdem Articuli continentias complectente rubrice praeinsertione, eadem Acta ammodo et in futurum semper inprothocolanda decernuntur.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1740. MENSE DECEMBRI. VARASDINI.

*Articuli Generalis SS. et OO., A. 1740. 1. et sequentibus Mensis Decembris diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem pro die 1. et sequentibus Mensis Decembris 1740., ex Edicto, et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Josephi Eszterhazy de Galantha, praefatorum Regnorum Bani (P. T.) Varasdini Celebrata Congregatione, conformitate publicae determinationis cum praeliminaribus suis rubricis conclusi.

*(Caeteris exmissis).*

### Articulus Secundus.

*Post maestissimum Sacratissimi Principis Domini Domini Caroli VI. Romanorum Imperatoris, Germaniae, Hungariae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regis obitum, Sacrae Reginali Majestati Mariae Theresiae altissimae titulatae, Suae Caesareo-Regiae Majestatis Filiae primogenitae, et Praefatorum Regnorum Reginae, homagialis devotio simul et subjectio, cum ulteriori augustissimi faeminei Sexus Austriaci Sangvinis in Regnis istis successionis confirmatione offertur.*

Post perlectas in publico Sacrae Regiae Majestatis Mariae Theresiae, Dei gratia Reginae Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Archi-Ducis Austriae etc. nuptae Ducis Lotharingiae, ac Bari, magnae Ducis Hetruriae, benignissimas, ad Inclytos Dominos Status et Ordines, sub dato Vienna Austriae die 22. praeteriti Mensis Octobris exaratas, accerbissimi sane moeroris et luctus Indices, Intimatorias Litteras, posteaquam ex iisdem, Sacratissimum Principem ac Dominum Dominum Carolum Sextum Romanorum Imperatorem, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regem, Archi-Ducem Austriae, Dominum Dominum et Regem Suum Clementissimum, et imortali sane desiderio dignissimum, divino placito, Regum potestatumque vices dispensante, praematura, et non tantum Regno huic, verum Universo etiam Orbi Christiano deploranda metamorphosi ex hac rerum humanarum perturbatione ad letissimam beatorum Spirituum aeternae faelicitatis consvetudinem, 20 praeinsinuati Mensis Octobris, evocatum esse, summa animorum suorum aegritudine Domini Status et Ordines intellexissent; semetque ad avitum, et Augustissimae Domui Austriacae hactenus semper incontaminate servatum, Suae altissimae titulatae Sacrae Reginali Majestati ultro praestandum fidei et fidelitatis obsequium hortari et invitari, seseque in immunitatibus per mox titulatam Sacram Regiam Majestatem illibate et inviolabiliter conservandos fore accepissent: Antelati Domini Status et Ordines, non tantum Articulorum Diaetalium 1. et 2. Anni 1723. memores, verum etiam felicissimam gloriosissimamque Augustissimae Domus Austriacae Gubernii, atque pientissimam in deffensione et conservatione sui Regnique istius Regiam invigi-

lantiam, in Juribus item et immunitatibus suis protegendis, conservandis, et incrementandis clementiam venerabundis animis volventes, primique aliunde, pro tenore Articuli 7. Congregationis Zagrabiae Anni 1712 die 9. Martii celebratae, Jus et Successionem Augustissimi faeminei Sexus Austriaci acceptantes et agnoscentes, altissime memoratae Sacrae Regiae Majestati omnem fidem et fidelitatem, hactenus semper Augustissimae Domui Austriacae illibate servatam, ac deinceps etiam semper et in aevum sacro sancte et incontaminate servandam deuovent, cumque omni subditali devotione altissimis clementissimisque Suae Sacrae Reginalis Majestatis Jussis et Imperiis sese ultro submittunt et subjiciunt, firmissimam sibi, de Regia, et in prenotatis Intimatoriis, in Archivo suo inter specialia Regni hujusce privilegia perpetuo asservandis ac praesenti quoque prothocolo inserendis clementissime expressam Reginalis Suae Majestatis clementiae spem policentes, quod Jura, praerogativas, immunitates, et privilegia sua, a Divis olim Hungariae Regibus, ipsisque Regiae Suae Majestatis gloriosissimis ex Domo Austriaca praedecessoribus, clementer ellargita, ubi favente ocasione pro Diplomatica eorundem confirmatione ad Suam Sacram Regiam Majestatem supplices recursum fecerint, confirmare dignabitur.

## Articulus Vigesimus Octavus.

*Benignissimi Suae Sacrae Regiae Majestatis in Articulo Secundo Specificati Intimati tenor talis est.*

Maria Theresia, Dei gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae ac Sclavoniae; Archi-Dux Austriae etc. nupta Dux Lotharingiae, ac Barri, Magna Dux Hetruriae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici, item Egregii, et Nobiles, nec non prudentes, ac circumspecti, Fideles nobis dilecti.

Posteaquam divinae potentiae, ejusque inscrutabili providentiae, cujus nutui et moderationi cuncta sunt subjecta, juxta universale Decretum super genus humanum editum, Sacratissimum Principem Romanorum Imperatorem, ac Germaniae, Hyspaniarum, Hungariae item ac Bohemiae Regem, Dominum Carolum, gloriosissimae reminiscentiae Genitorem Nostrum desideratissimum, die 20. modo labentis Mensis Octobris, ex hoc transitorio saeculo ad beatae imortalitatis quietem transferre visum fuisset: Intermittere noluimus, quin tristem hunc, qui nobis communiter accidit, casum, fidelitatibus quoque Vestris dolenter significaremus; et quia post luctuosum hunc eventum Nos, velut immediata ejusdem quondam Domini et genitoris Nostri Haeres et Successor horum quoque Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regimen, dictamine publicandarum Patriae Legum, signanter primi et Secundi Articuli in Anno 1723 Diaetaliter conditorum, feliciter simus auspicatae, illudque susceperimus, et memoratis quoque Nostris, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis gubernandis altissimas admoverimus manus: Ea propter Fidelitates vestras harum Serie Regia Nostra adhortamur clementia, quatenus homagialis obligationis Suae memores, debita quaeuis fidelia obsequia, quemadmodum pientissimae memoriae antecessoribus Nostris laudabiliter et omni zelo praestitistis, etiam nobis, tanquam legitime jam constitutae Reginae ac Dominae, haud minori quam reliqua Regna, et Provinciae Nostrae haereditariae devotione, intemerataque fidelitate promptissime demonstrare ac exhibere

studeant; securi in eo existentes, quod nos haecce Nostra Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regna, omnesque fideles Status et Ordines eorundem, in suis Juribus, Privilegiis, Libertatibus, et immunitatibus illibate et inviolabiliter conservabimus, et conservari faciemus, ac nihil eorum, quae ad emolumentum horum Regnorum Nostrorum, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, eorundemque defensionem et tranquilli Status conservationem pertinere animadverterimus, seu in Generali Diaeta, quam aliunde proxima commoda occasione celebrare intendimus, seu alias etiam intermittemus; imo omne conatum et operam eo adhibebimus, ut in Nobis benignissimam Dominam ac Reginam experiri valeant, nosque omnium Subditorum Nostrorum optimam de Nobis exspectationem, si non superare, ast certe aequare adnitemur. Gratia et Clementia Nostra Regia fidelitatibus Vestris benigne iugiterque propensae manentes. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae die vigesima secunda Mensis Octobris. Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quadragesimo.

**Maria Theresia m. p.**

Ludovicus de Bathyan m. p.

Josephus Koller m. p.

*(Locus Sigilli affixi.)*

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1741. MENSE NOVEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1741. 27. et sequentibus Mensis Novembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, Zagrabiae in Arce Episcopali, pro die 27. et sequentibus Mensis Novembris 1741, ex edicto et sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis et Officii Banatus Locumtenentis, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Sextus.

*Candidati, pro Officio Banatus, Suae Majestati Sacratissimae nomine publico recomendandi, denominantur.*

Post Clementissimam per Suam Majestatem Sacratissimam Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Josephi Eszterhazy de Galantha, ex Offi-

cio Regnorum horum Banatus ad Officium Judicatus Curiae Regiae, eximiarum ejusdem virtutum laudatissimorumque de Sua Majestate Sacratissima, Augustissimaque ejusdem Domo Austriaca Sacroque Regni Hungariae Diademate, comparatorum Sibi Sago et Toga meritorum intuitu, sublimationem; quod Majestas Sua Sacratissima in tanto altissimarum Regiarum curarum suorum concursu, in Regni quoque istius conservationem benignissima propensione et plus quam materna cura et solicitudine intenta, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Georgium Branyugh Episcopum Zagrabiensem, ob fidelia et utilia ejusdem in altissimi Suae Majestatis Sacratissimae servitii bonique publici promotionem, atque Sacrae Regni Hungariae Coronae, praesertim vero Patriae hujus utilitatem et conservationem, cum omni zelo et fervore exhibita studia et conatus, exindeque comparata sibi de Sua Majestate Sacratissima et republica Christiana eximia merita, pro Officii Banatus Locumtenente denominare, medioque ejusdem praesentem Generalem Congregationem nostram praefigi curare atque ad eam usque benignissimam alterius Regnorum horum Bani denominationem differe dignata fuerit, Suae Majestati Sacratissimae in summa subditali devotione Status et Ordines humillimas et immortales agunt gratias; et hinc ad instar reliqua principaliora, altissimum Majestatis Sacratissimae servitium Regium, nec non in sinceram Regnorum horum conservationem respitientia negotia, occurrebat etiam formanda supplex ad Suam Majestatem Sacratissimam pro benignissime preficiendo Regnis istis Capite, resolvendo quippe reali eorundem Bano, Instantia; siculi etenim antecedentem desiderando desiderarunt, ita et de facto realem et actualem Banum, a potiori in Gremio Regni mansurum, regi et gubernari unice desiderant: Eapropter Majestati Sacratissimae Excellentissimos et Illustrissimos Dominos Comites, non minus natalium splendore, quam et eximiis de Sua Majestate Sacratissima totaque republica Christiana meritis conspicuos, Ludovicum utpote Battyan de Nemet Uivar, Georgium Erdödy de Monyorokerek, priorem quidem Cancellariae Suae Majestatis Sacratissimae Aulico-Hungaricae Cancellarium, posteriorem vero Camerae aeque Hungarico Aulicae Praesidem, utrumque Suae Majestatis Sacratissimae actualem Intimum Consiliarium Camerarium, sic et Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Georgium Branyugh, Episcopum Zagrabiensem et actualem Locumtenentem Banalem, Excellentissimos praeterea et Illustrissimos Dominos Comites Dominum Carolum de Battyan et Franciscum Eszterhazy, utrumque Generalem Equitatus, ac ultra hos, jam prioris etiam vacantiae Banalis occasione humillime submissos, et ne fors Regio servitio ulterius et respective necessarios duos adhuc alios, utpote Excellentissimum et Illustrissimum Dominum Comitem Ludovicum Erdödy, Suae Majestatis Sacratissimae actualem Intimum Consiliarium, Camerarium et Colonellum, et Illustrissimum Dominum Comitem Alexandrum Pathachich de Zajezda, Suae Majestatis Sacratissimae Aulico-Hungaricae Consiliarium et Comitatus Simegiensis Supremum Comitem (qui Patriae Linguae et consvetudinum gnari, ex ratione etiam possessionis comodius residere valerent) Regnorum horum realem Banum clementissime denominare et constituere dignetur.

## Articulus Vigesimus Primus.

***Ad inferioris Sclavoniae reincorporationem, districtus Kuttinensis Jurisdictioni Regni restitutionem, excessuum circa Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus hactenus interventorum compositionem, et ad Limitum Regni cum vicinis provinciis distinctionem Commissiones ordinantur.***

Quandoquidem eam benignissimam Suae Majestatis Sacratissimae, Dominae Dominae et Reginae Clementissimae, mentem et intentionem esse, palam constaret, quod omnino conditas Leges et Articulos sine effectu manere, adeoque gratis conditos esse non patietur; quod vel exinde statim testatum redditur, cum eadem Sua Majestas Sacratissima supratitulato Illustrissimo et Reverendissimo Domino Locumtenenti et Praelato Augustissimo Suo et pleno gratiarum ore committere dignata fuit, ut Comissarii ex parte Regni, inferioris Sclavoniae, virtute Articuli 18 et 50 reincorporationem districtus Kuttinensis, tenore Articuli 51 Jurisdictioni Regni restitutionem, ita et Excessuum circa Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus hactenus interventorum sensu Articuli 49 compositionem, quemadmodum, et ad metam inter vicinas Styriae et Carnioliae Provincias, atque Dominium Chaktornia, ad mentem Articuli 53. novissimae Diaetae controversam rectificationem, ex parte Regni quantocius denominent; cui benignissimae aeque ac Justissimae Suae Majestatis Sacratissimae menti et intentioni Domini Status et Ordines satisfacere cupientes, ad reincorporationem Sclavoniae, ex parte sua futurum Dominum Comitem Banum, Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Georgium Branyugh Officii Banalis Locumtenentem, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopum Zagrabiensem, et Abbatem Beatae Virginis Mariae de Thopuska; Illustrissimum Dominum Comitem Alexandrum Pathachich de Zaiezda, perpetuum in Rakovec et Verbovec, Sacratissimae Regiae Majestatis Aulico-Hungaricae Cancellariae Consiliarium, ita benigne indulgente Sua Majestate Sacratissima; Dominum Comitem Ludovicum item Pathachich, de praefata Zaiezda, perpetuum item in Rakovecz et Verbovecz, Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarium, et Inclyti Comitatus Veröcze Supremum Comitem, Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Majorem Praepositum Zagrabiensem (Titt.); Dominos Balthasarem Bedekovich de Komor Vice-Banum, Magistrum Adamum Naisich, Proto-Notarium, Joannem Rauch, Tabulae Regni Judiciariae Praesidem, Ordinarios Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum Vice-Comites; ad Excessuum vero Generalatus complanationem et Districtus Kuttinensis Jurisdictioni Regni reapplicationem, pro Praeside futurum Dominum Comitem Banum, Dominum Comitem Joannem Franciscum Chikuliny, Colonellum, Reverendissimum Dominum Josephum Cholnich, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Lectorem et Canonicum, et Sanctae Sapientiae de Tittel Praepositum, Vice-Banum item, et Prothonotarium Regni, Dominos item Ordinarios Varasdinensis, Zagrabiensis & Crisiensis Comitatuum Vice-Comites, pro Comissariis Domini Status et Ordines ordinarunt et denominarunt, ordinatosque et denominatos esse Suae Majestati Sacratissimae perscribendum esse decreverunt.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

## 1742. MENSE FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, A. 1742. 12. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, Zagrabiae pro die 12. et sequentibus Mensis Februarii 1742, ex edicto et sub praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Officiique Banatus Locumtenentis, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Decimus Quartus.

*De correspondentia cum Regimine interioris Austriae.*

Postquam exhibitum per Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Praesulem et Locumtenentem, sibi sonans et directum, et de dato Viennae Austriae die 22. Mensis Januarii emanatum, atque in occurentibus militaribus negotiis cum Instantiis Bellicis, in rebus vero sanitatis cum Regimine Interioris Austriae, mutuam de tempore in tempus corespondentiam atque cointeligentiam fovere praecipiens Benignum Mandatum Regium perlectum, atque per nos in subditali devotione nostra acceptatum fuisset, Domini omnino Status et Ordines justum et conveniens esse censuerunt, ut cum praefato interioris Austriae consilio Bellico et Regimine in rebus similibus corespondentia pure et praecise foveatur, dependentia vero, aut ejusdem definitivae fieri solitae insinuationes nullatenus et in minimo quid acceptentur; et quia idem Consilium Bellicum interioris Austriae, suprascriptae suorum millium peditum, et quadringentorum Equitum Militiae, ex littore Savi, sive inferiori Sclavoniae profisciscentis, normam ittinerariam, per Suam Sacratissimam Regiam Majestatem, ex Jurisdictione Regni, per Generalatum Carlostadiensem directam immutare, eandemque Militiam integraliter per Jurisdictionem Regni inviari nihil pensi duxisset, atque exhinc non tantum Regnicolis, (quos ejusmodi transena non tangebat) veluti ad inpraevisam ejuscemodi transenam imparatis, plura damna et excessus, verum etiam ipsius servitii Regii remoram ex ejuscemodi defectu causasset, id ipsum Suae Majestati Sacratissimae repraesentandum humillime veniet, quatenus amodo et imposterum dictum Consilium, et Regimen interioris Austriae, a similibus abstineat, et semet ad clementissimas dispositiones Regias immutandas imittere nullatenus praesumat.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

## 1742. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1742. 19. et sequentibus Mensis Decembris, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, Zagrabiae pro 19 et sequentibus Mensis Decembris 1742, ex edicto et sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Officiique Banatus Locumtenentis, celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Septimus.

*De benignissimi infrascripti Mandati Regii perlectione ejusdemque ex rationibus sub insertis Prothocollo Regni insertione.*

Benignissimum Suae Sacratissimae Regiae Majestatis, sub dato Viennae Austriae die 26. Mensis Novembris anni currentis 1742 ad Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Praesulem et Officii Banatus Locumtenentem sonans et inviatum, atque per eandem Suam Illustrissimam et Reverendissimam Dominationem Locumtenentialem cum Dominis Statibus et Ordinibus communicatum, et juxta contentae ibidem benignissimae Comissionis Regiae exigentiam effectui mancipatum, in publico lectum et clementia Regia plenum, non sine peculiari Dominorum Statuum et Ordinum consolatione intellectum Mandatum, vel ex eo publico Regni Prothocollo inserendum, et originaliter penes acta Regni suo tempore asservandum decernitur, tum quod ex eodem benignissimo Regio Rescripto, Capitanei Regni per Dominos Status et Ordines facta substitutio, adeoque et occasione vacantiae ipsius etiam generalatus officii collatio ratibabeatur, tum vero, quod quemadmodum Suae Illustrissimae et Reverendissimae Dominationi Domino Officii Banatus Locumtenenti, illorum, quae generaliter congregati Domini Status et Ordines horum Regnorum in promotionem servitii sui Regii, abindeque dependentis communis boni, concordibus votis determinantur, effectuatio et exoperatio potissimum incumbere declaretur, ita quoque factas in re Militari, occasione praesentis belli, non modo circa Regnicolares, verum etiam circa confiniarias copias per Dominos Status et Ordines benigne in prioribus etiam clementissimis Rescriptis Regiis colaudatae et approbatae sunt dispositiones, et consequenter authoritas quoque Dominorum Statuum et Ordinum ad Confinia, fidei et fidelitati suae concredita, atque semper et ab olim dispositionibus gubernio et Commandae suae et Bani subjecta, manifeste et per expraessum extensa habetur, et ultro quoque agnoscatur. Benigni vero Mandati tenor talis est.

Maria Theresia Dei gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, Archi-Dux Austriae etc. nupta Dux Lotharingiae, ac Barri, magna Dux Hetruriae.

Reverende fidelis nobis dilecte! Clementer accepimus fidelium Statuum et Ordinum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Litteras, ex generali eorundem Congregatione die 24. et sequentibus praeteriti mensis Octobris Zagrabiae celebrata, ad nos demisse datas, ac ex continentiis earundem benignissime et cum plenaria satisfactione Nostra intelleximus: quo fervido et laudabili sane zelo dicti fideles Status et Ordines antelatorum Regnorum nostrorum, statutam a se pro nuper effluxo Militare Anno Pedestrem et Equestrem Militiam adhuc per decursum Anni unius in Servitiis Nostris Militaribus permansuram, ac ex aerario nostro etiam quoad Vestes, usu longiori et servitio destructas, reliquaque attrita, et necessaria, quae pro stimulo redditus in patriam praetextuare possent, providendam, concordibus et liberrimis votis non tantum relinquerint, et pro taliter relicta declaraverint, sed etiam hanc devotissimi animi sui promptitudinem, et ad promovendum servitium nostrum alacriter impensam operam, substituto Capitaneo suo dictae utriusque ordinis Militiae Praefecto, aliisque ibidem habitis Officialibus subalternis intimaverint, ut praerecensitae dispositioni antelatorum Statuum et Ordinum ipsi quoque conformiter et paria agant, et adhibitis quibusvis efficacibus modis et mediis, omnes quibus praesunt, ad viriliter continuanda decursu unius adhuc anni servitia sua Militaria disponant.

Interim priusquam praerecensita dispositio ad Officiales antelatae Croaticae Nationalis Militiae Praefectos pervenisset, ac modo eorundem modofatae Militiae explicari potuisset, factum fuit, quod e numero ejus circa 70 ab exercitio nostro die septima currentis hujus Mensis abiverint et domum Patriamque suam versus abiverint, quos fors et reliqui de eadem Militia secuti extitissent; ne autem Exercitus noster in Italia excubans notabilem hunc virorum Militaria servitia laudabiliter hucusque exhibentium numerum, et quidem ad conspectum ipsorum et inimicorum amittat, Generalis Campi Mareschalus noster, Comes Traun, illis tam videlicet penes Exercitum sibi concreditum adhuc remansis, quam et praevio modo inde recedentibus, eam affidationem fieri curavit, quod dummodo decursu adhuc 10 hebdomadarum penes exercitum Nostrum praestiterint Militariaque servitia sua continuaverint, expleto dictarum hebdomadarum spatio, omnes et singulos inde in patriam reverti volentes, quin repetant domos habitationesque suas, ipse non sit detenturus; erga qualem affidationem tam illi, qui penes exercitum adhuc perstiterant, remanserunt quidem, et ab exercitu jam moventes eo reversi rursus fuerunt.

Cum porro perpensis et ruminatis modernis rerum temporumque circumstantiis, facile quivis perspiciet, quantum in eo positum existat, ut una ex parte fructus, qui nos ex producta, et medio antelatorum fidelium Statuum et Ordinum tam prompte et alacriter statuta pedestre, non minus quam et Equestre Militia manere deberet, aut intervertatur, altera vero ex parte absque ulteriore dispendio sociata opera eo adlaboret, quo dictus et pedestris et Equestris Miles pro justissima causa nostra et Gentis gloria rite dimicaturus haud dessit, verum juxta etiam peralegatam propriam praerepetitorum fidelium Statuum et Ordinum determinationem, decursu adhuc unius Anni, in Servitiis Nostris Militaribus permaneat, super quo praefatus noster Campi Mareschalus per suas etiam Litteras die secunda currentis hujus mensis expeditas, imo oretenus quoque, uberius medio exmissi Officialis vos requiri fecit.

Ac proinde vobis praeexposita cuncta eum in finem hisce benignissime perscribenda esse duximus, quatenus acceptis mox praesentibus, et convocatis saltem iis, quos ad manum habere potestis, cum et alioquin vobis qua Banalis Officii Locumtenenti potissimum incumbat, illorum, quae generaliter congregati Status et Ordines praerepetitorum Regnorum Nostrorum in promotionem Servitii Nostri abindeque dependentis comunis boni concordibus adeo votis determinarunt, effectuationem omni meliori modo exoperari, unum aliunde idcirco aptum et idoneum subjectum, quod nimirum in credito et existimatione apud pedites et Equites saepefatos existat, ad eosdem in Italiam celerius exmittatis, medioque talis praefatos Pedites et Equites ad sese accomodandum imo satisfaciendum praedeclaratae in Generali Congregatione universorum Statuum et Ordinum praerepetitorum Regnorum nostrorum interventae determinationi, per consequens in Italia penesque Exercitum Nostrum decursu adhuc unius Anni permanendum, et Militaria Servitia ulterius etiam fideliter exhibenda, omni meliori modo et quod efficacissime disponi faciatis; et quia praeattactae Militiae vestitum et alia requisita in parte defecisse ex praeattactis quoque suis percepissemus, quatenus Equites non minus quam et Pedites per hyemem quoque vigilias obire, aliaque Militaria servitia praestare possint, nuper jam cuilibet illorum pro antelato sucursu, ad vestitum sibi procurandum, ab aerario nostro duos florenos Renenses numerari jussimus, nunc vero praefato Generali Campi Mareschallo nostro ea mandata dedimus, ut si praementionati cuilibet illorum dandi duo floreni non sufficerent, etiam illud quod illis promissum in finem defuerit, adeoque summe necessarium adhuc erit, ex pecuniis, quas sub sua dispositione habet, suppleri curet.

Quae omnia ad disponendos Pedites et Equites, in Italia adhuc existentes, ad permanendum ulterius quoque, et quidem non saltem decem hebdomadarum, ad quas jam accesserunt, verum integri Anni decursu, in conformitate nimirum factae sub praesidio vestro Regnicolaris determinationis praealegatae, nobis exhibenda Militaria Officia multum sane conferre valebunt, praecipue cum si unquam, iam sane tempus sit praeclare caepta penitus consumandi super eo; demum in casum illum, quo quidam peditum vel etiam Equitum penes Exercitum retineri penitus non valerent, an non modus superesset, id efficiendi, ut mentionati fideles Status et Ordines tales aliis aptis et idonaeis hominibus in Italiam mittendis apud Exercitum permutari faciant, fidelem opinionem a vobis submitti cupimus, Regiam benignitatem nostram promovendi studio, Jugiter experiemini, quemadmodum etiam vobis gratia nostra Regia benignissime propensae manemus. Datum in Civitate Nostra Vienna Austriae die 26. Mensis Novembris. Anno Domini 1742.

Maria Theresia m. p.

Comes Ludovicus de Battyan m. p.

Franciscus Koller m. p.

(L. S. R.)

*Intitulationis vero tenor talis est:*

Reverendo Georgio Branyugh, Episcopo Zagrabiensi, Abbati B. V. Mariae de Topuszka, Supremo Comiti de Berzencze, et Consiliario Nostro, nec non

Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Officii Banalis Locumtenenti et fideli Nobis dilecto. Zagrabiae, ex Officio.

### Articulus Decimus Quartus.

*Ut ordinata in priori Congregatione ad Instantiam Supplicantium Confiniariorum deputatio effectuetur, statuitur.*

Et servitium Suae Majestatis Sacratissimae, et tranquilitatis bonique publici, et ipsius Justiciae, unicuique quod suum est, dari et restitui praecipientis exigit ratio, non minus Dominorum Confiniorum Officialium honori et integritati plebi confiniariae medellam ferre; et quoniam ab ipsis in Italia exercituantibus eaque et talis perlata hucce esset quaerela, quae non minima contra expressa benignissima Suae Majestatis Sacratissimae Mandata et Dominorum Statuum et Ordinum positivas dispositiones, belligerantibus ibidem constitutis tumultuandi et Domum redeundi dedisse refertur ansam et rationem, ad cujus quaerimoniae remedium quantocius ferendum, sicuti Domini Status medio Comissariorum suorum ad sistendam in Italia pro uno adhuc Anno Militari Militiam non pridem expeditorum, quaerulantes, ut eo facilius ad assumendum unius adhuc Anni belligerationis servitium persvaderi valeant, affidari fecerunt, ita quoque Deputatio praemissa, veluti effectus praeattactae pure et directae in servitium Principis tendentis affidationis, quo celerius (ut quaerulantes, et praesertim in casibus existentes aut debita sibi satisfactione consolari, aut de male et sinistre exposita quaerimonia capacitari, et ita ad persvadendum ibidem faciliori methodo persvaderi valeant) peragatur, statuitur: Dominique eo commissionati, Auditor confiniorum, et Sigismundus Bussich, mox finitis iminentibus Nativitatis Domini Festis, ut delatam sibi eatenus provintiam peragant, commonentur; occasione peragendae per se conscribendorum conscriptionis, omnes et singulas quaerimonias nefors suas propposituros admoniturі, ad sinistras et minus veras quaerimonias contra Dominos Officiales proponant, in tali enim eventu sciant se debitas paenas irremissibiliter subituros.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1743. 15. MARTII. VARASDINI.

*Articuli Generalis SS. et OO., A. 1743 15. Mensis Martii, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Anno Domini 1743. die 15. Mensis Martii, Varasdini, sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Caroli de Battyan, perpetui in Nemeth Uivar, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (Titt.) post felicem, Deo auspice, Suae Excellentiae Banalis modo et ordine prae-

scriptis Installationem, celebratae Generalis Dominorum Statuum et Ordinum praefatorum Regnorum Congregationis, Acta et Articuli sequuntur ordine sequenti:

*(Caeteris exmissis.)*

## Articulus Vigesimus Septimus.

*De reincorporatione inferioris Sclavoniae.*

Casu quo Sua Sacratissima Majestas Excellentissimo Comiti Bano in negotio incorporationis Inferioris Sclavoniae extra tempus Congregationis talia comitteret negotia, quae cum Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus concertanda essent, tali in casu, Domini Status et Ordines sequentes ex gremio sui ad latus Suae Excellentiae Banalis tanquam Praesidis, pro conferendorum colatione, et concertandorum concertatione, Illustrissimum utpote et Reverendissimum Dominum Episcopum Zagrabiensem Georgium Branyugh (Tittl.), Excellentessimum praeterea, et Illustrissimos Dominos Comites Ludovicum Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetuum Comitem, et Suae Sacratissimae Regiae Majestatis Actualem Intimum Consiliarium Camerarium, Comitem Joannem Chikuliny de Szomszedvar, altissimae titulatae Suae Majestatis Colonellum et Consiliarium Camerarium, Comitem Alexandrum Patachich de Zajezda, Suae Sacratissimae Regiae Majestatis Aulico-Hungaricae Consiliarium, et Comitatus Simegiensis Supremum Comitem et Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarium, Praepositum Majorem Zagrabiensem Baronem Sigismundum a Sinerspergh, Prothonotarium Regni, Tabulae Regni Judiciariae Praesidem Joannem Rauch, et Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum Ordinarios Vice-Comites, non obstante ex istis unius aut alterius absentia, aliosque quos ad Latus Sua Excellentia habere et convocare potuerit, denominant, ordinant et authorisant.

## Articulus Vigesimus Octavus.

*De infamium libellorum Litterarumque Authoribus.*

Ut Infamium Libellorum Litterarumque, contra quoscunque aut quemcunque Dominorum Regnicollarum et Nobilium scriptorum aut scribendorum, infamiae quoque nota notentur, Domini Status et Ordines justum adinvenientes statuunt et decernunt, ut hi et tales, comperta legaliter rei veritate, per competens forum in paena infamiae convincantur et aggraventur.

## Articulus Vigesimus Nonus.

*Familia de Benzony in Indigenatum assecuratur.*

Erga humilem Illustrissimi et Reverendissimi Domini Joannis Antonii de Benczony, Episcopi Segniensis, apud Inclytos Dominos Status et Ordines in eo factam instantiam, quatenus idem, cum germanis suis fratribus, Stephano nempe

Aulico gloriosissimae olim memoriae Caroli VI. Imperatoris et Regis Secretario, et Josepho, Suae Majestatis Sacratissimae Vice-Colonello, et in Generalatu Carolostadiensi Praesidii Confiniique Turan Commendante, in Indigenas horum Regnorum assumeretur, resolutum est: eundem Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Praelatum, cum antelatis Germanis fratribus suis, occasione proximae futurae Regni Congregationis, ubi diploma suum in aliis Suae Majestatis Provinciis nobilitare produxerint, observatis observandis, de petita in Indigenatum horum Regnorum sui assumptione, et futura eatenus improthocolatione assecurari.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1743. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis SS. et OO, a. 1743. 8. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in generali eorundem Congregationali Congressu, ex edicto et Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Caroli de Battyan, perpetui in Nemeth-Uivar, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (Titt.), pro 8. et sequentibus Mensis Aprilis diebus Anni 1743 Zagrabiae celebrato, conclusi.

***(Caeteris exmissis.)***

### Articulus Secundus.

***Commissarii ad Latus Suae Excellentiae Banalis, qua Praesidis, ad reincorporationem Inferioris Sclavoniae ordinantur, et Benignum Suae Majestatis Sacratissimae Mandatum, et Resolutio Regia, de et super reincorporatione Sclavoniae recens emanata publicatur.***

Ex benigno Suae Sacratissimae Regiae Majestatis sub dato Vienna Austriae die 26 proxime evoluti Mensis Martii emanato Mandato, et Clementissima inibi contenta, ad mentem Articulorum 18. et 50. Novissimae Diaetae, Sirmiensem et Inferioris Sclavoniae districtus Jurisdictioni Bani et Regni substernente resolutione, publice lecta et intelecta existente; quantumvis quidem Articulo 21$^{mo}$ Congregationis, Anno 1741. die 27. Novembris Zagrabiae celebratae, uberior ad reincorporationem praescriptam Sirmiensem et inferioris Sclavoniae districtum ordinata ex parte Regni haberetur Commissio; cum tamen eandem et vigentium actu ibidem tumultuum, et ipsorum etiam compendiandorum sumptuum ad minorem numerum restringendam svaderet ratio: hinc ad Latus Suae Excellentiae Banalis, qua et legalis et per Clementissimum etiam praeinsertum Mandatum Regium resoluti Praesidis, pro Comissariis nomine et ex parte Regni Illustrissimus Domi-

nus Comes Alexander Pattachich de Zaiezda, perpetuus in Rakovecz et Verbovecz, Sacratissimae Regiae Maiestatis Aulico-Hungaricae Cancelariae Consiliarius, Eodem Illustrissimo Domino Comite acceptante, ac Sua Majestate Sacratissima clementer indulgente; Domini praeterea Ignatius Czindery, Vice-Prothonotarius, Stephanus Gudich, Comitatus Zagrabiensis Ordinarius Vice-Comes, et pro Actuario Antonius Spissich, conferentiarum Regni Secretarius, ordinantur et denominantur.

*Benigni vero Mandati Regii tenor talis est:*

**Maria Theresia Dei gratia Regina Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae; Archi-Dux Austriae et nupta Dux Lotharingiae et Barri, Magna Dux Hetruriae.**

Spectabilis ac Magnifice Comes, fidelis Nobis sincere dilecte. Ex Articulis 18 et 50, in postrema Diaeta conditis, plenius informabitur fidelitas vestra, qualiter inter alia, districtus quoque Sirmiensem et inferioris Sclavoniae Regnis Hungariae, Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ac signanter Banali Jurisdictioni reincorporari et submitti clementer resolverimus. Cum porro benigna mens et intentio seriaque voluntas Nostra ea utique sit, ut benignae resolutiones nostrae Diaetaliter congregatis fidelibus Statibus et Ordinibus impertitae, omni meliori modo ac quo citius in effectum deducantur, sed et tenores praecitati Articuli 18. et ipse etiam bonus ordo exigant, ut in facie loci Terrenum pro regulandis confiniis aptum et sufficiens designetur, Confiniariisque ad habitandum et obeunda inibi munia ita assignentur, ut in finibus non permixti aliis Contribuentibus subsistant, ejusmodi autem Terreno modalitate praevia pro dictis Confiniariis exciso, iisdemque assignato, residuum Jurisdictioni Comitatus seu Provinciali de pleno in omnibus subjiciatur, hujus vero commissionem fidelitati vestrae confisae ejusdem praeclarae in politicis aeque ac Militaribus peritiae, eximiaeque in rebus et negotiis pertractandis dexteritati, benignissime concredidissemus.

Proinde finitis mox negotiis, quae in habitis ad praesens Banalibus Confiniis supersunt, adhuc terminanda, in inferiorem Sclavoniam et Sirmium semet conferat fidelitas Vestra, et in Terreno pro regulandis confiniis apto et sufficiente, in finibus versus Turcicum designando, eodemque rite ac debite instruendo, et pro secure custodiendis finibus ordinate regulando, una cum Generali Campi Mareschali Locumtenente Barone ab Engelshoffen, ac ex parte Provinciali in conformitate praealegati Articuli deputandis idcirco Comissariis solerter laborabit: quia autem praevideri facile potest, fidelitatem vestram tam subito eorsum vix venturam, hinc praefato generali nunc statim ea Mandata dedimus, penes Communicationem Militarium deductionum ad praesens idcirco nobis exhibitarum, quatenus rem eatenus ipse interea praeparet et celeriter isthuc perscribat, qualiter Confinia versus Turcicum ibidem regulari et instrui posse ipse censeat.

Et siquidem residuum Terrenum, quod ex Sclavonia et Sirmio, post modalite praevia excindendum pro Confiniariis terrenum remanebit, Jurisdictioni Banali de pleno subjiciendum esset, quatenus et illud suo modo in effectum ordinate deduci queat, et quidem cum ulteriore praestatione onerum publicorum, quae ab ejusmodi Sirmii ac Sclavoniae Accolis hucusque suportabantur.

Proinde fidelitas Vestra inter alia et id fundate quo citius resciet, quidnam districtus, pro praedeclarata reincorporatione remansuri, tam in quanto Contributionali, quam et aliis oneribus publicis ad praesens praestandum habuerint, quave norma haec cuncta inter illos subdivisa fuerint? et tam desuper genuinam informationem, quam et in eo, quod numero Comitatuum Magistratus, pro rite ac debite pertractandis provincialibus et politicis judicialibusque negotiis, et cum qua districtuum subdivisione partibus in illis constituendos iisdemque praeficiendos in futurum censeat? fidelem opinionem nobis demisse proxime pariter perscribet fidelitas Vestra, cui in reliquo gratia nostra Regia benigne ac jugiter propensae manemus. Datum in Civitate Vienna Austriae die 26 Mensis Martii 1743.

Maria Theresia m. p.

Comes Ludovicus de Bathyan m. p.

Josephus Koller m. p.

*(Locus Sigilli exterioris.)*

*Indorsationis tenor talis est:*

Spectabili ac Magnifico Comiti Carolo de Battyan, perpetuo in Nemeth Uivar, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, Comitatus Castriferei perpetuo Comiti, Nostro Actuali Intimo Consiliario, Generali Equitatus, et unius Legionis Nostrae Dimacharum Colonello etc. Fideli Nobis sincere dilecto.

## Articulus Tertius.

*Ad ellaborandam inducendi in inferiorem Sclavoniam gubernii idaeam ordinatur Deputatio.*

Modum aliquem et idaeam inducendi gubernii in reincorporandos inferioris Sclavoniae et Sirmii Districtus necessarium fore praevidentes Domini Status et Ordines, ad ejus ellaborationem pro Praeside Excellentissimum et Illustrissimum Dominum Comitem Ludovicum Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetuum Comitem, et Sacratissimae Regiae Majestatis Actualem intimum Consiliarium Camerarium et Campi Colonellum, Illustrissimos praeterea Dominos Comites Joannem Franciscum Chikuliny de Szomszedvar, Sacratissimae Regiae Majestatis Consiliarum Camerarium et Colonellum, Alexandrum Pattachich de Zaiezda perpetuum in Rakovecz et Verbovecz, Sacratissimae Regiae Majestatis Aulico-Hungaricae Cancellariae Consiliarium et Comitatus Simegiensis Supremum Comitem, Comitem Ludovicum Pattachich de praefata Zaiezda perpetuum aeque in Rakovecz et Verbovecz, Comitatus Verocze Supremum Comitem et Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarium, Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Sigismundum Liberum Baronem a Sinerspergh, Praepositum Majorem Zagrabiensem, Dominos Protonotharium Regni, Tabulae Regni

**Judiciariae Praesidem Joannem Rauch, Adamum Oresky Supremum Regni Exactorem, Zagrabiensis Stephanum Gudich et Crisiensis Comitatuum Joannem Simunchich Vice-Comites, nec non pro Actuario Conferentiarum Regni Secretarium Antonium Spissich ellegerunt et deputarunt, Laboris et operis sui Dominis Statibus et Ordinibus relationem facturos.**

## Articulus Decimus Tertius.

*Supra ad formalitatem reincorporationis Sclavoniae ordinatae Deputationis relatio.*

Supra, Articulo 3., ordinata ad ellaborandam gubernandi inferioris Sclavoniae idaeam deputatio, ejusdem ideae et laboris sui Dominis Statibus et Ordinibus fecit relationem; quae idaea publice lecta et aprobata, atque Suae Excellentiae Banali communicanda, Dominis vero Commissariis pro instructione danda, publicoque etiam Regni Prothocolo inserenda statuitur; si porro quaepiam circa quodpiam praeinsertae idaeae punctum occurerent considerationes et difficultates, has et tales pro re nata Excellentissimo Domino Comitii Bano, adhibitis ad Latus suum praeinsertis Dominis Comissariis, definienda, et pro alto suo judicio eatenus resolvenda resolvendi plenaria attribuitur authoritas. Cujus idaeae tenor talis est:

Reflexiones circa reincorporationem districtuum Sirmii et inferioris Sclavoniae, Dominis Regni Deputatis, sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Ludovici Erdödy de Monyorokerek, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetui Comitis, Sacratissimae Regiae Majestatis Actualis Intimi Consiliarii Camerarii et Colonelli, Zagrabiae die 9. mensis Aprilis Anni 1743 considentibus, occurerunt sequentes, et quidem:

### I. De omnimode avertendo in reincorporanda inferiori Sclavonia orthodoxae fidei praeiudicio.

Maximam Dei omnipotentis ex illibate observata, pluribusque tam Diaetalibus quam et Articularibus constitutionibus in hocce Regno stabilita, una et sola eademque orthodoxa fide clementissime profluere Domini Deputati advertentes benedictionem et misericordiam: cumprimis ac ante omnia Dominis Comissariis quo validius recomendandam censent, ut pro constanti sua tum in sanctam Romanam Ecclesiam devotione, cum vero conservationem pientissimarum eatenus interventarum constitutionum zelo laudatissimo, ne sanctae huic Chatholicae fidei occasione reincorporationis Sclavoniae quodpiam, signanter etiam per Augustanae, Helveticae, Anabaptistarum et Judeorum Confessioni adictos causetur praejudicium, vel maxime curare et solicitari non dedignentur.

### II. De Gubernio Militari.

Quoniam tum vigore Benignissimi Sacratissimae Regiae Majestatis Mandati, cum et 18. 47. et 50. novissimae Diaetae Articulorum, districtus Sirmiensis

et inferioris Sclavoniae Jurisdictioni Banali subjiciendi venirent, quemadmodum et Clementissima resolutione Regia jam subjecti haberentur, atque Politica Jurisdictio, ab excisione Confiniorum remansura authoritati Bani subesse, et tempore ac occasione aperti Belli, antiquis et modernis Patriae constitutionibus et consvetudinibus, sic exigentibus, sub comando ejusdem bellare deberet, ut conjunctis viribus, atque sub uno Capite et Gubernio, tanto felicius et validius servitium Suae Regiae Majestatis promoveri valeat, censebat Deputatio, Confinia ibidem excindenda per Banum et Regnum in conformitate praecitatarum Legum gubernanda.

### III. De Juridicis.

Justitiae in illis porro etiam partibus debito ordine administrandae, judiciorumque Legaliter et accurate instituendorum causa requirente, censet deputatio, Tabula Banalis intuitu etiam reincorporandae inferioris Sclavoniae et Sirmij tam judicatum primae instantiae in causis de lege sibi competentibus, quam et forum superrevisorium in processibus per viam appellationis eo deducendis agat et exerceat; Tabula quoque Judiciaria Regni in Judiciis aeque sibi competentibus quoad prelibatam Sclavoniam et Sirmium etiam procedat, ita tamen, cum diurna respective salaria prelibatarum tabularum quoad actualem duntaxat Regni jurisdictionis statum tenuiter salariata essent, hoc facto vero earundem tabularum, ita et Domini Magistri Prothonotarii tum occasione decursus Tabulae Banalis, cum etiam celebrationis Generalium Regni Congregationum, cum interventu etiam reincorporandorum Districtuum celebrandarum, labores et fatigia accumularentur, ut dicti reincorporandi districtus in Diurnorum et Salariorum praelibatis Tabulis et Domino Prothonotario in tabularis ac prothonotarialis aliunde valde exigui salarii auctionem altero saltem tanto concurrant. Sedrias porro in dicta Sclavonia domini supremi Comites cum Vice-Comitibus et universitate conformitate legali celebrent, et causas ex partibus eo deducendas revideant, indeque ultro provocari volentibus ad Tabulam Banalem appellatam admittant; Vice-Comites item et Judices Nobilium in partibus modalitate a lege praescripta processuri, processus judicatui suo competentes dijudicent; civilia denique et dominalia judicia conformitate legum suum cursum rehabeant.

### IV. De Politicis.

Ut autem in politicis quoque requisitus ordo observetur, necessarium pariter judicat Deputatio, ut Domini Supremi Comites ad exigentiam et praescriptum Legum patriarum cum universitate sedis restauratorias celebrent, et Vice-Comites Subalternosque officiales, erga consvetam Candidationem Dominorum Supremorum Comitum, universitates Comitatuum eligant et constituant, aliaque Spheram politicam concernentia, habita praesertim ad articulum 8. novissimae Diaetae reflexione, pertractent; conservatione dein ulteriori eorundem reincorporandorum districtuum sic exposcente, Domini Praelati, Magnates et Comitatus, ac Civitates, ad publicas Regni Congregationes per invitatorias vocandi, Domini quidem Praelati et Magnates in persona, vel per nuntios, Comitatus vero et Civitates per Deputatos comparere, eademque occasione de rebus et negotiis publicis ibidem pertractatis antelati Comitatus et Civitates medio Deputatorum et Nuntiorum suo-

18*

rum, fine potissimum habendae in promotionem alti servitii Regni et boni publici conservationem inibi debitae inspectionis, Bano pro tempore constituto et inclitis Dominis Statibus et Ordinibus universalem facere obligabuntur relationem.

### V. De Oeconomicis.

Futuri illis in Comitatibus Domini Officiales siquidem inevitabiliter salariis providendi essent, ea propter ut singuli Comitatus de salariis, viribus suis et Laboribus Dominorum Officialium aproportiandis, ex suis fundis provisionem facere, ita et ad evitandam contributionalis quanti inferioris Sclavoniae cum impositione Regni aliunde aliorsum in servitium suae Sacratissimae Regiae Majestatis ordinata, confusionem, praelibati Comitatus inferioris Sclavoniae Dominis Statibus et Ordinibus de incassatis in gremio sui et errogatis rationem submittere obligentur, necessarium et iustum censet Deputatio; et quoniam praevia inferioris Slavoniae reincorporatio potissimum reincorporandis, velut hactenus ob defectum reincorporationis Justitiae administratione destitutis, cederet in beneficium et emolumentum, tum igitur ob id, cum vero ex ratione incapacitatis et insufficientiae Cassae Regni, ut mentionati quoque reincorporandi districtus, in exolutionem Diurnorum Dominorum Comissariorum congruenter concurrant, Suae Majestati Sacratissimae Domini Deputati supplicandum censent, eo fine, quatenus id ipsum clementissime resolvere et suis in locis disponere ac ordinare non dedignentur.

### VI. De constituendis in Comitatibus Posega et Valpo Administratoribus.

Tandem cum in Regni Decretis in inferiori Sclavonia tres Comitatus, utpote Posega, Veröcze et Valpo specificati comperiantur, Domini Deputati iudicant, praefatae Decretali Specificationi insistendum et praelibatos Sclavoniae, incluso etiam Sirmii districtus, in tres Comitatus subdividendos; et quia praefatorum duorum Posegani et Valpo Comitatuum Supremi Comites denominati et constituti non haberentur, exponeretur autem Familiam Draskovichianam ad Valpo, et Keglevichianam ad Posega Comitatus nonnulla Jura habere, censet idcirco Deputatio, Suae Sacratissimae Regiae Maiestati supplicandum, ut praefatorum Comitatuum moderamen, Comite Josepho Draskovich in Militia Suae Maiestatis occupato, Comite vero Petro Keglevich in studiis in Italia adhuc versante, adeoque ambobus absentibus, aliis nefors instantibus, non tantum non conferre, sed et erga remonstrationem Jurium suorum, praementionatas Familias de Augustissima Domo Austriaca et sacra Regni Hungariae Corona bene meritos, erga Jurium suorum productionem, succesive benigne consolari; interea autem servitio suae Maiestatis ita exigente, de Administratoribus e Gremio Regnicolarum resolvendis, et personaliter praeesse valentibus, clementissime providere non dedignetur.

### VII. et Ultimo. De appertinentiis Montis Claudii, Jurisdictioni et oneribus etiam Regni subjiciendis.

Siquidem appertinentiae Montis Claudii I. Familiae Erdödyanae, districtus quippe Kuttina, Art. 51. 1741. eidem Familiae restituendus, et I. Regno reincorporandus praeciperetur. Ea propter ut idem districtus ad tenorem praemissae

Legalis dispositionis superiori Sclavoniae, et quidem Comitatui Crisiensi, cui utpote caput illius, ipsum videlicet Dominium Montis Claudii adiacere et subesse comperitur, adeoque oneribus etiam Regni subjiciatur, Deputatio censuit reflectendum, et in id etiam hac occasione esse incumbendum.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1743. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis SS. et OO., A. 1743. 16. et sequentibus Mensis Decembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem Congressu, ex edicto et sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Officiique Banatus Locumtenentis (P. T.) pro die 16. et sequentibus Mensis Decembris Anno Domini 1743. Zagrabiae celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Septimus.

***De ulteriori reincorporationis inferioris Sclavoniae continuatione, et ad Comissionem ex parte Regni eo ordinata Subjectorum denominatione.***

Jam inde ab ipso suscepti feliciter Regnorum horum Regiminis exordio, continua et non interrupta serie, et non minus in sui in Regno praesentia, quam et ex eodem aliorum suae Majestatis Sacratissimae servitiorum causa absentia, peculiarem et indefessam suae Excellentiae Banalis paternam curam et solicitudinem grata et nunquam obliteranda animorum suorum recordatione accipiunt Domini Status et Ordines; potissimum autem dum ex gratiosissimis dedato Viennae 27. proxime emensi Mensis Novembris ad Dominos Status et Ordines exaratis et in publico perlectis Suae Excellentiae Litteris, praesciti illius diu suspirati, et primum Anno currente inchoati incorporationis Sclavoniae negotii, et in personali ad suam Sacratissimam Regiam Majestatem accessu, imprimis viva voce, dein vero per exhibitam scripto instantiam et fundatam repraesentationem, finalem effectuationem adursisse, atque eatenus benignam etiam assecurationem Regiam obtinuisse, Suam Excellentiam Banalem inteligunt Domini Status et Ordines: atque ideo huncce paternum Suae Excellentiae Banalis in promovenda et

extendenda Jurisdictione Regni Zelum Domini Status et Ordines secundare cupientes, quoniam ad Terreni, pro Confiniis destinati, ab eo, quod ex post in Comitatus redigetur, sequestrationem, suisque limitibus distinctionem, veluti iam aliunde per Suam Sacratissimam Regiam Majestatem definitam, adeoque alterationem neutiquam aliquam patientem, reliquorum praeter Illustrissimum Dominum Comitem Alexandrum Patachich de Zaiezda perpetuum in Rakovecz et Verbovecz, Sacratissimae Regiae Majestatis Excelsae Aulico Hungaricae Cancellariae Consiliarium (P. T.) peculiare aliunde Regnorum horum Comembrum et Concivem, veluti in Capite quoad politica dictae Comissionis Sclavonicae futurorum Regni deputatorum, necessitas nulla appareret; ad Politici proinde duntaxat Status incorporationem et regulationem ad latus supratitulati Illustrissimi Domini Comitis Alexandri Pattachich, tanquam Praesidis, Domini Stephanus Gudich Comitatus Zagrabiensis Vice-Comes, Joannes Busan Tabulae Regni Judiciariae Assessor, qui antelato Domino Vice-Comiti Gudich, ob respectum gravioris aetatis, pro hoc actu praecedentiam cedit, et Dominus Conferentiarum Regni Secretarius deputantur et ordinantur. Ubi primum sive tandem ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Locumtenente, sive vero ab ipso Illustrissimo Domino Comite Praeside praemissae quoad politica reincorporandorum reincorporationis et regulandorum regulationis Terminum acceperint, confestim Domo moturi, et ad destinandum Locum semet translaturi; praefato autem Domino Illustrissimo Praesidi pro decentiori sui subsistentia dietim florenorum Renensium quindecim, ipsis autem Dominis Deputatis singulis jam antea ordinati florenorum Renensium Sex, a die motus usque ad diem reditus, ordinantur. Ubi autem Dominus Stephanus Gudich, Comitatus Zagrabiensis Vice-Comes, ob valetudinarium suum Statum Comissioni praemissae interesse per absolutum fors non posset, talem in casum Domino Illustrissimo et Reverendissimo Locumtenenti alium in locum illius substituendi et denominandi atribuitur authoritas.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1746. MENSE OCTOBRI. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae, A. 1746 24. et sequentibus diebus Mensis Octobris, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgy Branyugh, Dei et Apostolicae sedis Gratia Episcopi Zagrabiensis et Officij Banalis Locumtenentis etc. pro 24. et sequentibus Mensis Octobris diebus Anno D. 1746., Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis)*

## Articulus Decimus Septimus.

*De Reincorporationis Inferioris Sclavoniae Benigna Suae Majestatis Sacratissimae ratificatione.*

Lecta fuit benigna Suae Majestatis Sacratissimae de dato in Archi-Ducali Civitate Vienna Austriae die 27. Mensis Aprilis Anni labentis 1746, super reincorporatione Inferioris Sclavoniae ratificatio, nec absimiliter acclusa eidem de dato 1. Julii Anno proxime evoluto 1745 in aequali forma ad omnes Inferioris Sclavoniae Comitatus emanata Instructio, quemadmodum et Schaema Summarium Divisionis annotatae Inferioris Sclavoniae in Comitatus, nec non reversales Inclytae Familiae Erdödianae respectu Terreni Kuttina, ad Dominium suum Montis Claudii pertinentis, ad normam Inferioris Sclavoniae regulandi, Camerae Aulicae datae, tandem scriptum super praeinserta reincorporatione resignatorium; posteaquam in publico lecta et intellecta exstitissent, Dominique Status et Ordines nonnulla exinde tam in Jurium suorum, quam et authoritatis Banalis ennata praejudicia observassent, et signanter, ubi rationes tam a Domestica, quam et Contributionali Cassa, esto ad invicem separatae, connexive tamen se habentes, in genuinis paribus, sigillo Comitatus et subscriptione Magistratualium autenticatae, Regio Locumtenentiali Consilio Hungarico Posonium, de Cassa autem Comitatus Domestica sonantes rationes, in simili exemplari, etiam Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus singulis annis submittendae praescribuntur; nec absimiliter, ubi districtus Kutina, contra expressum tenorem Articuli 52. novissimae Diaetae, vi praedictarum reversalium, publico alioquin Juri et Jurisdictioni derogare nequeuntium, a praeinserta reincorporatione, exemptus conspiceretur, ad haec itaque et alia ex combinatione tam supra lectorum, quam et per Dominum Antonium Spissich, conferentiarum Regni Secretarium et Commissionis Regni Sclavoniae Secretarium, exhibitorum Actorum commissionalium combinatione erruenda nefors praejudicia tollenda, atque ad eam formalitatem, qua iisdem comode obviari posset, ellaborandam, Domini Status et Ordines subinsertam ordinarunt Deputationem, et quidem pro Praeside Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Sigismundum L. B. de Sinerspergh, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Praepositum Majorem, et Canonicum Seniorem, Abbatem S. Margaretae de Bella, Prioratus Auranae Gubernatorem, Archidiaconum Goricensem et Zagoriensem; Illustrissimum praeterea ac Reverendissimum Dominum L. B. Adamum Patachich, S. Benedicti de Kapusfe Praepositum et Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Canonicum, Dominos Venerabilis Capituli exmissos, Proto-Notarium, Dominos Comitatuum Vice-Comites; Josephum Raflay, Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum Juratum Notarium, Franciscum Kussevich, Confiniorum Regni Auditorem, Dicaeque et Impositionis ejusdem Exactorem, Franciscum Lendvay, Fiscalem, Georgium Konczer L. & Regiae Civitatis Varasdinensis Ablegatum, et pro Actuario Dominum Antonium Spissich, conferentiarum Regni Secretarium; qui Domini Deputati ellaboratae rei Seriem Dominis Statibus & Ordinibus reportabunt.

## Articulus Decimus Octavus.

*De uberiori Dominorum Regni ad reincorporationem Sclavoniae exmissorum Commissariorum relatione.*

Lectae sunt Illustrissimi Domini Comitis Alexandri Patachich de Zaiezda, perpetui in Verbovecz et Rakovecz, Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestatis Actualis Camerarii, et Excelsae Aulico-Hungaricae Cancellariae Consiliarii, et Inclyti Comitatus Simeghiensis Supremi Comitis, et in praeattacto reincorporationis Sclavoniae negotio primarii Regni Comissarii, sub dato 2. Julii Anno Currenti, Vukovarini, ad Inclytos Dominos Status et Ordines datae Litterae, quibus mediantibus constans suum jam inde a 27 Annorum decursu in Dominos Status et Ordines promotionemque boni publici studium et fidelem operam testatum redit, et in merito praeattactae reincorporationis relationis semet ad commemoratam supra Articulo immediate praecedenti benignam ratificationem Regiam provocat, cui quod in relatione adiciat, amplius in Substantia nihil superesse declarat. Cum autem reliqui Domini Regni Comissarii quampiam hactenus in publico respectu praeattactae reincorporationis fecissent relationem, sed nec eandem de praesenti ob insperatam infirmitatem Domini Joannis Busan, Tabulae Banalis Assessoris, casum facere possent; ne itaque vel ob simile aut aliud quodpiam improvisum accidens desiderata genuina et circumstantialis facto in praemisso protelletur differaturque relatio, conclusum est: Ut praefatus Dominus Joannes Busan cum Domino Joanne Szaich, Comitatus Crisiensis Vice-Comite et Con-Comissario suo, tempore quo primo fieri poterit insimul conventuri, scripto praeattactae relationis Seriem deducant, deductamque cum suis accessoriis Domino Excellentissimo Locumtenenti consignent; quo etiam fine praefatum, per Dominum Actuarium resignatum Comissionis Protocollum, eidem Domino Szaich consignatum exstitit.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1747. MENSE OCTOBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis SS. et OO. Regni Croatiae et Slavoniae, A. 1747. 23. et sequentibus diebus mensis Octobris, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi Illustrissimi et Reverendissimi Domini Georgii Branyugh, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis et Officii Banalis Locumtenentis, pro 23. et sequentibus Mensis Octobris diebus, Anno 1747, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

## Articulus Primus.

*De nova Dicae et impositionis Regni Repartitione.*

Post zelosam non minus ac facundam eamque Paternam Excellentissimi, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Locumtenentis et Praelati, ad Dominos Status et Ordines de felici eorundem praesenti Congressu, atque mutua et unanimi in Bonum Publicum intensione factam Allocutionem et adhortationem, intellectasque de more Litteras Credentionales, tandem Novam Impositionis Regni repartitionem ipsis Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus in Actuali eorundem Generali concessu elaborare placuit formalitate sequenti.

(*Caeteris exmissis.*)

## Articulus Vigesimus Primus.

*De benignis Suae Sacratissimae Imperatoriae et Regiae Majestatis, tam circa Politica, Juridica item, et Cassam Domesticam concernentia, quoad reincorporatos Comitatus extradatis dispositionibus.*

Ut reincorporati Sclavoniae Comitatus tam circa Politica, juridica item, et Cassam Domesticam, sese juxta Benignam Suae Caesareo-Regiae Majestatis, in publico lectam et Prothocollo Regni inferendam, resolutionem, genuine et punctualiter accomodare valeant, cum Iisdem praemissa benigna resolutio communicanda veniat.

Maria Theresia, Dei gratia Romanorum Imperatrix, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina, Archi-Dux Austriae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, item Egregii et Nobiles, nec non prudentes ac circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Posteaquam anno praeterito fidelem nostrum Spectabilem ac Magnificum Comitem Alexandrum Patachich, Camerarium et Consiliarum Nostrum Regium Hungarico-Aulicum, qua visitationis Comissarium nostrum ad neo-incorporatos Syrmij et inferioris Sclavoniae Comitatus, fine eo, ut videlicet ex praevie jam peractis antelatorum trium Comitatum Conscriptionibus novam et rectam proportionem, et onerum publicorum repartitionem elaboret, de formanda etiam in singulis Comitatibus cassa domestica (si nondum factum esset) curam habeat, an item Lineae Confiniariae, in ductu Suo per Commissionem Incorporationis facto, rite subsistant, informationes capiat, num demum et qualiter Comitatuum Magistratus Instructiones suas observaverint, perquirat et investiget, ac super omnibus et singulis Nobis Relationem faciat, benigne exmissemus; idemque Comes abinde redux Nobis praeterito mense Octobri humillimam Relationem suam exhibuisset desuper in ordine ad Politica, et Juridica, cassamque domesticam concernentia, sequentia clementer resolvimus:

Ut pro sublevamine Subditorum seu Contribuentium illorum Comitatuum ratione Cassae domesticae, juxta hicce annexum schema, annue insimul ad viginti septem Mille eventualiter computatae, Camera nostra Regia ex Contributione, a locis in Comitatu Bachiensi noviter incorporatis levanda, assignet, per

duos annos, a 1. Januarii anni currentis computandos, annuatim 12 florenos inter dictos tres Comitatus, per ipsos inter se (uti ipsis jam benigne intimavimus) eo fine Esekini concursuros, non aequaliter, sed juxta exigentiam necessitatis cujuslibet Comitatus repartiendos, hoc etiam superaddito, ut arbitrariae et dispensiosae Erogationes, virtute etiam Articuli 63 1723 vetitae, praecaveantur, et Conscriptiones Beneficiorum, pro Cassa domestica in singulis Comitatibus taxandorum (si nondum peractae essent), peragantur, et, quantumcunque fieri potest, aggravatio contribuentium evitetur, et super omnibus et singulis perceptis et erogatis (uti dictis Comitatibus aliunde jam vi Instructionis ipsorum comissum est) Rationes dare teneantur.

Praeterea retulit Nobis idem Comes, quod in Dominio Illok Fiscalem Procuratorem Acatholicum, fundamento Articuli 46 Novissimae Diaetae, ex Servitio dimitti jusserit; Dominia in Comitatu Posegano, contra Subditos excedentia, ad observationem regulamenti de Anno 1737, eo in passu emanati et ibidem publicati, reflexerit, et ut Jura sua Dominalia (ubi necessitas fuerit) per Sedes Dominales regulare studeant, res vero sub Commissione Neo-aquistica Judicata, quae per Comitatum contra positivum Instructionis suae punctum alterata fuerat, priori vigori restituatur, ordinaverit; in omnibus autem tribus Comitatibus Justiciam in Criminalibus debite administratam fuisse, in Comitatu vero Veröczensi, propter eotum accumulatum Malefactorum Numerum, eam se Dispositionem fecisse refert idem Comes, ut illorum delinquentium, quorum reatus ex Inquisitionibus leviorem Civilem et Arbitrariam poenam post se trahere videretur, causas Vice-Comes, per Comitatum authorisatus, cum sibi adjunctis eodem loco residentibus Judice & Vice-Judice Nobilium, summarie solum revideat, et in proxima Sedria scripto referat, cessante autem praemissa ratione, haec quoque dispositio iterum cesset; in causis autem Civilibus, semet in Comitatu Posegano inque Dominio Illokiensi ibidem disposuisse, ut Officiales Dominales pro revidendis Notabilioribus subditorum Causis, ubi plures concurrunt, de tempore in tempus Sedes Dominales legaliter instructas celebrent, Vice-Comitem autem et Judices Nobilium promiscue hactenus causas Judicantes, ad praescriptum Articuli 35. 1729 regulavisse, sed et Dominia quoque, ut Fora Impensionalia exactius servent et Causantibus Justitiam administrent, admonuisse, in aliis autem Comitatibus, nullum in administranda Justitia defectum compertum esse retulit. Hisque superaddidit idem Comes, quod vindex Justiciae rigor, per decursum praeteritae hyemis, in partibus illis produxerit effectum, quod Regio illa, Latronibus et Praedonibus antehac multum referta, jam paene Securitati Publicae sit restituta; quas dicti Comitis Dispositiones benignissime approbantes, iisdem hoc duntaxat addendum esse duximus, ut Comitatus ad continuandum administrandae Justitiae zelum ulterius quoque adhortentur.

In ordine vero ad Lineas Confiniarias refert se praefatus Comes, quod nonnullas exiguas, signanter in Comitatibus Syrmiensi et Posegano, majorem autem in altero Comitatu Veröcensi, quoad occupationem Territorii Diakovariensis per Confiniarios via facti attentatam, repererit differentias; circa quas clementer resolvimus: ut Comitatus, qui eatenus gravamen habent, semet idcirco praevie apud Praefecturam nostram militarem, ibidem tanquam prima Instantia, pro remedio insinuent, ibidemque agenda agant; non obtento autem ibidem remedio tandem primo recurrant, et gravamina sua fundate repraesentent, et hoc etiam

in aliis Casibus et occurrentiis semper observent, et non statim, praeterita prima Instantia, ad Nos vel Aulam Nostram recurrent.

Ulterius retulit idem Comes, quod in Comitatu Posegano excessum in Diurnis intra et extra Comitatum advertens, illa dietim, praeter occasionem, ad duos florenos restrinxerit; praeterea vero ordinaverit, ut decimatoribus Nostris Cameralibus, Incolis saepius damna inferentibus, semper unus homo Comitatensis, qui plebem ab omni jactura praeservaret, adjungatur. Promiscuam vero Nundinarum celebrationem, usque edoctionem Privilegiorum, imo quaedam etiam Monopolia privata, in nonnullis Dominiis servata, inhibuerit, sed et illud quoque in Comitatu Veröcensi ordinaverit, ut Incolis ad Comitatum memorialia porrigentibus et Decretationem seu Indorsationem desuper obtinentibus, praevie autem a Congregatione discedentibus et memoralia sua ibi relinquentibus, indorsatae ejusmodi Instantiae Judicibus Nobilium Processualibus consignentur, per eosdem supplicantibus qui absunt, finita Congregatione, distribuendae. Praeterea vero quod Dominales quoque Officiales, contra quorum renitentiam in Publicis Comitatuum dispositionibus Magistratus Comitatenses conquesti sunt, ad accuratius observandam subordinationem admonuerit. Quas dispositiones aeque cum hac tamen modificatione clementer approbamus, ut salarisatis Comitatuum Officialibus in publicis procedentibus et exmissis intra Comitatus (uti etiam in Hungaria vetitum est) nulla diurna solvantur, in reliquo autem praeattacta diurnorum restrictio etiam ad alios duos Comitatus extendatur; ne autem propter Carentiam Nundinarum publicum patiatur, Domini Terrestres Privilegiis Nundinalibus carentes, ad Majestatem Nostram pro impetrandis ejusmodi Privilegiis ocyus remittantur; ab Incolis autem praevio modo supplicantibus nec pro Indorsatione, neque pro Consignatione et distributione memoralium suorum quidpiam praetendatur aut exigatur; hoc et id vero etiam in aliis Comitatibus debite observetur.

Porro ad relationem toties fati Comitis, posteaquam coram eodem (uti refert) Comitatuum illorum et signanter Veröcensis in eo querimoniam, quod Turcici quaestores et mercatores, vulgo Kallagy dicti, cum diversis mercibus per minucias quaestum exerceant et Charistiam inducant, imo pulveres etiam Pyrios Praedonibus vendere asveti sint, Benigne aeque resolvimus, ut dispositiones nostrae fundamento Articuli 29 novissimae Diaetae, respectu similium quaestorum et mercatorum Turcicorum, qui subditi Turcici sunt, per Hungariam factae, ut videlicet per minutias et extra publicas Nundinas cum rebus et mercibus Turcicis quaestum exercere non audeant, a quaestu autem cum aliis rebus et mercibus non Turcicis penitus arceantur, etiam ad praefatos Neo-incorporatos Comitatus inducantur, ibidem ad notitiam illorum publicentur, et pro futuro debite observentur, dato tamen illis, qui hactenus cum rebus non Turcicis quaestum exercere solebant, pro distractione ejusmodi mercium suarum, certo ac competenti Termino.

Caeterum ad Instantiam Comitatus Syrmiensis, ut Petrovaradini aliquot saltem scholae humaniores, pro erudienda etiam illarum partium Inventute, inducantur: Jam benigne disposuimus, ut fundus idcirco requisitus, per Cameram Nostram requiratur, et illo comperto, petito ejusdem Comitatus deferatur.

Praeterea autem injungetur eidem Comitatui Syrmiensi, ut quoad commoditates, tam pro publicis ejusdem Comitatus Carceribus, quam Carcerum Praefecto, jure praecario hactenus a Dominio Illokini habitas, jam vero per Domi-

nium difficultatas, pro ulteriori Comitatus usu et necessitate relinquendas, cum eodem Dominio, usque dum Comitatus ipse in statu fuerit sibi ejusmodi commoditates exstruendi vel comparandi, de certo eatenus annue solvendo proportionato censu convenire et contrahere studeat, et hoc ipsum etiam Vice-Comes ejusdem Comitatus quoad suam commoditatem, nisi aliud quodpiam fundatum Jus ad eandem haberet, faciat, ut hoc modo ulterioribus dicti Dominii Querimoniis finis imponatur.

Et quia Fidelitates Vestrae ad hujus Comitatus querimoniam sub die 24. Mensis Octobris anni praeteriti Nobis demisse repraesentassent: quod Generalis Campi Mareschalli Locumtenens Noster, Baro Engelshoffen, pro aeqivalente Partis Militaris fossati Nostri Petrovaradiensis, Anno praeterito benigne aeque incorporatae, ex dicto Comitatu Syrmiensi decem Loca avellere, et ad Confinia Militaria applicare voluerit, interim ille desuper constitutus, semet Loca illa projectasse duntaxat, non autem avellere voluisse respondit.

Quibus proinde praevio modo benigne resolutis et dispositis, Fidelitatibus Vestris benigne committimus ac mandamus, quatenus eadem dictis Syrmij, Inferioris Sclavoniae Comitatibus, pro ipsorum Directione respective et debita observatione intimare noverint. Quibus in reliquo Gratia et Clementia nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae, die Septima Mensis Martii Anno Domini Millesimo Septingentesimo quadragesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Leopoldus de Nádasd m. p.

Franciscus Koller m. p.

## Articulus Vigesimus Secundus.

*De appellatione Causarum ex Civitate Segniensi.*

Cum Nuncii Liberae et Regiae Civitatis Segniensis, ad praesentem generalem Dominorum Statuum et Ordinum Congressum comparentes, complures in eadem Civitate terminatos et omnes quidem (cum in omnibus causis Appellationes intra Dominium admitti consvetudine illius hactenus servata solitae fuerint) intra Dominium Partis succumbentis transmissas esse causas referant, sibique juxta Statutum suum de Revisionis Foro, Tabula quippe Banali, provideri impense solicitarent, ob hoc tametsi quidem acta ad regulandam dictam neo-reincorporatam et a Jurisdictione Militari exemptam Civitatem Clementia Regia ordinatae Commissionis, atque adeo et ipsum etiam praemissum de Apellatione ad Tabulam Banalem causarum Statutum, pro benigna ratificatione et confirmatione Regia transmissum haberetur, quia tamen abinde nullam etiamnum benignam accepissent resolutionem, complures autem cum extremo etiam facultatum suarum dispendio latarum pro se et intra Dominium transmissarum Sententiarum effectum atque ideo Executionis beneficii anxii praestolarentur: Ob hoc, ne Justitia, sine qua Regna subsistere nequeunt, in praedicta Civitate cursu et effectu suo careat, In-

clyti Domini Status et Ordines, et praesertim quidem in novae hujus reincorporationis casu, dictae Civitati quoad administrationem Justitiae subveniendum omnino esse censuerunt, causasque ibidem terminatas, et ab Executione pendentes, ipsis etiam Partibus ita volentibus, quia in Statutum praemissum consentientibus, benignoque Suae Majestatis Sacratissimae Mandato ad praedictam Civitatem emanato, et dispositiones Commissionis Regiae ibidem existentis observandas (intra quas et praemissum ad Tabulam Banalem Apellationis beneficium contineretur) praecipiente id ipsum committente, ad proxime venturam, atque Feria Secunda post Dominicam primam post Epiphaniam Domini Anni ingruentis 1748 hicce Zagrabiae consessuram Tabulam Banalem (nisi interea temporis alia eatenus benigna Suae Majestatis Sacratissimae emanaret Resolutio) deducendas, ibidemque in Revisionem assumendas, et si quae tales fuerint, in Executionem deducendas, idque pro hoc duntaxat casu, ad benignam dictae Civitati quoad ipsas etiam Causarum appellationes Caesareo-Regiam Regulationem decernunt.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1748. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1748. 5. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, ex Edicto et sub Praesidio Domini Comitis Ludovici Erdödi de Moniorokerek etc. qua Locumtenentis Banalis A. 1748. 5. et sequentibus Mensis Augusti diebus Zagrabiae celebratae Congregationis.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Secundus.

*De Nova Impositionis Regni Repartitione.*

Siquidem tam ordinariarum quam extraordinariarum Regni necessitatum, Novam Dicae et Impositionis Regni instituendam exigerent Repartitionem: ob hoc Inclyti Domini Status et Ordines eandem in hocce Generali suo congressu elaborarunt tenore et formalitate sequenti.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1749. MENSE SEPTEMBRI. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1749. 15. et sequentibus Septembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Ludovici Erdödy de Monyorokerék, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis perpetui Comitis, Sacrae Caesareo Regiae Maiestatis Actualis Intymi Consiliarii Camerarij, Generalis Vigilarum Praefecti et Locumtenentis Banalis etc. pro 15. et sequentibus Mensis Septembris Anno 1749. Zagrabiae celebrata Congregatione.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Secundus.

***De Confiniorum Regni et Banalium ad Regulatum pedem reductione***

Posteaquam Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus, tum praevie conferentialiter constitutis, cum et in moderno Generali Eorundem Conventu congregatis, ex Litteris Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Bani, publice lectis et Prothocollo Regni inserendis, ea inalterabilis Suae Sacratissimae Imperatoriae et Regiae Majestatis Dominae Dominae Clementissimae innotuisset mens et intentio, qua pro tanto majori altissimi Servitii sui incremento propagando, et armorum et sceptrorum Augustissimae Domus suae Austriacae felicitate, Regnorum horum et advicinantium eidem Provinciarum tutiori defensione et securitate, Nationis denique hujus, tum alias semper, cum et ultimis Bellorum temporibus inconcussa et constanti fide et fidelitate, cum extrema saepe saepius vitae et fortunarum suarum jactura extrema quaeque subeuntis, majori gloria, et cum ali s regulatis copiis in belligerendo aequalitate omnimode disponere audiatur, ut Confiniaria Regni ipsius Militia ad regulatum Pedem reducatur: visum est Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus praeprimis et ante omnia Reflexiones illas, ad optatum Praemissae Benignissimae Caesareo-Regiae dispositionis, sine Jurisdictionis Praerogativaeque Regni et Bani in dicta Confinia, Clementia Regia fidei et fidelitati suae et Bani concredita et commissa, hactenus habitae et exercitae, laesione, Authoritatisque Banalis vulnere, subsequendum effectum, conferentialiter elaboratas, et Suae Excellentiae Banali pro impetranda eatenus Benignissima Resolutione Regia praevie submissas, atque pariter Prothocollo publico inserendas, reassumere, quibus reassumptis et perlectis, atque cum praemissis Suae Excellentiae Banalis, ipsas etiam respective Suae Imperatoriae et Regiae Majestatis Benignas eatenus Resolutiones referentibus, Litteris combinatis, quandoquidem graves et momentosae, tum circa miserae Contribuentis Plebis praegravium, cum et Salariorum Militarium Regulationem, ulteriorem denique circa praemissa inter-

pellandam Caesareo-Regiam Benignitatem et Clementiam occurrerent reflexiones, ad quas discutiendas et in suum ordinem redigendas, quemadmodum et ad fundi, pro futura etiam Salariorum Militarium viribus et potestati miserae Contribuentis Plebis approporciandorum necessitate, suffecturi disquisitionem erruitionemque, sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Francisci Thauzy, Electi Episcopi Bosniensis, Praepositi S. Joannis de Develik, et suae Caesareo Regiae Majestatis Consiliarii, Supratitulatum Dominum Illustrissimum Baronem Stephanum Patachich de Zajezda, Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Baronem Adamum Patachich de Zajezda, Praepositum S Benedicti de Kaposfő, et Canonicum Zagrabiensem, primum Kostaniczensem, posteriorem vero Dubiczensem Commendantes, Dominum Regni Vice-Banum, et Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum Supremum Comitem Joannem Rauch, Dominum Georgium Pogledich Sacrae Caesareo Regiae Majestatis Collonellum Glinanum Comendantem, Unum ex Nunciis Venerabilis Capituli Zagrabiensis, Dominum Gabrielem Skerlec, ejusdem Suae Majestatis Sacratissimae Vice-Collonellum et Jessenovicensem Comendantem, Proto-Notarium Joannem Busan Banalis, et Josephum Magdich Judiciariae Regni Tabularum Assessores, et suarum Imperatoriarum Regiaeque Majestatum Consiliarios, Vice-Comites Comitatuum, Dominum Exactorem Regni Franciscum Kussevich, et pro Actuario Zagrabiensis et Crisiensis Comitatuum Juratum Notarium ordinarunt constitueruntque Deputatos, Operis sui Relationem Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus facturos. Quarum Litterarum tenor talis est.

Excellentissimi, Illustrissimi, et Reverendissimi, Spectabiles, ac Magnifici, Perillustres item, et Generosi Domini, et Amici mihi Colendissimi, Observandissimi.

Gratissimae mihi fuerunt eae praetitulatarum Dominationum Vestrarum honoratissimae Litterae, quas ex Conferentiali suo Congressu sub 20. praeterlapsi Mensis Julii celebrato, in merito Regulationis Confiniorum Banalium, ad me dederunt. Ex quibus sicuti peculiari cum consolatione intelexi singularem earundem fervorem, quo mediante inde a Saeculis erga Augustissimam Domum Austriacam intemerate comprobatam fidelitatem Devotionemque Suam perinde ulterius ac noviter contestari cupiunt, quod juxta Clementissimam eamque Maternam Majestatis Caesareo Regiae in Conservationem commodumque Charae hujus Patriae tendentem intentionem, Regulationem Confiniorum Regni Croatiae Banalium, Communibus Concordibusque votis projectaverint per sese promovendam et secundandam, ita Annotata in praemissis Inclytorum Statuum et Ordinum Conferentialiter Congregatorum Litteris, quaepiam praefati Regni Jurisdictionem, Banalem Authoritatem, Praerogativasque suas et Privilegia, per Gloriosos olim Hungariae Reges concessa, ac per modo gloriosissime Regnantem Majestatem Sacratissimam confirmata, pro praefatae etiam regulationis casu illibate conservanda, concernentia puncta et reflexiones, denique desiderium et Postulatum eorundem, ut in casu insuficientiae Fundi Regnicolaris, pro Instructione et Intertentione memoratae Confiniariae Militiae requisiti, subsidium quodpiam ex Aerario Caesareo Regio eum in finem quottannis resolveretur, uberius percipiens, non deeram partibus meis cuncta ea Augustissimae Dominae humillime referre, et pro ea, qua inde a principio suscepti Officii mei Banalis in omnigenam Inclyti hujus Regni felicitatem, Praelibatarumque Dominationum Vestrarum commodum et emolumentum procurandum feror teneritudine et sincera animi mei propensione, demississimas vices meas, vel ideo etiam interponere, quod

salutare hoc Regulationis opus in tutamen, securitatem et incrementum Charae illius Patriae unice cedat, ac ut ad praemissa Benignissime applacidanda puncta summefatam Suam Majestatem promovere possim, omnem omnino possibilem conatum meum impendere, Eidemque idcirco humillime suplicare aeque non omisi. Erga quam demisissimam propositionem meam eo Benignissime inclinari passa est Sua Majestas Sacratissima, quod gratiam et clementiam suam Caesareo Regiam Inclytis Statibus et Ordinibus pro omni occasione eo amplius conferre velit, quo magis Eidem notum est, qualiter titulatae Dominationes Vestrae Inclytique Status et Ordines intemeratam fidelitatem suam, non solum prioribus temporibus, verum etiam durante novissime sopito Bello, exponendo vitam facultatesque suas, juxta Clementissimum Suae Majestatis Beneplacitum multifarie demonstrarunt.

Quod itaque ex praefata Conferentia mihi transmissa et saepefatam Regulationem Confiniorum Banalium, Jurisdictionem item, ac Praerogativas Regni, authoritatemque Bani concernentia puncta attinet, ea sunt in ordine sequentia. Et quidem.

Primo. Ut Regni et Bani in praemissis Confiniis Banalibus hucusque habita Authoritas et Jurisdictio, non solum ulterius confirmetur, verum etiam ex Clementia Caesareo Regia dehinc amplietur. Haec porro Authoritas et Jurisdictio

Secundo, In eo consistant, ut Regnum cum Bano, ex Benigna Resolutione Regia nominato, constituendi Jus habeat Regni Capitaneum, Militaribus suis rebus praeficiendum, qui Capitaneatus a longiori jam tempore dignitati Banali conjunctus esse consvevit. Quod si vero

Tertio, Praemissum Capitaneatum Regni ab Officio Banali separari contingeret, ut constituendus Regni Capitaneatus tam a Bano quam Regno dependeat; et insuper quemadmodum hactenus omnes Confiniarii Officiales usque ad Vojvodatum inclusive a collatione Bani et Regni dependebant, ita in futurum hoc ipsum observetur.

Quarto. Ut in casu vacantiae praeappositorum Officiorum, Regnum Bano, qua simul Regni Capitaneo, pro singula tali vacantia tres idoneos et benemeritos Nobiles Patriae Filios proponendi Jus habeat, Bano autem liberum sit unum ex iis eligere, modo et praxi ea, quam Proprietarii apud sua Regimina observare consveverunt, ita quidem, ut talismodi a Bano nominatus Officialis, aequalem praerogativam, vulgo Rang, et activitatem habeat, quali aliorum Regiminum Officiales in simili Sphaera gaudent.

Quinto. Ut in ipsis pro nunc quidem definitis, auxiliante vero Deo olim amplius extendendis confiniis, non solum praesens Institutio et Regulatio, verum etiam dispositiones futurae, tam in introducendo novo ordine et ejus conservatione, quam in Constitutione Regulationeque Commissarii, Auditoris, et juxta Exigentiam circumstantiarum nefors erigendae cujuspiam Administrationis, et denique etiam pro casu praestandi ab Aerario Caesareo Regio hunc in finem desiderati subsidii, penes Regnum et Banum permaneant.

Sexto. Ut Praesidium Petrinense una cum omnibus appertinentiis, vigore Diplomatis Leopoldini, Confiniis Regni Banalibus adjiciatur et incorporetur. Respectu autem Salarii Bani ab Aerario Regio provisio fiat. Denique

Septimo; Ut munita per concursum Aerarii Regii in Regno Croatiae Fortalitia, non alio, quam Nationali Milite impraesidiata sint, ac tandem

Octavo: Ut nullo unquam tempore praelibatum Regnum Croatiae Quarteriis militaribus oneretur.

Quod itaqne praemissa puncta attinet, eo quidem inclinari dignata est Sua Majestas Sacratissima, quod ex peculiari suo erga Regnum hoc clementissimo affectu, non solum cuncta Privilegia, Jura, et Praerogativas Officii Banalis, Inclytorumque Statuum et Ordinum, praevia Eorundem authentica et fundata edoctione, in suo esse relinquere, verum etiam in promotionem Ejusdem Summi Servitii Praetitulatarum Dominationum Vestrarum tendentem Zelum et fervorem ad exigentiam circumstantiarum dehinc quoque Benignissime remunerari cupiat.

Quod vero Supplementum pro tempore vacantium Militarium Officiorum in Confiniis Banalibus concernit, stabales quidem Officiales aequalem cum aliis activitatem seu Rang habebunt, et omnes per Suam Majestatem Sacratissimam erga meam qua Bani propositionem resolventur, ob idque ab Excelso Consilio Aulae Bellico sua Decreta extrahere necesse habebunt. Ut vero pro casu cujuspiam alterius vacantis Officii Militaris Inclyti Status & Ordines praevie Subjecta candident, eaque in finem denominationis Bano proponant, videtur hoc ipsum vel exinde non esse factibile, cum similia Officia Militaria usque tempus celebrandae Congregationis Regni, quod ad notitiam publicam rarius per Annum contingit, non sit consultum insuppleta relinquere; Invenit proinde Sua Majestas Sacratissima pro conservatione hujus neo-regulandae Militiae opportunius et magis necessarium esse, ut similia vacantia Officia per immediatam Bani, qui aliunde optimam Notitiam subjectorum, eorundemque Capacitatis et qualitatum habet, denominationem suppleantur: Ubi nihilominus tam Ego durante meo Officio Banali, ex tenerrimo affectu, quo erga Inclytos Status et Ordines feror, quam mei Successores, ad exigentiam Clementissimae Majestatis Caesareo Regiae Intentionis, per Eosdem Dominos Status et Ordines recommendandorum, capaciumque Subjectorum, omnem peculiaremque reflexionem habebunt.

Respectu vero Regno incorporandi Praesidii Petrinensis, dignabitur omnino Sua Majestas Sacratissima circa ejus situationem, Constitutionem, et pro nunc ibidem existentis Praefecturae Militaris administrationem, semet informari curare, ac tandem eatenus ultro clementissime disponere.

Quod autem ex Aerario Regio suppeditandum Banale Salarium attinet, Ego quidem, qui non solum congruis pro ratione Status mei a munificentia Divina dotatus sum mediis, verum etiam ab aliis, quae ex Benignitate Caesareo Regia gero Officiis, obvenientia commoda et subsidia habeo, Aerario Regio, quod aliunde pro nunc exhaustum esse mihi constat, maius onus causare minime cupio; Sua Majestas autem semet Clementissime erga me declarare dignata est, quod Eadem futuris Croatiae Banis congruum Salarium Benignissime resolvere ac idcirco desiderio Inclytorum Statuum et Ordinum, juxta proposita Eorundem puncta, Sua Caesareo Regia Benignitate adesse haud dedignabitur.

Ad exoratum porro pro regulatione et intentione saepefatae Militiae Confiniariae ab Aerario Regio Subsidium progrediendo. Meminerunt quidem Praetitulatae Dominationes Vestrae in praeallegatis punctis, praeter actualem contributionis, aliorum adhuc Fundorum, qui Juste et de Lege ad Fundum Earundem Domesticum applicari possent, ut sunt in specie Bona Zrinano-Fiscalia circa Carlostadium, Mikulichiana circa Capronczam, Maritima Cameralia, Perennalistarum Transcolapianorum, Praediales Ignobiles, et Inquilini, Communitates, Libertini ac

Decimalistae, quorum Bona Hostico non tam prope exposita sunt, et hi Ignobiles, praeterea erectarum jam et adhuc erigendarum Tricesimarum Beneficia, ac tandem Incorporatio Districtus Kultinensis.

Hi autem Fundi veniunt in tres Classes dividendi, et quidem primi Ordinis consistunt in Novis Provincialibus Impositionibus. Secundi vero possidentur actualiter per Varasdinensem et Carlostadiensem Generalatus. Tertii demum generis Fundi spectant ad Aerarium Regium, qui similiter jam subrepartiti, et alio destinati sunt.

Quemadmodum Sua Majestas Sacratissima neque pro promotione Ejusdem altissimi servitii, neque pro utilitate Inclyti Regni, congruum esse invenit, unam partem debilitare, ut per id altera ampliores vires nanciscatur; Circa Bona autem Cameralia Maritima, num videlicet contributio aliqua ab iis, et quo praestetur? uberius semet informari curare clementer intendit. Aerarium porro Caesaraeo Regium praeteritorum Bellorum Injuriis ad publicam notitiam exhaustum est; Et pro casu praestandi etiam ex eodem desiderati subsidii, privativa illius administratio juxta communem in similibus manipulationem vix Regno admitti possit, verum Commissariatus Generalis eatenus necessario Directionem habere deberet; Ita confidit Clementissime Eadem Sua Majestas Sacratissima, quod in his rerum circumstantiis, ubi nimirum per praemissam Regulationem Confiniariae Militiae toti Inclyto Regno adeo multifaria emolumenta, tam per majorem conservationem et defensionem Confiniorum, indeque promanantem publicam securitatem, quam perinde Patriae Filiorum in Militaribus Officiis futuram accomodationem, qua mediante ad majora munia et dignitates Nobilitati via sternitur, ac tandem securam futuri Stipendii perceptionem, quam non externi, verum unice Patriae Filii participandam habebunt, idque in Gremio Regni consumetur, accedunt; specialiter autem dignabatur Sua Majestas Sacratissima Caesareo Regia formalibus semet erga me clementissime declarare, qualiter Eadem ob considerationem Ejus, quod ex parte hujus Inclyti Regni ad Ejusdem Aerarium Regium Titulo publicae contributionis nihil praestetur, ubi tamen haec solum Juri Majestatico, quod defensionem et securitatem Regni pro fundamento habet, semper reservata extiterit, ac praeterea quod ad Fundum quoque Domesticum non adeo magnum Quantum contribuatur, ad quod tamen ab Officio etiam Tricesimali vigore Articuli 115 Anni 1715 quottannis subsidium quodpiam confertur, firmissime persvasa sit, quod Inclyti Status et Ordines pro erectione saepe memoratae Regulationis Confiniariae Militiae sufficientem Fundum, juxta laudabilem suum pro omni occasione in promotionem Altissimi Officii Regii et comodum boni publici commonstratum Zelum et fervorem adinveniendi omnem conatum adhibituri sint, quo ipsemet, ut supraattactum est, aliunde se solis viam et modum sternere videntur. Qualiter videlicet Perennalistae Transcolapiani, Praediales Ignobiles, Inquilini Decimalistae, ac alterius conditionis in Regno reperibiles Incolae, ad Contributionem in fundum Domesticum praestandam attrahi possent. Prouti altefata Sua Majestas clementer existimat, quod praedeclaratus deffectus Fundi Domestici exinde proveniat, cum similes in gremio hujus Regni reperibiles Homines a repetita contributione ad dictum Fundum Domesticum praestanda illegitime exempti habeantur. Unde ad aequalitatem perveniendo, et ejusmodi Regni Incolas vigore statutae per Praefatos Dominos Status et Ordines adhuc Anno 1737, in positivis Regni Legibus fundatae, hoc in

merito publicae dispositiones, ad hujusmodi Contributionem pro Fundo Domestico praestandam adigendo, una aequalis repartitio ordinanda esset.

In his igitur consistit Clementissimae nostrae Dominae Benignissima Intentio. Ego sane tenerrimo cordis affectu cupivissem postulata Praetitulatarum D. D. Vestrarum, quae ex Conferentia sua mihi significarunt, ad desideratum effectum perducere, quemadmodum etiam partibus non defui, omnem possibilem operam et conatum eatenus adhibere, defectumque virium et facultatum Inclyti hujus Regni vivaciter demonstrare. Et Sua Majestas etiam Sacratissima, ex materno suo, quo erga Inclytum hoc Regnum fertur affectu, eatenus clementer inclinata fuisset, si praesentes rerum circumstantiae, ubi numerus Inimicorum Ejusdem nimium quantum accrevit, ac ob id extremas vires suas ad Status sui Militaris conservationem conferre necesse habet, aliud pro nunc non svaderent. Hinc confidit Sua Majestas Caesareo Regia, quemadmodum et Ego firmissime persvadeor, quod Praetitulatae D. D. Vestrae, haec omnia in proxima Earundem Generali Congregatione in peculiarem Considerationem summere, et consecutionem Fundi, qui pro Instructione et intertentione saepememoratae regulandae Militiae Banalis requiretur, medio Justae et proportionatae Repartitionis, pro Fundo Domestico taliter requisitae Quottae, cum conjunctione Taxalistarum, Praedialium Ignobilium (cum in circumstantiis similibus Praerogativa Nobilitaris semper in salvo permaneat), non absimiliter Inquilinorum Eorum, qui sub titulo servitorum Dominalium hucusque a praefata Contributione immunes fuerunt, et aliorum hoc modo conditionatorum, et per praetitulatas D. D. Vestras praevio modo relevatorum Hominum, omnem conatum et possibilem operam adhibere ac eo dirigere non intermittent, qualiter saepefata Regulatio Confiniaria, absque Concursu aliunde exhausti Aerarii Caesareo Regii, in effectum deduci valeat, sicuti spe firma lactor, quod si modo dicta, et a proportione ac aequalitate exigenda praestanda, conjunctim accipiantur, eoque aeconomia illa, quae successive in Confiniis aliunde per se exurgere poterit, necessarius Fundus, absque novo tamen aggravio Contribuentis Plebis, quod principaliter et impense Praetitulatis D. D. Vestris recommendo, facillime adinveniri et erui poterit.

Super quibus, dum uberiorem Praetitulatarum D. D. Vestrarum relationem praestolor, una de Earundem in augmentum altissimi Servitii Caesareo-Regii directo zelo, et in Patriam amore, ita persvasus sum, ut hac in parte ulteriores reflexiones facere penitus supervacaneum esse existimem. Unice adjungendum adhuc habeo pro Coronide, qualiter Sua Majestas Caesareo-Regia erga meam humillimam Instantiam clementissime resolvere dignata sit, ut pro neo-erigendis Regiminibus Sclopi, Arma Broja seu Bajonnet, et nova Tormenta ex armamentariis suis, tempore Belli autem etiam Tentoria, reliquaque Bellica requisita et Intertentio, si videlicet praefatam Militiam extra Regnum progredi contingerit, ab aerario suo suppeditentur. Atque his jugi cum existimatione permaneo Praetitulatarum D. D. Vestrarum, Schön-Brun, Sexta Septembris 1749. Obligatissimus paratissimus Servus et Amicus.

Carolus Comes Battyan. m. p.

*Reflexionum tenor talis est:*

**Reflexiones sive Notae in merito Reformationis Confiniorum Regni Croatiae et Banalium.**

Cum Sua Majestas Domina nostra Clementissima pro tanta majori servitii sui Caesareo-Regii promotione, Regni hujus intrinseca. et Provinciarum suarum securitate, Nationis hujus, ab origine sua martialis, majori gloria, demum et cum aliis regulatis copiis in belligerendo aequalitate benigne disponere audiatur, ut Confinia haec Regni et Banalia ad pedem Militiae regulatae ordinentur, occurere posse censetur in eo.

Primo. Quod roganda obsequiose veniret Sua Excellentia Banalis, quatenus dignaretur ob oculos ponere Suae Majestatis Sacratissimae, Regni hujus servitia, et in suos Clementissimos Principes pro circumstantia omnis fortunae indesinenter posita merita, quibus non solum variorum Privilegiorum Collationes sibi factas assecutum fuit, sed ulterius quoque et liberalius sibi conferendorum spem et promissiones Caesareo-Regias meruit amplissimas, quorum sive confirmandorum sive ampliandorum occasio cum modo se exhibeat, devote interpellanda esset Sua Majestas Sacratissima, ut

Secundo. Tam intuitu anteactorum, quam recentium etiam hujus sui fidelis Regni Servitiorum, nec absimiliter singularium ipsius Excellentissimi Comitis Bani sibi et toti Orbi Europeo notorum meritorum ex respectu, Praerogativam illam Regni et Bani, quam in Confinia haec, sanguine suo parta et tutata, cum incremento (uti speratur) Servitii Regii habet et exercet, non solum stabilire, sed gratia quoque et Benignitate sua Regia ampliare dignetur, pro perenni ejusmodi distinctae Clementiae suae apud seram Nationis hujus posteritatem celebratione, et illius tanto majori in Servitio suo et non interrupta fidelitate obfirmatione; Praerogativa autem haec Regni et Bani in his Confiniis constitit in eo:

Tertio. Quod Regnum hoc penes Banum, quem Rex denominat, constituendi Jus habeat Capitaneum Regni, Militaribus suis rebus Praefectum, quam Praefecturam jam a longiori tempore conjungere solet Banatui, ut quem Rex nominat Banum, Eundem Regnum constituit Capitaneum Confiniorum Suorum.

Quarto. Quod sicut hactenus Confiniorum Officiales usque ad Vojvodatum inclusive sola Bani, qua etiam Capitanei, Collatione, modalitate, mox sequenti puncto assecuta, contenti, Bano et Regno parebant, et in futurum etiam id ipsum observandum indulgeretur, imo si quibuscunque temporibus separari contingeret Banatum a Capitaneatu, Capitaneus nihilominus per Regnum constituendus ab hoc et Bano dependeret, et cum Jus nominandi Capitaneum Supremum Confiniorum sit penes Regnum,

Quinto Non incongruum esset, quod in casu vacantiae alicujus ex praeappositis Officiis, Regnum proponeret Bano, qua etiam Capitaneo, pro singula

tali vacantia tres Nationales Nobiles caeteris paribus praeferendos, idoneas, bene- meritas, et ad hoc vel illud Officium gradum suum habentes personas, cujus deinde arbitrii esset, unum ex propositis eligere et constituere, modo et autho- ritate prorsus illa, qua proprietarii Regiminum in suis Regiminibus gaudent, aequali videlicet cum aliis Regulatorum Regiminum Officialibus, sibi in sphaera aequalibus praerogativa et activitate eo solo facto pollentem.

Sexto. Roganda ulterius esset Sua Excellentia Banalis, ut apud Suam Sacratissimam Majestatem se interponere dignetur, quatenus in Confiniis praesentis Status, et cum adjutorio DEI felicique armorum Regiorum successu ultro pro- tendendis, tota ordinatio praesens, et dispositio futura, tam in introducendo novo ordine, quam eo conservando, constituendisque et regulandis Comissario, Audi- tore, et pro circumstantiarum temporis fors ordinanda administratione, ultro relin- quatur penes Regnum et Banum, non obstante, si Sua Majestas Sacratissima etiam Succursum Regno ordinaret ex Aerario suo in adjutorium exolutionis consti- tuendorum Salariorum.

Septimo. Imploranda etiam esset gratia Suae Majestatis, ut Praesi- dium Petrinense, cum universis tenutis actualiter eo possessis, Sua Majestas Regno cedere dignetur, formalitate Benigni Diplomatis Leopoldi de Anno 1703 emanati, ubi loco inter Jurisdictionem Politicam et Militarem Regni hujus medio, residentia Bani opportune institui posset, cui deinde de salario Sua Majestas provisionem facere dignaretur ex Aerario suo Regio, argumento Articuli 114. Anni 1715, quae tam conspicuo characteri consona esse posset.

Octavo. Quod siquidem nota angustia Jurisdictionis hujus Politicae Regni, soli item naturalis sterilitas, Comertii hactenus tolerata praeclusio, et cum his magnus pecuniae defectus se solis exhibeant, quod Domestica media et Fundus Regni non sufficient ad instruenda duo Pedestria Regimina, et tres Turmas Equitum, quam Militiam ad Statum positum, in his Regni et Banalibus Confiniis desiderare dicitur Sua Majestas Sacratissima, adque ob id necessarius nobis summendus videtur recursus ad aerarium Suae Majestatis Regium: Ideo considerato fundo Domestico actualiter Contribuente, et hoc comportato cum sumptibus necessariis pro instruenda praeapposita Militia in solis Officialibus considerata, creditur, quod praeter quantum, quod Regnum modo contribuit ad solutionem Militarem, adhuc 34. Millia flor. annue Regno essent necessaria ex Aerario Regio habenda.

Nono. Quae etiam ut Sua Majestas Sacratissima, pietate Benignitate- que propria movenda, et precibus devotis, per Suam Excellentiam Banalem pro Regno hoc interponendis disponenda, ex Cassa sua particulari et gratiali huc enumerari facere dignetur, et hanc Summam fideli huic Regno suo, sive Exactori illius pro tempore futuro, in constituendo Termino indubie quottannis deponen- dam Ordinet Clementissime, hnmillime censetur interpellanda.

Decimo. Et quia Regnum, ultra fundum actualiter contribuentem in- venire scit et monstrare posset Fundos nonnullos alios etiam, qui de Lege et

ratione in concursum suorum publicorum onerum vocari possunt, et merito contribuere deberent cum modo Contribuente fundo, et hos inter essent in specie Bona Zriniano-Fiscalia circa Carolostadium, Mikulichiana circa Capronczam, Maritima Cameralia, Perennalistarum Trans-Colapianorum, Praediales Ignobiles et Inquilini, ac Communitates, Libertini ac Decimalistae, quorumcunque Dominiorum, hostico non vicini, et hi Ignobiles, praeterea Tricesimarum errectarum ex Articulo 54. 1741, et errigendarum virtute Articuli 89. 1647. beneficium, Districtus Kuttinensis etiam in contributionali onere reincorporatio, fundamento Articuli 51. 1741 A., quibus pro nunc praescindi posset. Ideo horum remonstrationem, et fiendam Suae Excellentiae Banali propositionem, ac per hunc si judicaverit suae etiam Majestati fiendam prolationem reservare sibi potest Inclytum Regnum, cum ea Declaratione, quod ubi primum aliquid influxerit in Cassam Regni publicam, ex talibus noviter adjiciendis Fundis, quod converti poterit in praemissam Militarem Exolutionem, statim tantum defalcetur Singulo Anno ex quanto illo, quod ex gratiali sua Cassa in adjutorium ejusdem Exolutionis Militaris huc Conferendum ordinabit Sua Majestas Sacratissima.

Undecimo. Praesidiorum fortificatio et munitio etiam occurrere posse censetur, sed in hoc obtestanda veniret Sua Majestas Sacratissima, ut fortificata et munita etiam per Concursum sui Aerarii, non alio, quam Nationali Milite, fido aliunde, et jam futuro regulato semper impraesidiare dignetur.

Duodecimo. Et cum totum hoc Regnum militare consveverit, et pro circumstantia temporis, Principis et suis rebus nunquam defuerit, aut defuturum sit, supplicari posset Suae Majestati, ne quibuscunque temporibus cum Militaribus quarteriis oneretur.

## Articulus Septimus.

*De Foro superrevisorio Causarum Civilium, et instituendo etiam in Regno hoc uno Vice-Tavernicorum Magistro.*

Ex humillima Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum, de Causarum, in Liberis et Regiis Civitatibus Regni hujus, ventilari solitarum, ac inde apellatarum Foro superrevisorio, ex ipsis Juribus et Privilegiis dictarum Civitatum deducta, suaeque Caesareo Regiae Majestati humillime submissa opinione informationeque, tametsi dictae Civitates, Varasdinensis quidem Judicatui Personalis Praesentiae Regiae in Judiciis Locumtenenti subesset, Segniensis vero apud Comitatum forum superrevisorium habeat, reliquae autem, una cum Oppido Czirkveno, Judicio Magistri Tavernicorum Regalium, atque adeo distinctis quoad revisiones causarum Jurisdictionibus subesse comperiantur, Sua tamen Sacratissima Caesareo-Regia Majestas, veluti Summa in Terris Justitiae Moderatrix, tum quod dictarum Civitatum Incolae causantes ad Forum Superrevisorium apellantes, partim ob distantiam loci viarumque incommoditatem, partim vero miserum et aegenum Statum suum, mediorumque et facultatum defectum, difficulter nimis vel nullatenus ad constitutum unum vel alterum in Hungaria Forum Superrevisorium

debito tempore comparere possent; Ne proinde ob haec obstacula partes causantes debita Justitiae Administratione destituantur, id pro nunc pro sublevamine ejusmodi Causantium et celerius adipiscenda Justitiae Administratione, interimaliter et usque ad ulteriorem Benignam dispositionem suam (salvis caeteroquin praedictarum civitatum de Foro Apellationis sonantibus Privilegiis) clementer resolvit, et Comiti Tavernicorum suorum Regalium Magistro, tenore Benigni sui Rescripti sub dato Viennae Austriae die 3. Mensis Junii 1749 emanati commisit, ut idem sicuti in Hungaria, ita in Croatia etiam, Vice-Tavernicorum Regalium Magistrum, qui ibidem causas omnes Civiles in praefatis Civitatibus, et respective Oppido, ventilatas, et maturioris revisionis gratia ad Forum superrevisorium via apellationis provocatas, Lege, consvetudine, et activitate in Regno Hungariae observata, de tempore in tempus convocatis illarum civitatum senioribus, revidere possit, et revisas memorato Comiti Magistro Tavernicorum Regalium ad statum Noticiae in Extractu communicet, mox et quantocius denominare, ac Officii Sigillum eidem consignare, Suamque Majestatem Sacratissimam desuper pro faciendis apud antelatas civitates Dispositionibus informare debeat. Quam Benignam, et in Summum Iocolarum causantium praeattactarum Civitatum alleviamen, celerioremque Justiciae administrationem tendentem pientissimam summefatae suae Imperatoriae et Regiae Majestatis, sub dato praemisso 3. Mensis Junii Anni currentis emanatam Resolutionem, quemadmodum Domini Status et Ordines venerabundi in subditali Devotione acceptant, ita, ut cum nulla de Vice-Tavernicorum Regalium Magistro modo praevio clementer demandata partibus in istis constitutione etiamnum haberetur dispositio, complures autem Justitiam sitientes apellatarum Causarum suarum, non sine magno detrimento et fortunarum Jactura avide praestolarentur Revisiones: ob hoc suae Sacratissimae Imperatoriae et Regiae Majestati ultro humillime pro antelati Vice-Tavernicorum Regalium Magistri celeriori Resolutione, et circa praemissum apellationis modum instituenda apud dictas Civitates Dispositione, Domini Status et Ordines statuunt supplicandum.

## Articulus Decimus Octavus.

*De Juramento Indigenatus per Illustrissimum Dominum Comitem Benevenutum Sigismundum Petaczy deposito.*

Cum tenore Articuli 24. Congregationis, Anno 1740 die 22. et sequentibus Mensis May Zagrabiae celebratae, Illustrissimus Dominus Comes Benevenutus Sigismundus Petaczy, Sacratissimae Imperatoriae et Regiae Majestatis Generalis Vigiliarum Praefectus et unius Pedestris Regiminis Carolostadiensis Commendans, in Indigenam, exigentibus suis amplissimis de Rege et Regno isto benemeritis, horum Regnorum assumptus, praeteritorum Belli temporum impedimento, consvetum, ibidemque ordinatum, super collato sibi praemisso Indigenatu Juramentum deponere nequivisset, ideo Idem in praesenti Generali Dominorum Statuum et Ordinum conventu et publico consessu, juxta Formulam Decretalem, in Expeditione praesentis Articuli subinserendam, deposuit.

## Articulus Decimus Nonus.

*Dominus Venceslaus Mathias Hucogek de Kleefelt, Vice-Colonellus et Generalis Adjutantius, in Indigenam horum Regnorum assumitur.*

Praeclara Domini Venceslai Mathiae Hucogek de Kleefelt, Vice-Colonelli et Generalis Adjutantii, de sua Sacratissima Imperatoria et Regia Majestate ejusdemque Augustissima Domo Austriaca et Regno Nationeque hac in novissimis Bellorum temporibus sibi comparata merita, praesertim vero Militiae Regni hujus Nationali, pro promovendo altissimo Augustissimae Servitio, ad Bavariam et Belgium exmissae, inibique, atque etiam in Hollandia, per decursum quatvor Annorum belligeranti, propria Inclinatione et opera, pro omni occasionum occurrentia succurrentis, quin imo in Actione seu Militari operatione, pro augmento ejusdem Gloriae eandem praeeuntis, ac tum alias semper, cum et occasione Viennae in ipsa Suarum Sacratissimarum Imperatoriarum et Regiae Majestatis Praesentia, non sine communi applausu producti Exercitii Militaris secundantis exhibita studia, ac non minus Bohemae Nationis, ex qua idem Dominus Vice-Colonellus nascitam traheret, originis cum Regno isto connexionem, Jugi memoria recolentes Domini Status et Ordines; Eundem Venceslaum Mathiam Hucogek de Kleefelt, Vice-Colonellum et Generalem Adjutantium, in caetum et numerum reliquorum Regni istius Civium et verorum Indigenarum, cum relaxatione solitae Taxae receperunt et cooptarunt, minime dubitantes suam Dominationem amodo etiam et imposterum semper fidelem, Gratum et utilem Patriae istius concivem semet remonstraturum, qui et Decretale super Indigenatu eodem in publico deposuit Juramentum, praesentis Articuli expeditioni subinserendum.

## Articulus Vigesimus Octavus.

*De nova Contributionis Regni Repartitione.*

Nova Contributionis Regni repartitio, per supramemoratam Deputationem elaborata, et in publico relata applacidataque, Publico Regni Prothocollo inserenda, et Domino substituto Regni Exactori fine eo extradanda decernitur, ut semet in exigendorum Exactione, et incassandorum incassatione, sciat regulare. Repartitionis tenor.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivio Regni Croatiae.

## 1753. MENSE JULIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1753. 3. et sequentibus Mensis Julii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclitorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali Eorundem, ante Instalationem Illustrissimi Domini Comitis, Domini Adami junioris de Bathyan Perpetui in Nemeth-Ujvar, Sacratissimae Caesareae et Regiae Majestatis Actualis Camerarij, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti et Clementia Augustissima resoluti Locumtenentis Banalis, sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Francisci Thauszy, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. V. M. de Thopuszka, Comitatus de Berzencze Supremi Perpetui Comitis, et Suae Majestatis Caesareo-Regiae Consiliarii etc., pro Tertia et sequentibus Mensis Julii Diebus Anno Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Tertio, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Vigesimus Quintus.

*De repartitione Impositionis Quanti.*

Exigentibus ita Regni necessitatibus, Inclyti Domini Status et Ordines Regni subinsertam Impositionis pro Anno modo curente 1753 elaborarunt Repartitionem, juxta quam Dominus Supremi Regni Exactor incassanda incassabit et eroganda erogabit. Cujus Tenor talis est:

Projectum Repartitionis pro Anno decurenti 1753.

In cujus Seriem cumprimis assumantur Necessitates Ordinariae:

| | fl | xr. |
|---|---|---|
| Salarium Suae Excellentiae Banalis qua Supremi Regni Capitanei | 4.000 | — |
| Moderni Domini Illustrissimi Locumtenentis | 2.000 | — |
| Tabulae Banalis Salaria | 17.000 | — |
| Dominorum Militarium Officialium | 34.000 | — |
| Domini Illustrissimi Regni Militaris Commissarii | 700 | — |
| Domini Regni Vicebani | 300 | — |
| Latus . . . . | 42.700 | — |

| | fl. | xr. |
|---|---|---|
| Latus Translatum . . . . . | 42.700 | — |
| Domini Magistri Regni Prothonotarii . . . . . . . . . . . . . . . | 300 | — |
| Domini Exactoris Regni, cum suis Subalternis . . . . . . . . . | 900 | — |
| Tabulae Regni Judiciariae . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 1.330 | — |
| Spectabilium Dominorum Vice-Comitum . . . . . . . . . . . . . | 600 | — |
| Domini Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis Notarii . . . . | 150 | — |
| Domini Comitatus Varasdinensis Notarii . . . . . . . . . . . . | 125 | — |
| Tredecim Dominorum Judlium . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 650 | — |
| Domini Conferentiarum Secretarii . . . . . . . . . . . . . . . . | 100 | — |
| Domini Pauperum Advocati . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 100 | — |
| Viginti Septem Dominorum Vice-Judlium . . . . . . . . . . . . | 810 | — |
| Duorum Dominorum Ordinariorum Regni Medicorum . . . . . | 1.000 | — |
| Patrum Capucinorum Zagrabiensium et Varasdinensium Elemosina . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 80 | — |
| Duorum Justitiae Executorum, et quidem Zagrabiensis a fl. 200, Varasdinensis vero a fl. 100 . . . . . . . . . . . . . . . | 300 | — |
| Summa Ordinariarum . . . . . | 49.145 | — |
| Sequuntur Extraordinariae Regni Necessitates: | | |
| Domini Stabilis Auditoris . . . . : . . . . . . . . . . . . . . . . | 300 | — |
| Domini Agentis Viennensis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 200 | — |
| Chyrurgi Regni cum recenti in fl. 50 auctione . . . . . . . . | 150 | — |
| Medici Degoy . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 100 | — |
| Castellani Civitatis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 12 | — |
| Summa utriusque . . . . . | 49.907 | — |
| Interusuria a prioribus fl. 20900 Inclyti Regni Capitalibus . . | 1.254 | — |
| Interusuria a recenter contractis in fl. 1000 Inclytum Regnum pariter passive manentibus Capitalibus . . . . . . . . . . . . | 420 | — |
| Pro Comissione et alijs Occursuris Inclyti Regni Necessitatibus, quo etiam Emolumenta Confiniaria ex rationibus Comissarialibus eruenda applicabuntur . . . . . . . . . . . . | 4.601 | — |
| Summa universarum Necessitatum . . . . . | 56.184 | — |
| Pro horum Exsolutione assumuntur imprimis ex Proventibus Tricesimalibus . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 9.000 | — |
| Ab antiquis Regnicolaribus Fumis Nro. 1260 ½, singulo Fumo per fl. Rhen. 34 imponendo . . . . . . . . . . . . . . . . . | 42.857 | — |
| Ex partibus Maritimis erga Benignam Regiam Resolutionem obventurae impositi Ejusdem Fumalis Quanti duae Tertiae constituentis . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 3.310 | 57 ⅔ |
| Civitatibus, Oppido Czirkveno, et Inquilinis Venerabilis Capituli, atque Episcopatus Zagrabiensis hactenus Prothocolo inserti . | 700 | — |
| Dominio Sztenichniak impositi . . . . . . . . . . . . . . . . . | 315 | — |
| Summa totius Fundi Contributionalis . . . . . | 56.182 | 57 ⅔ |

Hujus vero Impositionis ad Cassam Inclyti Regni comportandae statuitur Terminus pro prima Januarii Anni affuturi 1754.

### Articulus Trigesimus Secundus.

*Dominus Vice-Colonellus Antonius de Zetvich in Indigenam suscipitur.*

Gratae recolitur memoriae Domini Antonij de Zetvich, Sacratissimae Caesareo Regiae Majestatis Vice-Colonelli, erga Inclytae Patriae hujus Nobilitatem propensio, quam idem abinde a tempore introductae Confiniorum Regni regulationis, in instituendis in novo Exercitio Militari Dominis Officialibus hucusque continuo et indefesse, et secus etiam zelose testari perexit: Eapropterque in fatigiorum modo praevio impensorum recognitionem, Domini Status et Ordines Titulatum Dominum Vice-Colonellum, Ejusdemque Masculini Sexus Descendentes, in Numerum et Coetum verorum Regni Nobilium Indigenarum adnumerarunt et citra ullius Taxae Depositionem cooptarunt, Decretale Indigenatus Juramentum coram Inclytis Statibus in proxima Generali Congregatione depositurum; Confidentes Inclyti Domini Status, quod Idem Dominus Vice-Colonellus in futurum quoque pro omni Occasione semet utilem et fidelem Patriae Civem sit exhibiturus.

**Originale in Archivio Regni Croatiae.**

---

## 1753. 5. NOVEMBRIS. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1753. 16. et sequentibus Mensis Novembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Domini Adami de Bathyan Perpetui in Nemeth-Ujvar, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Actualis Camerarij, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, Inclythi Comitatus Castriferrei perpetui Comitis ac praeattactorum Regnorum Officij Banalis Locumtenentis, pro 16. Mensis Novembris et Sequentibus Anni 1753. Diebus, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quintus.

*De restitutione Monasterij Marchensis Graeci Ritus unitis Clementer demandata.*

Justitiam et clementiam, velut proprium Majestati Symbolum, venerabundi agnoscunt Domini Status et Ordines, dum ex Benignissimo Suae Majestatis Sacratissimae Mandato, Vienna 13. Septembris Anno praesente, ad Eosdem in-

viato, pleno Animorum Solatio intellexerunt, Eandem Suam Majestatem Sacratissimam inter caeteras Regales Curas atque Solicitudines, Monasterium Marchense, Anno adhuc 1737 nefando sane et Spolii Speciem manifeste redolente Graeci Ritus non Unitorum ausu scandalose occupatum, fidissima Illustrisimi Domini Comitis Generalis Benevenuti a Petaz Commandam Generalatus Varasdinensis respicientis Opera et Studio reoccupari et Reverendissimo Gabrieli Palkovich, Graeci Ritus Unitorum Episcopo, ac per consequens Sacrae Unioni Apostolico profecto munere et zelo pientissimo, restitui ordinasse. Unde hanc insignem Suae Majestatis Sacratissimae clementiam humillima et perenni Gratiarum Actione Litteratorie prosequendam, et commemoratam Benignissimam Caesareo-Regiam Resolutionem pro perpetuo Caesareo-Regiae Munificentiae Documento ad Seram quoque Posteritatem transmittendo, praesenti Prothocollo inserendam; ita etiam tam Excellentiae Banali, quam et Excellentissimo Domino Comiti Cancellario Aulico Hungarico, velut in praemisso Salutari Opere Zelosissimis Fautoribus et cooperatoribus, demissas Grates agendas, praefatoque Domino Comiti Generali Petazy scribendum decreverunt Domimi Status et Ordines Regni, ut clementissime Commissum realis restitutionis Opus pio et jam testato zelo suo in effectum deducere non gravetur. A quo Domino Comite Generali sub decursu adhue perdurantis Regni Congregationis Responso obtento, ijdem Domini Status et Ordines non sine cordolio et animorum consternatione inaudiverunt, erga Sinistras non Unitorum Informationes, eo directas, quasi Idem Dominus Comes Generalis clementer delatam Sibi Comissionem extendendo, ea etiam, quae uniti ante violentam Eorum per non Unitos factam Expulsionem haud possederunt, a non unitis de facto occupaverit, effectivam praedicti Monasterij Marchensis restitionem unitis fiendam adhucdum remorari; quo in merito humillimum suum ad altefatam Majestatem Sacratissimam summendum recursum statuunt, quatenus eadem Sua Majestas Sacratissima ex amplissimo suo in fidem Orthodoxam zelo atque Pietate, jam factae clementissimae Resolutionis Suae effectuationem Benigne committere, aut si haec statim quoquo modo subsequi non posset, ne quaepiam ad importunas non unitorum Querellas Ipsis favorabilis resolutio emanet, usque dum Domini Status et Ordines sufficienti Inquisitione et alijs adminiculis Iustissimam Sacrae unionis Causam secundare valent, Negotium Idem in Statu moderno Sequestri relinquere Benignissime dignetur; quod Ipsum etiam Suae Excellentiae Banali et Excellentissimo Domino Comiti Cancellario tenerrime commendandum, Illustrissimo porro Domino Comitti Generali respondendum veniet, quod Dominus Vice-Comes Crisiensis Joannes Szaych, cum adjuncto Sibi Comitatus Zagrabiensis Judlium Domino Joanne Zaversky, fine colligendae juxta Deutri puncta Inquisitionis, anteriorem Jurisdictionis temporalis et Spiritualis per unitos ante violentam Eorum Ejectionem praehabitae possessionem codocturae exmissus sit: in mercedem vero Laboris et fatigij Domino Vice-Comiti fl. 3, Domino vero Judlium fl. 2. Diurni, a die motus usque diem reditus ex Cassa Publica solvendi ordinantur. Benignissimae Caesareo-Regiae Resolutionis tenor talis est:

Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque Regina, Archi-Dux Austriae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles, ac Magnifici, item Egregij, et Nobiles, Nec non Prudentes et Circumspecti Fideles Nobis Dilecti. Pro Regali munere

nostro, quod Benigna Dei ordinatione obtinemus, curs Nostras solicite circumspicientes, reliqua inter continuo atque praecipue in votis habuimus; ut intentata in Anno adhuc 1737 nefando sane Graeci Ritus non Unitorum ausu, cumque infractione tranquillitatis Publicae, Marchensis Monasterij per Religiosos Graeci Ritus uniti, inde violenter expulsos, inhabitati Occupatio, Spolii Speciem manifesti redolens, Ipsa dictante Justitia debite vindicetur; Neque in hocce desiderio conquievit animus noster, verum benigne insuper memores Novellaris Legis, Articuli quippe 46 Anni 1741 reoccupationem praedicti Marchensis Monasterii nunc equidem suscipiendam non modo clementer decrevimus, verum etiam Eandem reoccupationem debite non minus, ac pacifice peractam, et in effectum deductam haberi ex informatione tum Eppiscopi Graeci Ritus Unitorum Palkovich, in Partibus illis constituti, cum et Generalis Comitis Petaczy, cui effectuationem Negotii hujus Benigne commisimus, cum peculiari, quod inde sane concepimus, Solatio edocemur. Injuria proinde, quae praedenotata praevia admodum excessuosa Occupatione praelibati Marchensis Monasterij, tum Sacrae unioni, cum et Statui Publico illata extitit effectuata, Deo Auspice ejusdem reoccupatione, aliqua in parte jam reparata existente; supperesse adhucdum Nobis videbatur: Ut per realem antedicti Monasterij pro Parte Graeci Ritus Unitorum Resignatione, coepto Salutari non minus, atque Justitiae consono Operi, Votisque Nostris Suprema Manus imponatur. In hunc itaque finem clementer resolventes, ac Via Consilii Nostri Aulae Bellici disponentes, ut repetitum equidem Marchense Monasterium antelato Graeci Ritus unito Episcopo Palkovich proximius resignetur, pro aliquali porro resarcitione Damnorum Occasione praeattactae in praescripto Anno attentatae Occupationis memorati Marchensis Monasterij, per Ejusdem Incinerationem, et alias etiam illatorum, actu praehabita ibidem pro extructione illius Materialia, velut alioquin ex Fundis ad Idem Monasterium spectantibus, et a tempore praemissae violentae Occupationis per non unitos illegitime possessis, tum procreata, cum comparata retineantur, et in reaedificationem praelibati Monasterij propediem suscipiendam convertantur, reliqua vero cuncta quae Graeci Ritus non uniti Popae, et Homines, qui Idem Monasterium Marchense a tempore praedenotatae Violentae Occupationis incoluerunt, et Fundos eo spectantes possederunt, ad Se pertinere edocuerint, prout et campanae, si quae medio violenti hujusmodi Possessorii tempore comparatae fuerunt, ijsdem Graeci Ritus non unitis pro consumatione exterminij Ipsorum, qua Violentorum Ejusdem Monasterij ex praeintentato cum Laesione publicae tranquillitatis Spolio usurpatorum restituantur; Insuper etiam clementer ordinantes, ut Monasterijs Graeci Ritus non Unitorum in Locis Gomerie et Plasky, in Generalatu Carlostadiensi sitis, quo videlicet Graeci Ritus non uniti Calugeri ad praeattactum Marchense Monasterium introducti transferendi venient, 600 fl. per Aulicam nostram in Ilyricis ordinatam Deputationem, non equidem ea ratione quod id Ipsum promeriti fuissent, verum unice ex Gratia Nostra Caesareo-Regia pendantur.

Hinc praemissa cuncta Fidelitatibus Vestris clementer hisce, eoque fine perscribenda esse duximus: quatenus Sua etiam ex parte ad effectum praemissorum omnium, in quantum necessum fore ijsdem videbitur, concurrere noverint; Disposito caeteroquin eo quoque: Ut penes idem Marchense Monasterium Militares excubiae quoadusque pro tranquillitate publica harum necessitatem exposcere memoratus Generalis Comes Petazy adinvenerit, serventur; solerter

porro praecavebunt Fidelitates Vestrae, ne novis per Graecos non unitos praevia de causa intentandis motibus quaepiam per Incolas praesertim unitos in Districtu Banalis Jurisdictionis degentes ansa praebeatur. In reliquo Gratia et clementia Nostra Caesareo Regia ijsdem Fidelitatibus Vestris Benigne ac Jugiter propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae, die Decima Tertia Mensis Septembris. Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo Tertio.

Maria Theresia m. p.

Comes Leopoldus de Nadasd m. p.

Bernardus Konchek m. p.

*(Locus Sigilli Regii)*

*Indorsationis Tenor:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, Magnificis item, Egregijs, et Nobilibus, nec non Prudentibus, et circumspectis N. N. Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus, et fidelibus nostris Dilectis. Zagrabiae ex Officio.

## Articulus Decimus Quintus.

*Dominus Vice-Colonellus Antonius de Zetvicz, in Indigenam antehac receptus, solito Juramento obstringitur.*

Quoniam Domini Status et Ordines Regni Articulo 32 novissimae Eorundem Congregationis Dominum Antonium de Zetvicz, Suae Majestatis Sacratissimae in Generalatu Carolostadiensi unius Regiminis Pedestris Ordinis Vice-Colonellum, ejusdemque universos Haeredes Masculos, ob specialia Ejusdem anteactis Annis in Regno praestita servitia, et ixinde non vulgaria Sibi comparata merita, in Numerum et coetum Regnorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Nobilium Indigenarum cooptassent et assumpsissent; Ideo idem Dominus Vice-Colonellus in praesenti Dominorum Statuum et Ordinum Generali Congressu solitum Indigenarum deposuit Juramentum.

## Articulus Vigesimus Secnndus.

*De duodecim Nobilium Juvenum Hungarorum et Croatarum in Fundatione Chaoziana, Viennae errecta, accomodatione.*

Maternam profecto curam et solicitudinem Suae Majestatis Sacratissimae, ex Clementissimo Ejusdem de dato Viennae Austriae die 19. decurrentis Mensis Novembris et Anni Emanato Rescripto, in profundissima Animorum subjectione intellexerunt Domini Status et Ordines Regni, quomodo pro eo, quo inter caeteras Haereditarias Provincias et Ditiones suas erga hocce quoque Croatiae Re-

gnum Benigno fertur affectu clementissime resolvere dignata est, quatenus Anno futuro ad fundationem Viennensem sic dictam Chaozianam 12 Juvenes Nobiles Hungari et Croatae, Octavum attingentes, et Undecimum Aetatis Annum haud excedentes, suscipiantur; hujusque Caesareo-Regiae Clementiae participes fieri cupientes, humillimum eatenus in tempore medio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Aulico-Hungarici Cancellarii facere valebunt recursum: pro qua Altissimae Suae Majestatis Sacratissimae Gratia et Clementia in publico lecta, et pleno cordium solatio intellecta, Domini Status et Ordines Regni humillimas easque perennas Gratias Suae Majestati Sacratissimae agendas decernunt.

## Articulus Vigesimus Tertius.

***Relatio de resignatione Petrinensi inarticulatur.***

Illustrissimus Dominus Comes Officij Banalis Locumtenens et Generalis, qua infrasertae Deputationis Praeses, cum assumpto in locum Reverendissimi Domini Lectoris Stephani Pucz, eotum aegrotantis, Reverendissimo Domino Adamo Antonio Chegetek, Custode et Canonico Zagrabiensi, ac Domino Consiliario Joanne Busan, reliquis, in Articulo 6. post Instalationem edito, novissimae Dominorum Statuum et Ordinum Congregationis ordinatis ex parte Regni Deputatis, propter indispositam Eorum Valetudinem non comparentibus, in Publico Gratiose referre dignabatur, quod posteaquam Anno delabente 1753 die vero 20. Mensis Augusti, Petrinae insimul convenissent, eotum Illustrissimus Dominus Comes Benevenutus a Petacz, Sacrae Caesareo-Regiaeque Majestatis Camerarius, Generalis Campi Vigiliarum Praefectus, et Inclyti Generalatus Varasdinensis Vice-Comendans Generalis, tanquam per Excellentissimum et Illustrissimum Dominum Baronem a Kaull, altefatae Suae Majestatis Sacratissimae Generalis Campi Mareschalli Locumtenentem, Consiliarium Actualem Intimum, et praefati Generalatus Varasdinensis Actualem Comendantem, vi Benignissimae Suae Majestatis Sacratissimae Resolutionis Viennae 16. Junij Anno decurrente 1753 emanatae, sufficienter authorisatus, Locum Petrinya Illustrissimo Domino Comiti Locumtenenti, qua Deputationis Praesidi, praefatisque Dominis Deputatis, ac per consequens medio Eorum Inclyto Regno resignasset, Praetitulatus vero Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens Banalis, et Domini Deputati, de receptione Petrinae pro parte Inclyti Regni Domino Comiti Generali Benevenuto a Petaz, ac consequenter Statui Militari Inclyti Generalatus Varasdinensis scriptas extradedissent Reversales, quibus ita praehabitis praememorati Domini Regni Deputati, in conformitate Clementissimae Caesareo-Regiae Dispositionis, mentionatum locum Petrina pro necessitate confiniorum Regni Croatiae Banalium applicandum, Eorundemque confiniorum statui Militari denuo resignassent: salvis tamen Proventibus et Emolumentis ab eodem loco Petrina obvenientibus et obvenire debentibus, pro Cassa praefatorum Regnorum publica, et Eorumdem ulteriori Dispositione, in Conformitate reliquorum confiniorum Banalium remanentibus; Quodve dictus confiniorum Regni Banalium Status Militaris praefatum Locum Petrina de manibus antelatorum Dominorum Regni Deputatorum receperit; Idem Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens, qua Confiniorum Banalium in absentia Suae Excellentiae Banalis constitutus commendans, cum Reserva, respectu Emolumentorum Petrinen-

sium pro Cassa Inclyti Regni reservatorum et admissorum, ex parte Status Militaris ulteriorem, ad suam competentiam formandi Regressum sub Sigillo et Chyrographo suas extradedit Reversales. Quae omnia quaterna Instrumenta ad perpetuam rei notitiam praesenti Prothocollo Domini Status et Ordines inserenda statuunt, confidentes in praetioso Illustrissimi Domini Comitis Locumtenentis erga se affectu, propensione, Ipsaque aequanimitate, quod sicut aliorum confiniorum Emolumenta vi Benigni Diplomatis Regij pro Cassa Regni clementer applacidata sunt; Ita Petrinensia quoque Ejusdem considerationis existentia et alioquin Solutioni Dominorum Militarium Officialium deservitura, pro Cassa Regni eodem modo percipi et tractari non impediet, Statusque Militaris reservato eatenus ad suam competentiam regressui ad conciliandam etiam bonam Harmoniam et conintelligentiam peramplius instituturus non sit.

## Articulus Trigesimus Secundus.

*De Officij Supremi Confiniorum Regni Banalium Militaris Commissarij Restauratione.*

Postquam Illustrissimus Dominus Stephanus Liber Baro Patachich de Zajezda, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Consiliarius, Colonellus et Supremus Confiniorum Regni Banalium Militaris Commissarius, propter occurrentem indispositam Valetudinem suam, aetatemque, tam gravia Itinera et fatigia peramplius sufferre nequeuntem, Officio suo Commissariatus in Publico valedixisset, Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens Banalis praelibatum Illustrissimum Dominum Baronem, tanquam Virum sago et toga conspicuum, et in Se ac Antenatis suis de Augusta Domo Austriaca et Regno optime meritum, pro eodem Commissariatus Officio ultro candidare dignabatur, mentionato autem Domino Barone ulteriorem quoque a candidatione Individui sui exemptionem desiderante, sequentes pro eodem Commissariatus Officio Candidati fuere: ex Comitatensibus, Dominus Josephus Raffay, Comitatus Varasdinensis Ordinarius Vice-Comes, et Dominus Nicolaus Mathias Messich, Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis Notarius; ex Tabularistis vero Dominus Joannes Jurssich, Tabulae Regni Judiciariae Assessor; cum ea tamen per Illustrissimum Dominum Comitem Locumtenentem proposita declaratione, quod quiscunque ex illis Commissariatus Officio admotus fuerit, aliud Publicum per se gestum Officium resignare obligabitur. Qua Conditione intellecta annotati Domini Candidati Idem Officium assumere deprecati sunt, cum inter duo Publica Officia, unum quidem Juridicum, et aliud oeconomicum, nullam incompatibilitatem observarent; quare usque dum circa Eandem Quaestionem a Sua Excellentia Banali gratiosa venerit resolutio, antelatus Dominus Josephus Raffay Titulo provisorio ad mentionatum Commissariatus Officium, Salarium Ejusdem a 1. Mensis Decembris habiturus, surrogatus est. Ut autem Emolumenta Confiniaria conscribi, et juxta punctum Instructionis Commissarialis ad Statum Notitiae devenire possint, Dominus Vice-Comes Georgius Petkovich cum Diurno a die motus usque diem reditus duorum, ex cassa publica solvendo, Domino Commissario adjungitur.

Oiginale in Archivio Regni Croatiae.

## 1754. MENSE MAIO. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis, A. 1754. 27. et sequentibus mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis, Domini Adami junioris de Batthyan perpetui in Nemeth-Ujvar, Sacıatissimae Caesareo-Regiae Majestatis Actualis Camerarij, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, Comitatus Castri Ferrei perpetui Comitis, ac praeatactorum Regnorum Officij Banalis Locumtenentis, pro vigesima septima et sequentibus Mensis May, Anni Millesimi Septingentesimi Quinquagesimi Quarti, Diebus, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Trigesimus Primus.

***De Sancti Joannis Baptistae pro Patrono Regni Constitutione, et de Servilibus operibus tempore festorum haud exceptorum admissione.***

Ex ea, qua jam ab olim et semper in Sanctum Joannem Babtistam Precursorem Christi Domini, in ipso utero Matris sanctiffcatum, et quo non surrexit major, Domini Status et Ordines feruntur pietate et devotione, Eundem pro perpetuo Regni hujusce Protectore et Deffensore constituerunt ellegeruntque, taliterque constituendo et elligendo Festivitatem Ejusdem cum consensu Illustrissimi et Reverendissimi Domini Domini Ordinarii, absque omni servilium Laborum Exercitio honorandam et collendam decreverunt. Caeterum Festa, in quibus audito praevie Sacro Missae Sacrificio Servilibus operibus indultu Pontificio vacare licebit, per suam Competentiam publicabuntur.

### Articulus Trigesimus Quintus.

***De Monasterij Marchensis restitutione ulterius Suae Majestati Sacratissimae supplicandum veniet.***

Post motas nonnullas Quaestiones, quasi occasione Executionis Monasterij Marchensis per Illustrissimum Dominum Comitem Generalem Benvenutum a Petacz praeter et ultra a non Unitis occupaverit; quod item Knezij Episcopi Uniti reductionem desiderantes Suplicem eatenus suum subscribere coacti fuerint, quales nam ad cognoscendam Facti realitatem collectae fuerint Inquisitiones, easdem Dominus Joannes Szaycs, Comitatus Crisiensis Vice-Comes retulit, quas in sub-

ditalis Venerationis cultu Suae Majestatis Sacratissimae repraesentandas Domini Status et Ordines decreverunt. Ex quibus, quod nec praefatus Illustrissimus Dominus Comes praeter et ultra antecedaneum, per Unitos Possessorium, quidpiam alieni occupaverit, nec attacti Knezij ad subscriptionem coacti fuerint, aliaque ad momentum Causae Spectantia uberius Clementissime altefata Sua Majestas Sacratissima intelligere dignabitur. Ideo Eidem Suae Majestati Sacratissimae, quatenus his etiam in Benignam Considerationem assumptis juxta pietissimam clementissimamque Suam Caesareo-Regiam Resolutionem sub dato 13. Septembris 1753 emanatam praemissi Monasterij Marcha violentae occupationis Causam pro ingenito sibi Justitiae zelo finali tandem effectu coronandam suis in locis clementissime demandare dignetur, Supplicandum, Excellentissimis autem Dominis Comitibus Bano, et Cancellario, quatenus finem in praemissum plurimum valorosas vices suas apud Tronum Augustissimae interponere non graventur, nomine publico scribendum veniet.

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1755. MENSE NOVEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1755. 17. et sequentibus mensis Novembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem ex Edicto et sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis, Domini Adami junioris de Batthyan, Perpetui in Nemeth-Ujvar, Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestatis actualis Camerarii, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, Comitatus Castri-Ferrei Perpetui Comitis ac praefatorum Regnorum Officii Banalis Locumtenentis, pro 17. Novembris et sequentibus Decembris Mensium diebus Anni Millesimi Septingentesimi Quinquagesimi Quinti, Zagrabiae, cellebrata congregatione conclusi.

(*Caeteris exmissis*)

### Articulus Decimus.

*De relatis Conferrentiarum in merito Tumultuantium, primum quidem Generalatus Varasdinensis Confiniariorum, dein vero etiam Tractus Trans-Loniensis, et respective Podravani Rusticorum celebratarum Actis.*

Cellebratarum in merito Tumultuantium, primum quidem Generalatus Confiniariorum, dein vero etiam Tractus Trans-Loniensis, et respective Podravani Rusticorum, hoc decurrente Anno, diebus vero 28. Januarij, 14. et 27. Februarij,

23. et 25. Martij, 6. et 9. Aprilis, denique 12. Julij Mensium Conferentiarum Acta per constitutum eorundem modo Provisorio Secretarium Dominis Statibus et Ordinibus relata sunt. Prothocolo conferentiali inserenda.

## Articulus Vigesimus Quintus.

*Ad elaborandam exigendae imposterum Contributionis Normam Deputatio ordinatur.*

Erga benignum Suae Majestatis Sacratissimae de dato 18. Mensis Augusti Anni modo labentis emanatum, deque Norma, secundum quam Contributionales peccuniae sine ullo distincto contribuentium aggravio colligi, et secure ad Cassam Regni administrari, quave item ratione datae de Iisdem Quietantiae tam facili amissioni obnoxiae non sint, elaboranda clementer sonans Mandatum, Status et Ordines hanc e medio sui eum in finem delegerunt Deputationem; Et quidem pro Praeside Illustrissimum Dominum Comitem Petrum Troilum a Sermage, Suae Majestatis Sacratissimae in Confinijs Regni Banalibus Vice-Colonellum, et Tabulae Banalis Assessorem, Dominum Georgium Malenich, Chathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Lectorem, Dominos item Joannem Busan, antelatae Tabulae Banalis Assessorem, Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarium et Supremum Regni Exactorem, Josefum Raffay, altaefatae Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarium, Nicolaum Bedekovich Varasdinensis, Joannem Raics Crisiensis et Georgium Petkovich Zagrabiensis Comitatuum Vicecomites, ac pro Actuario Petrum Spissics, Causarum utriusque Fori Advocatum; Operis laborisque sui relationem in Publico facturos. Quae omnino in publico lecta in eo, ut sublatis ad mentem benignae ordinationis Regiae Schaedalibus Grossis, ipsis, qui Exactori Regni Subalternati sunt, in salarium floreni 40 cedant, modificata est, et Modalitate sequenti applacidata.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivio Regni Croatiae.

---

## 1756. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1756. 6. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Domini Adami junioris de Batthyan perpetui in Nemeth-Uj-Vár, Sacrae Caesareo Regiae Majestatis Actualis Camerarii, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, Comitatus Castri Ferrei perpetui Comitis et

antedictorum Regnorum Officij Banalis Locumtenentis, pro 6. Mensis Aprilis et subsequis diebus Anno 1756, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Sextus.

*De Processu Magiae.*

Erga benignissimum sub dato 26. Martii emanatum Caesareo-Regium Mandatum concluditur: ut in Causis Magistratualibus, ex Crimine Magiae et Veneficii motis, Magistratus legitimi contra ejusmodi malefactores in Gremio Jurisdictionis Suae comprehensos, suo modo et ordine quidem procedant, sententiamque ferant, hanc tamen in executionem nullatenus deducant, verum ante publicationem, cum tota Processus serie Suae Excellentiae Banali, et ejus medio Suae Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestati submittant, ab ulteriori tandem benigna Resolutione Regia praestolaturi. Pro cujus notitia et observatione idem benignissimum Caesareo Regium Mandatum publice dictatum fuit.

### Articulus Decimus Tertius.

*De urbalialis Deputationis relatione.*

Ordinata primum, ad mentem Benigni Mandati Caesareo Regii eatenus emanati, fine elaborandae Interimalis et Stabilis Urbarii Ideae, successive autem in investigatione certarum pecuniarum et rerum, per officiales Montis Claudii indebite, ut coram Regia Comissione exponebatur, perceptarum, atque ideo per suam Majestatem Sacratissimam in benigno suo de dato 8. Novembris Anni praeteriti emanato Mandato restitui comissarum, subsistens Deputatio, eam, quae hic subnectitur, fecit relationem, etiam in publico confirmatam, atque etiam ad Augustum Suae Majestatis Sacratissimae thronum demisse repraesentatam.

Cujus relationis tenor sequens est:

Per articulum 35. Congregationis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regni pro 17. Mensis Novembris et sequentibus Anni praeteriti 1755 diebus celebratae, in negotiis subtus attingendis, considentis principiumque consessus sui pro die 9. Mensis Februarii Anno modo labente sumentis, ac successive per decursum plurium Congressuum laborem suum continuantis Deputationis

### Relatio.

Siquidem Inclyti Domini Status et Ordines 17. Novembris Anni 1755 Zagrabiae congregati, in obsequium benigni Regii de 8. ejusdem Mensis emanati, deque interimali circa praestanda Urbarialia regulatione atque elaborando stabilis Urbarii Systemate, clementer disponentis, et respective in casum,

si quid seu circa Interimale seu vero stabile regulationis opus occureret, id medio Excellentissimi Domini Comitis Bani Suae Majestati Sacratissimae demisse repraesentandum benigne admittentis, atque in homagiali Devotione accepti Mandati, sub praesidio Illustrissimi Domini Comitis Adami de Bathyan Perpetui in Nemet Ujvar, Comitatus Castri ferrei perpetui Comitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestatis Camerarii Consiliarii, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, unius pedestris Regiminis Colonelli proprietarii, duorum item Banalium pedestris, et unius equestris Ordinis Regiminum Generalis commendantis, nec non Excelsi Officii Banalis Locumtenentis, circa observationes interimalis Regulationis ideae occursuras operaturam; ita etiam id, utrum Saevities Dominorum Terrestrium causam plebaeo tumultui dederit? an praeterea Domini Terrestres ad gerendum ius, quae per Comissionem Regiam Zagrabiae operatam disposita sunt, morem sese obstrinxerint, pervestigaturam, et non obstante unius alteriusve Domini Deputati absentia processuram Deputationem ordinassent.

Haec eadem Deputatio ab Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus delato muneri satisfactura, operationes suas a figenda circa interimale Urbarium idea inchoavit. In quo labore siquidem animadvertisset tam ob magnam Situationum, quam et aliorum beneficiorum in patria hac occurentem difformitatem, propter quam singula prope Dominia aliter regi consveverunt, aliquid generalis quoad praestationes subditales aegre statui posse. Hinc speciales et singulorum Districtuum et Dominiorum consvetudines in hujusmodi praestationibus videndas esse censuit, ut accepto ex illis circa singularia et specifica lumine, opus suum directius et facilius procedat.

Quem in finem constitutis coram Deputatione Dominis Judicibus Comitatuum, sequentem scripto comprehensam extradandam esse duxit instructionem et quidem

Primo. Ut antefati Judices et Vice-Judices Nobilium singulos Dominos Terrestres praemoneant, quatenus eorundem Singuli ex saepe memoratae Regiae Comissionis opere Decisiones se tangentes extrahant, ac super his quilibet Dominorum Terrestrium respectu sui reflexiones conficiat, eatenusque pro tempore proxime futuri alterius consessus Deputationalis, ac pro Termino ad id sibi praefigendo, in particulari scripto Deputationi exhibeat.

Secundo. Ut etiam Deputatio informari possit, qualis ab olim in singulo Districtu tam quoad ordinarios, quam extraordinarios Laboratores, aliasque fixas colonicales obligationes sit consvetudo, ubi non habentur rite et legitime confecta Urbaria, Judiciales item Decisiones, aut initae fors hactenus cum subditis conventiones, praemoneantur omnes et singuli Domini Terrestres his tribus formalitatibus Urbariorum non provisi, ut adhibitis eatenus authenticis personis cum interventu subditorum perficiant sibi Urbaria, in serie quorum hospites ordine consequenter ponantur, per separatas vero columnas singulo hospiti exponantur Laboratores sessionales hebdomadatim in prima columna cum animalibus tot, in secunda columna boves tres, in tertia pedestres, uti impressum operi huicce annexum schema remonstrat. Cumque

Tertio. In aliquibus Dominiis aut Dominorum Nobilium Bonis aliqui darentur fixi census sessionales, ac signanter frumenti, pecuniae, caponum, ma-

jalium et reliquorum singulo Anno domino Terrestri ex antiquo usu et consvetudine per subditos administrari debent, hi pariter post seriem Robotae ad distinctas columnas exponantur. Post haec

Quarto. In fine columnarum quilibet Dominorum Terrestrium, post conclusam seriem Robotae et fixorum censuum, modo praevio columnatim exponendorum, in forma appendicis exponat paragraphaliter, quid singuli Domini Terrestris subditi titulo extraordinariorum Laboratorum suo Domino Terrestri ab olim et antiquo praestare obligentur, quales item ultra extraordinariam Laboratorum obligationem alias etiam obligationes et servitia habeant? et quia

Quinto in aliquibus Dominiis ab olim et ex antiqua consvetudine solerent praestare subditi suis Dominis Terrestribus omnis generis frumenti, atque procreationis, vini item et alvearium, nec secus etiam majalium, et reliquorum Decimam, adeoque necessum est, ut haec etiam in forma appendicis sub finem columnarum inter alias obligationes inserantur: Haecque omnia prouti etiam legitime confecta Urbaria, Judiciales praeterea decisiones, in Termino eatenus pro diversitate temporum atque locorum praefigendo, Deputationi exhibeantur.

Sed et occasione eadem, complurimis Dominis Terrestribus id referentibus, quod eorundem subditi suas expositiones coram Comissione Regia factas, partim qualificent, partim revocent; et comperto etiam eo, quod ex illis, qui per ipsam Commissionem Regiam pro confrontatione et corroboratione primaevae expositionis citati sunt, multi non comparuerint, pro clarificatione addenda censebantur adhuc puncta sequentia

Primo. Ut praelibati Judices et Vice-Judices interogent, an aliqui ex comunitate hacce N. N. missi fuerint ad Commissionem Regiam.

Secundo. An singilatim puncta querimoniarum ex scitu et annutu comunitatis processerint? post haec

Tertio. Praemoneant Dominia Dominosque Terrestres de excipiendis gravaminibus, coram Comissione Regia contra se per subditos expositis, quae in domo Regnicolari quotidie ab hora 9. usque ad 12. dictabuntur. Item ut eadem Dominia Dominique Terrestres probis praestationes Rusticorum liquidantibus omni mode se provideant, alioquin in defectu talium probarum ad classem eorum ponendi, qui in sui favorem nihil producentes adeoque ab omni abusu strictissime arcendi specialiter connotabuntur.

Quarto. Observandum etiam habebunt Domini Judlium et Vice-Judlium, ut erga requisitionem Dominorum Terestrium (de qua per eosdem Judlium et Vice-Judlium Domini Terrestres praemonendi erunt), convocatis communitatibus, conficiant scriptum ipsis perlegendum continens praestationes Subditorum, suis Dominis terrestribus pendendas, quod scriptum in facie loci authenticare non oportebit, sed sufficiet, ut in Presentia personae cujusdam Magistratualis denominentur aliqui per communitatem deputandi, hoc scriptum toti Communitati in facie loci perlectum Zagrabiam allaturi, idque Testimonio authentico comprobaturi, quod per Communitatem huc sint missi.

Quinto. Siquidem Domini Magistratuales sufficere non possint in omnibus partibus, signanter in majoribus Dominiis conficere conscriptionem Urba-

rialem, Dominia ipsa Dominique Terrestres poterunt talem Conscriptionem facere, ita tamen, ut in Presentia Fidedignitatis eadem perlegatur, et cum praesentibus subditis confrontetur. Haec demum, uti supra attactum est, per Deputatos Communitatum huc Zagrabiam adferant, et huic Deputationi praesentent.

In quibus modo praevio per Deputationem ordinatis conscriptionibus, cum jam pluribus in locis laborabatur, supervenerat gratiosum Suae Excellentiae Banalis Mandatum, Generalem Regni Congregationem in sextam et sequentes Mensis Aprilis Anni labentis indicens. Cum itaque sub decursu Congregationis ob personarum Magistratualium, ipsorumque Dominorum Terrestrium impedimentum in continuatione praescripti laboris progredi non potuerit, atque etiam in expectatione novi Regii hoc in merito subsecuturi, et succesive de dato 8. Aprilis Anni modo labentis ad Dominos Status et Ordines expediti Mandati versabatur, ideo a Continuatione inchoatarum revidendarumque conscriptionum supersessum fuit: Et dundaxat assumpta est certa per aeconomicos Montis Claudii Officiales exhibita Instantia sub Nro. 1. Domini Joannis Kesser, Incl. Comitatus Cris: Judicis Nobilium Testimonialibus suffulta.

In quibus sub eodem Nro. adnexis Testimonialibus idem Judex recognovit, quod Is ad requisitionem officialium ad conscribendas virtute Dispositionum Deputationis universas praestationes et obligationes in Arcem Montis Claudii die 8. Mensis Martii Anni currentis advenisset, ac pagos sua serie ad eorsum comparendum pro 8. 10. 11. et 12. ejusdem Mensis diebus citasset, et cum ex citatis pro die 9. pagis nemo comparuisset, idem Judex conscenso equo ad eosdem pergere constituerit, dumque foret in procinctu, reperit ad capelam Sti: Georgii in conventiculo ad 100 Montis Claudii Incolas, quos dum adhortabatur, ut Inclytae Deputationis et Dominorum Officialium Mandatis pareant, ac uti citati sunt, seriatim in Arcem adveniant, responderunt: Quod illi ad nullam conscriptionem ituri sint, quia tota communitas insimul citata non esset, quodque dundaxat illis privilegiis, quae Vienna advenerunt, inhaereant, quae nisi sub sigillo Regio obtinuerint, semet Viennam 10 aut 20 e medio sui pro iis mittere velle; Interim tamen ad iteratam ejusdem Judicis admonitionem dixerunt: ipsos die sequenti ex quolibet pago duos in arcem missuros, verum eodem Judice per quadriduum ibidem manente, nemo comparuit, sed indesinenter sua conventicula frequentabant.

Unde iidem Officiales aliquid adversi et insperati metuentes, medio praeattactae Instantiae suae pro tempestive subministrando Brachio apud Illustrissimum Dominum Comitem Locumtenentem et Praesidem institerunt.

Post acceptam Instantiam hancce, secunda statim die Incolae Montis Claudii catervatim, numero circiter 300 Zagrabiam advenerunt, in quorum medio e gremio Deputationis Dominus Comes Petkovich exmissus fuit, quaenam sit Causa tam copiosi eorundem adventus, ac cur citati ad Arcem Dominalem non comparuerint? quaesiturus.

Qui homines (uti ex peracto et relato per eundem Dominum Comitem examine, in hoc opere sub Nro. 2. reperibili, apparet) reposuerunt, se idcirco tanto numero comparuisse, quia Domini Officiales Dominales ipsis objicerent, quod non omnes, verum aliqui duntaxat ex ipsis Coriphaei Decisionem Suae Majestatis quaerant, quod ut constet tali numero comparuerunt, desiderantes omnes penes eandem Decisionem vivere et sua Servitia obire.

Praeterea quod ipsis objiciant Domini Officiales, quod illi sint Rebelles, ea proinde etiam occasione dictam suae Majestatis decisionem extradari omnes expetebant.

Ad punctum secundum, cur videlicet in Arcem non advenerint? responderunt, quod tempore hujusmodi Insinuationis ex ipsis ligati quidam, ac verberati fuerint; unde reliqui exemplo eorundem deterriti sunt; sed quod etiam secundum factum Domino Judlium Kesser ad Capelam S. Georgii promissum nomine suo, medio Nicolai Vlahovich Dominis Officialibus nunciaverint, quod si tota Communitas, aut pro parte ejusdem 10 aut 15 in Arcem admittantur, comparere velint, verum idem Vlahovich Arcem ingredi a vigile permissus non fuerit. Caeterum Jure jurando omnes asseverabant, nunquam tumultuandi animo conventicula fuisse per eos habita.

Quo examine praesenti Deputationi relato existente, nonnulli ex ipsis reexaminati fuere, ac inter reliquos mox fatus Vlahovich, qui coram Domino Vice-Comite fassus fuerat, se missum ad arcem ivisse, coram Deputatione se citatum eo perexisse, dixit, demum tamen erga ulteriorem interogationem clarificavit, semet quidem per officiales in merito certae quaerimoniae citatum, sed et eadem occasione a Communitate ad Arcem exmissum quoque fuisse.

His actis, e Comunitate eorundem quidam in praesentiam deputationis constituti fuerant, iisdemque super Comissionis decisionibus Suae Majestatis resolutionem ex proxima Regni Congregatione extradandam, ac eandem in facie Dominii praesentibus officialibus per unum Judicem Nobilium ipsis perlegendam fore, declaratum erat; idcirco, ut semet in pace contineant, et deinceps abstineant a conventiculis iis, severe impositum exstiterat. Pagis autem Colonicalibus Strusecz, Podborje, Raichevec, Kis et Ludinje, Habraneczianae, quod ultro in statu Colonicali reliquantur, dictum fuit.

Tandem sub decursu modernae Regni Congregationis transmissa suae Majestatis Sacratissimae eosdem Montis Claudii incolas concernens benigna regulatio, per Joannem Kesser, Incl. Comitatus Crisiensis Judlium, ex latino in Illiricum idioma interpretata, subscripta, ac in praesentia Spectabilis Domini Adami Najsich, eotum Magistri Prothonotarii, jam vero Vice-Bani, juxta Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Dispositionem, iisdem oblata fuerat. Eodem vero Judice referente, quod dicti Incolae in acceptatione dictae regulationis semet renitentes remonstraverint, Illustrissimus Dominus Comes locumtenens habita reflexione illa, quod praesentes eotum Incolae suapte et non positive a Communitatibus exmissi comparuerint, semet in publico Regni consessu declaravit, quod a singulo ejusdem Montis Claudii Pago Knezios et Spanos pro levanda toties fata regulatione in conspectum praesentis Deputationis citaturus sit: qui taliter citati, postquam non uti demandatum fuerat, verum denuo numero copioso, inter quos etiam aliqui Knezii et Spani erant, comparuissent, ex illis Knezii, Spani, imo ex aliis incolis Moslaviensibus quidam in faciem Deputationis fuere vocati, iisdemque praeatacta benigna suae Majestatis Sacratissimae regulatio identidem in Illirico idiomate explanata, proque notitia Obligationum, futuraque Directione etiam oblata exstiterat; ast illi reponentes, quod regulationis Regiae notitiam jam praevie habeant, sed nec alioquin legere scirent, dictam regulationem neutiquam acceptarunt.

Quod ipsum Domini Status et Ordines ex praevia oretenus facta Illustrissimi Domini Praesidis relatione inteligentes, suae Majestati repraesentarunt. Su-

per quo sua Majestas Sacratissima benignam de modo publicandarum Regulationum interimalium sonantem, tam hos Montis Claudii quam reliquos Regni incolas comprehendentem misit Resolutionem. In cujus effectuatione Domini Najsich et Jursich pro tenore dicti Mandati Regii actu operantur.

Caeterum intuitu procurandi effectus reliquorum punctorum, in praeinsinuato Benigno Mandato Regio de 8. Octobris contentorum, Illustrissimus Dominus Comes Locumtenens et Praeses, capta occasione illa, quod Officiales Montis Claudii in eodem Mandato particulariter attacti, prout et ipsi Montis Claudii Incolae, quos merita intus attacta concernerent, frequenter in praesentia Deputationis comparuerint, disposuit eadem seriatim assumenda ac in claritatem deducenda.

## Articulus Quadragesimus Septimus.

*Articuli 1. et 5. Anni 1752 Congregationis pro 19. Decembris indictae renovantur.*

Non sine justo ressensu experti Domini Status et Ordines, quod quidam Dominorum Terrestrium Magnatum aeque ac Nobilium, imo nonnulli quoque e Comitatensibus Officialibus a frequentandis publicis Regni Congregationibus ibi demque promovendo unitis viribus Summo Servitio Regio ac bono Patriae publico frequentius absentare se consveverint, unanimibus votis concluserunt: ut renovato Anni 1752 pro 19. Decembris indictae Congregationis Articulo primo et quinto, tam ab iis, qui Congregationes Regni frequentare posthac intermiserint, quam ab illis, qui sine justa et praeviae legitimanda causa ab Installatione Suae Excellentiae Banalis subtrahere se volent, poena 100 florenorum hungaricalium irremissibiliter toties quoties desumatur.

## Articulus Sexagesimus Primus.

*De propositione Successoris Bani Suae Excellentiae Domino Comiti emerito Bano delata.*

Antiquissimo atque hactenus in quibusvis vacantiae Banatus casibus observato usui insistentes Domini Status et Ordines, in moderna quoque Officii Banalis per Suae Excellentiae Domini Comitis Mareschalli Caroli de Battyan resignationem enata vacantia solitam successoris Bani commendationem intermittendam non putarunt Domini Status et Ordines; eandem tamen in aliqualem gratitudinis contestationem praefatae suae Excellentiae scriptis eo fine Litteris ita detulerunt, ut quem Sua Excellentia judicaverit, eum nomine Dominorum Statuum et Ordinum Suae Majestati Sacratissimae demisse commendare non dedignetur.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1757. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis SS. et OO. Regni Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, A. 1757 18. et sequentibus mensis Decembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinium Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub praesidio Excellentissimi Illustrissimi et Reverendissimi Domini Francisci Thauszy, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. V. M. de Topuszka, Comitatus de Berzenceze Supremi ac perpetui Comitis, nec non Sacratissimarum Caesareo Regiarum Majestatum Actualis Intimi Consiliarii, ac praeattactorum Regnorum Officii Banalis Locumtentis, pro 18. et subsequis diebus Mensis Decembris Anni 1757, Zagrabiae in Arce Episcopali Celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De Quatuor Borussicis Vexillis a Sua Majestate missis.*

Publicatis more solito credentionalibus, ut eo faustiore auspicio praesentibus Comitiis proluderetur, lectum erat Benignissimum Suae Majestatis Caesareo Regiae de datto Viennae Austriae die 24. Mensis Novembris Anni labentis Suprascripti ad Suam Excellentiam Locumtenentialem in eo Clementer emanatum Mandatum, qualiter ad maternum, quem erga fidelem Croatarum gentem animo fovere dignatur, affectum, hac quoque occasione, qua Deo auspice sub ductu Spectabilis ac Magnifici Comitis Francisci de Nadasd, Regnorum horum Bani, pari ejusdem Sagacitate, Fortudineque, ac Bellica etiam Croatarum ibidem pugnantium virtute praesidium Schveidnicz ocupatum est, testatum reddendum, quatvor hosti erepta vexilla fine eo clementer transmittere sit dignata altefata Sua Majestas Sacratissima, ut unum Zagrabiae in Chathedrali, aliud vero Varasdini in Parochiali Ecclesia asservetur, residua vero duo quo congruum visum fuerit adpendenda distribuantur. Peculiare hoc Clementiae Caesareo-Regiae Argumentum, quemadmodum tenerrima cum consolatione profundissimaque in subjectione acceperunt Domini Status et Ordines, ita homagiales altefatae Suae Majestati agendas grates, ad perpetuam vero tantae benignitatis memoriam antelatum Clementissimum mandatum prothocollo inserendum decreverunt, collatisque cum Sua Excellentia Locumtenentiali consiliis unum e residuis duobus vexillis in Domo Regni appendendum, alterum ad Confinia Banalia mittendum destinarunt, ut habeat Status uterque et Insigne Clementiae Caesareo-Regiae monumentum, et illustre fidelitatis praemium, et perenne pro sera etiam posteritate virtutis incitamentum. Quia vero uti gloriae in gentem hanc redundantis, ita et antelatae Caesareo-Regiae Benignitatis Authorem Excellentissimum ac Illustrissimum Dominum Comitem Banum suum, velut cujus eximia rei militaris peritia incredibilique fortitudine ac constantia iteratas hoc Bello de hoste reportatas victorias probe norunt, venerarentur Domini Status et Ordines: ideo de peculiari hac Suae Excellentiae gloriae occasione

gratulatorias, de parta autem genti huic, glorioso Suae Excellentiae gubernio subjacenti, laude honoreque gratiarum actorias scribendas esse Litteras determinarunt antelati Domini Status et Ordines Antefati autem Benigni mandati tenor sequitur in haec verba:

Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix, Hungariae, Germaniae, Bohemiae, Croatiae, Sclavoniaeque Regina, Archi-Dux Austriae etc.

Reverende, Fidelis nobis sincere dilecte. Ut maternum, quem erga fidelem nobis Croatarum gentem animo fovemus affectum, hac quoque occasione, qua Deo auspice sub ductu eorundem Bani, Spectabilis ac Magnifici Comitis Francisci de Nadasd, pari ejusdem sagacitate et fortitudine, ac Bellica etiam Croatarum ibidem pugnantium virtute Schveidniczium est occupatum, testatum reddamus, quatuor hosti errepta Bellica vexilla fidelitati vestrae fine eo clementer transmittenda esse duximus, quatenus unum Zagrabiae in Chatedrali, aliud vero Varasdini in Parochiali Ecclesia asservetur, residua vero duo quo fidelitas vestra magis congruum existimaverit, appendenda distribuantur. Cui in reliquo gratia et clementia nostra Caesareo-Regia benigne ac jugiter propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate nostra Vienna Austriae, die vigesima quarta mensis Novembris, Anno Domini Millesimo Septingentesimo Quinquagesimo septimo.

Maria Theresia m. p.

*(Locus Sigilli Regii)*

Comes Leopoldus de Nadasd m. p.

Bernardus Konchek m. p.

*Intitulationis tenor sequitur:*

Reverendo Francisco Thauszy, Episcopo Zagrabiensi, Abbati B. V. M. de Thopuszka, Perpetuo Comiti de Berzencze et Consiliario Nostro actuali intimo, nec non Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Banali Locumtenenti, Fideli Nobis sincero Dilecto. Zagrabiae ex officio.

## Articulus Nonus.

*De elaborata Dicae et Impositionis Regni repartitione.*

Anno praesenti jam ad finem ita vergente, ut propediem etiam exspiraturus sit, ad elaborandam pro eodem Anno Dicae et impositionis Regni repartitionem ordinati sunt: Dominus Magister Prothonotarius et Dominus Regni Exactor; quorum opus in publico relatum atque ea cum particularitate adprobatum est, ut ad mentem Articuli 25. Congregationis Anni 1755. in 17. Novembris indictae iis, qui Domino Regni Exactori subalternati sunt, in Salarium floreni 40 ex

Cassa Regni solvendi cedant, praeterea vero Domini Conferentiarum Secretarii Salarium, non multis abhinc Annis ad minorem Summam reductum, ad pristinum antiquissimumque Statum flor. nempe 125 reponantur. Antelata autem repartitio sequitur hoc modo.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1758. MENSE FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1758. 17. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapiano-Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Equitatus, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Alberegalensis vero Supremi Comitis, pro die 17. et subsequis Mensis Februarii Anni 1758, Zagrabiae in Arce Episcopali celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De Statutione Tyronum Suae Majestati Sacratissimae oblata.*

Publicatis more solito Credentionalibus, post affectuosam, a Sua Excellentia Banali erga Dominos Status et Ordines, de hac eosdem feliciter revidendi occasione factam gratulationem, reciproceque ex parte Dominorum Statuum et Ordinum de tam auspicato unaque glorioso Suae Excellentiae Banalis in Patriam hanc reditu, ac in medium eorundem generaliter congregatorum adventu, declaratam intimam consolationem, gratiose simul ac nervose proponere dignabatur antefata sua Excellentia Banalis, in tantum discrimen per postremum ad Leithen in Silesia cum Rege Borussiae habitum conflictum Arma Augustissimae conjecta esse, ut sua Excellentia velut oculatus tam tristis eventus testis fateri debeat, vix unquam ante Aegrius substitisse Exercitum Caesareo Regium. Periclitari ex eo tempore haereditarias Suae Majestatis Sacratissimae Provincias, ipsisque adeo Sacrae Regni Hungariae Coronae Ditionibus, Cardinalibusque Privilegiis, Juribus, Immunitatibus et facultatibus supremum imminere discrimen. Dominorum proinde Statuum et Ordinum homagialem in Augustissimam devotionem, tenerrimumque in Patriam amorem requirere, ut imminens isthoc Suae Majestatis Sacratissimae Provinciis malum omni conatu praevertatur; et quia Exercitus Caesareo Regius

per praefatam fatalem pugnam nimium quantum extenuatus, ac in specie Regimina etiam pedestria Hungarica magnopere diminuta comperirentur, oportunissimum fore, si ad explendum ejusmodi Regiminum defectum Tyrones pro viribus suis statuere ac Suae Majestati Sacratissimae offerre, hocque modo clementiam Caesareo Regiam novo obsequio demereri studerent Domini Status et Ordines. Qua Suae Excellentiae Banalis propositione intellecta, etsi satis secum reputarunt Domini Status et Ordines, Nationem hanc esse confiniariam, adeoque ex Instituto suo proprium domi Militem alere, non alia Regimina explere debere, vires proinde Patriae hujus nimium exhaustum iri, si praeter hactenus suppeditatam, ac mox iterum profecturam Confiniariam aeque ac Banderialem notabilem sane militiam, insuper Tyronum quoque statutione, adeoque duplici, et militandi nempe et Tyrones statuendi onere gravaretur; vicit tamen Dominorum Statuum et Ordinum mentes gravissima Suae Majestatis Sacratissimae necessitas, imminens Haereditariis altefatae Suae Majestatis Provinciis, adeoque Patriae etiam huic periculum, praeprimis vero avita intemerataque, in quibusvis gravissimis circumstantiis promptissime semper contestata Dominorum Statuum et Ordinum erga Reges suos fides ac fidelitas, hisque de Causis Comuni atque unanimi consensu determinatum est, ut ad complementandum Hungaricorum Pedestris Ordinis Regiminum Statum Tyrones Numero 1403, inclusis etiam partibus maritimis, pro hac duntaxat vice ac sine ulla exinde nefors formanda consequentia, sponte ac benevole offerantur, a Sua Majestate Sacratissima vestitu, armis, aliisque militaribus requisitis benigne providendi, ita tamen, ut hoc nomine Dominis Terrestribus nihil praestationum aut laboratorum colonicalium decedat. Quod si vero quispiam in statutione ejusmodi Tyronum refractarium, praeter spem, se exhiberet, ut Vice-Comes Comitatus Authoritatem, ex ejusmodi contumacis subditis idoneum capiendi et statuendi habeat, Ordinatum est.

## Articulus Secundus.

*Ad elaborandam Repartitionem Deputatio ordinatur.*

Ad elaborandam porro ejusmodi statuendorum Tyronum repartitionem, facilitandamque statutionis modalitatem, sequens sub Praesidio Suae Excellentiae Banalis Ordinata est Deputatio, opus suum in publico relatura, nimirum Excellentissimus Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, Illustrissimus Dominus Comes Generalis Josephus Draskovich, Reverendissimus Dominus Georgius Malenich, Lector Venerabilis Capituli Zagrabiensis, Dominus Regni Vice-Banus, Dominus Protho-Notarius, Dominus Supremus Regni Exactor, Dominus Consiliarius Josephus Raffay, Dominus Lucas Novoszel, Zagrabiensis, Dominus Nicolaus Bedekovich, Varasdinensis, Dominus Antonius Jankovich, Crisiensis Comitatuum Ordinarii Vice-Comites, et Dominus Ladislaus Szalle, pro actuario vero Dominus Nicolaus Skerlecz, Conferentiarum Regni Secretarius, cujusmodi Deputationis opere in publico consessu relato, idem adprobatum est, tenore sequenti.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1758. MENSE AUGUSTO. VARASDINI.

*Articulus Generalis, Anno 1758, 28. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Confiniorum Colapiano-Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Equitatus, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareae Regiaeque Majestatis Actualis Intimi Consiliarii, Comitatuum Comaromiensis perpetui, Alberegalensis vero Supremi Comitis, pro die 28. et subsequis Mensis Augusti Anni 1758, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*Acta Septem Conferentiarum adprobantur.*

Relatis Septem Conferentiarum, ab ultima generali Regni Congregatione celebratarum, ac 1. quidem 24. Februarii Zagrabiae sub praesidio Suae Excellentiae Locumtenentialis, in merito praestandarum per Bona etiam Maritima Tyronum; 2. 14. Februarii Zagrabiae praesidente aeque sua Excellentia Locumtenentiali, in merito finalis sponsionum et medelarum Complanationis; 3. 12. Martii Zagrabiae praesidente Excellentissimo Domino Locumtenente, Banali in merito obstruendae fluvii Czirkvenschak rupturae; 4. 20. Martii Zagrabiae sub praesidio Suae Excellentiae Locumtenentialis, intuitu fiendae per Dominos Regni Ablegatos relationis; 5. sub praesidio suae Excellentiae Banalis Varasdini 7. Aprilis; 6. Zagrabiae sub praesidio Suae Excellentiae Locumtenentialis in merito reparandae Savi rupturae; 7. demum praeside Sua Excellentia Locumtenentiali Zagrabiae 1. Martii, in merito providendorum Neo-Statutorum Tyronum, habitarum actis, eadem in publico adprobata atque applacidata sunt.

### Articulus Sextus.

*De Regulatione antelati Officii Commissarialis.*

Quoniam Dominis Statibus et Ordinibus e re visum esset, ne officium Militaris Regni Comissarii ad dies vitae propagetur, ideo determinatum est, ut electi modo praevio Comissarii officium non nisi ad triennium duret, singulis autem Annis rationes suas de universis emolumentis Confiniariis suo modo praesentare et reddere teneatur, nonnisi praesentatis illis salarium habiturus; caeterum Instructionem in publico modificatam et ad modernum Statum accomodatam,

recipiendaque a praedecessore Comisario acta Comissarialia a Domino Magistro Prothonotario neo electus Dominus Comissarius percipiet. Antelatae porro modificatae Instructionis tenor sequitur hoc modo.

Instructio

Supremi in Confiniis Regni Banalibus Comissarii, in Generali Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Dominorum Statuum et Ordinum, pro 28. et sequentibus Mensis Augusti Anni 1758 diebus, Varasdini, celebrata Congregatione modificata.

1. Dominus Comissarius Regni Militaris pro inactandis Officii sui negotiis, confecto Prothocollo, de exacta fidelique Officii sui administratione, ex hujusce instructionis meritis depromendo Juramento obstringendus, finita mox praesenti Congregatioue quo citius iter suum ad praememorata Confinia diriget.

2. Infrascriptorum et aliorum quorumvis, de benignitate et clementia Regia in subsidium fundi Contributionalis pro Cassa publica, consequenter in succursum exolutionis militaris in Confiniis emolumentorum quantitatem, qualitatem, incassandique, aut exarendandi, et citra Confiniorum agravium augendi modalitatem ex conscriptione eatenus jam facta depromet, ac incassanda incassabit.

3. Pro exolvendis militarium stipendiis, et ex universis emolumentis Confiniariis percipiendis, ac quocunque modo, et undecunque ad manus suas deveniendis, Cassam Regni respicientibus peccuniis, Bano et Regno rationes, prout et super integrali officii sui administratione relationes de Anno in Annum daturus, universas per se fiendas perceptiones contraquietantiis, contractibus arendatitiis, ac fide dignis recognitionibus legitimabit.

4. Siquidem gravi et summe nocivo hactenus in Confiniis practicato abusu, pro tutiori patriae a naturalis hostis irruptionibus defensione faciliorique confiniorum subsistentia summe necessariae in denotatis confiniis summe devastatae reperirentur Sylvae, Idcirco bonae memoriae Excellentissimus et Illustrissimus Dominus Comes olim Josephus Eszterhazy Banus universa hosti eo contigua in mediae horae spatio, ac in pluribus passim per confinia locis Terrena in iteratam terrarum succrescentiam inculta relinqui et custodiri praecepisset: ideo Dominus Comissarius in suo ad confinia accessu qualiter praedenotatae Eszterhazyanae dispositioni satisfactum? ubi item, ac quantum pro ejusmodi Sylvarum succrescentia designari posset fundate, praesentibus Dominis Officialibus, qui commodius haberi poterunt, investigato, relationem cum opinione Suae Excellentiae Banali Dominisque Statibus et Ordinibus facturus. In quolibet knezistu duos, aut ubi necessitas expostulaverit plures pro custodia Sylvarum deliget, Domino talis Regiminis Colonello, an non circa tale vel talia subjecta aliquam habeat considerationem praeviae notitiae dabit. Qui Sylvani prout et knezij Domini Comissarii dispositionibus in eo et aliis oeconomicis obtemperaturi, ut tanto exactius comisso munio satisfaciant, ab omnibus caeteroquin servitiis liberi, ejusmodi deputanda, a pascuationibus animalium et succisionibus virgultarum prorsus interdicta loca, ac extantes etiamnum Sylvas solerter exacte-

que custodient, et ne quomodolibet arborum exsicationes patientur, praecavebunt, patratos vero excessus pro providendo satisfactionis remedio Domino Comissario relaturi.

5. Confiniarii autem usum communium Sylvarum prout hactenus, ita deinceps quoque in propriis Confinii Sylvis habituri, pro foco quidem seu lignatione primo decussas et humi jacentes, dein aridas ac tandem infrugiferas, idque in locis per Dominum Comissarium permutative designandis; ad extruenda vero aedificia necessarias non secus, quam necessitate instantis Confiniarii per suum Capitaneum, vel eo absente per alium Commando Compagniae habiturum Officialem et knezium loci recognita, Dominus Comissarius medio per se exmittendi, ferreo ad id confecto sigillo designandas arbores succiendere libere indulgebit, succisas autem ante eorundem, quos solus Comissarius ordinaverit, an recte vel praeter designatas alias sive plures decussissent, inspectionem evehere non audebunt; succisio autem earundem arborum non nisi semel, idque tempore hyemali fieri et admitti poterit, tum ob hoc, quod eotum succisa robora sint durabiliora, cum etiam ex eo, quod eadem succisio non ita prout aestivali tempore Sylvis sit nociva.

6. Tempore glandinationis in propriorum Confiniorum Sylvis more jam recepto a singulo capite majoris, medium annum excedentis majalis, indiscriminatim grossum unum, ad aliorum vero Confiniorum Sylvas impulsuri limitandam per Dominum Comissarium taxam ad instar extraneorum persolvent. Quod idem de Officialium praecise Confiniariorum nativorum allodialibus, sive domi enutritis, non autem coemptis majalibus intellectum esto; alioquin tam iidem a coemptis, quam reliqui Militares in confiniis Officiales a suis ubilibet ad glandines impellendis taxam per Dominum Commissarium imponendam effective persolvent. Nulli autem Majales extra, aut ante tempus per Comissarium admissum (quod ultra solitum differi non debet), et absque extradanda Schaeda, ultraque revelandum Capitum Numerum, sub contrabandi ipso facto incursu ad glandines impellere licitum erit; et ubi tam in hocce, quam et in aliis casibus emerserint contrabanda, et pars eatenus damnificata lamentaretur, tunc ejusmodi contrabanda judicialiter erit revidenda.

7. Ad praecavendam exinde etiam provenientem praedenotatarum Sylvarum ruinam, amodo ex nullis prorsus Confinii Sylvis aliorsum, extra videlicet Jurisdictionem Confiniariam robora nec per ipsum Comissarium nec alium ullum evehenda extradari poterunt; erigenda vero, prout et actualia priori attrito tecto in Confiniis aedificia, praeter Domos residentionales, Confiniarii stramine Regnicolaris plebis more contegent. Cui circa Sylvas et glandinationem dispositioni commendans quoque Dubiczensis semet accomodandum habebit. Interim Confinia in casu necessitatis se invicem juvabunt, pro pontibus, vigiliarum speculis seu Chardakis, Dominorum Officialium habitationibus, omnibus denique comunibus aedificiis et reparationibus, sine distinctione ex cujuscunque Confinii Sylvis necessariae arbores libere accipi poterunt, cum praescitu tamen et assignatione Commissariali, in Sylvis vero Dubiczensibus commendantis praesidii loci ejusdem.

8. Licet Divisiones simpliciter non essent denegandae, nihilominus tamen eveniret persaepe, quod in una debili sessione complures personae existerent, ortisque inter easdem dissensionibus et simultatibus mos divisionem urgerent, qua interventa praeterquam quod plura aedificia errigere debeant, perindeque

sumptibus gravarentur, in exigua terrae portione subsistere nequeuntes successive sive aliorsum dilabuntur, sive pauperes et egeni adeo redderentur, quod servitium rite peragere sint incapaces; Hinc in tali casu, denegata divisione, restabit investigandum, quis conturbator, et causa hujus sit, talisque Conturbator Judicio mediante puniendus et coercendus erit. Attamen ubi sufficiens pro ineunda Divisione aderit Terrenum, petita et desiderata Divisio commode fieri et peragi valebit. Pari quoque modalitate, si post peractam Divisionem iterum se unire voluerint, id non licebit absque Banali vel Locumtenentiali indultu et licentia. Bos autem Divisionalis in natura sivc aequivalenti pretio Domino Comissario, cui Knezij insinuabunt Divisionem, erit assignandus. Ubi vero in facto Divisionis inter Partes Divisionales aliqua emerserit difficultas, ac in collatione Fiscalitatum circa prioritatem seu potioritatem quaestio orta fuerit, in utroque Casu Negotium judicialiter definiendum et decernendum erit.

9. Incognitas, et post factam eatenus Inhibitionem Collatas Fiscalitates idem Dominus Comissarius una cum Domino Regiminis illius Auditore investigabit, et tam has, quam successive intervenientes Judicialiter pro talibus cognoscendas revidebit; a quorum collatione tantisper supersedendum erit, donec Dominis Officialibus de loco habitationis et hortis provisum fuerit; sed nec expost venditio plus offerenti fieri poterit, verum praevia ubi opus fuerit oculata inspectione, erga unius floreni a jugere depositionem fiscalitas danda erit, ut tamen, pro augendo servitio, non vicinis terris provisis sufficientibus, sed iisdem destitutis conferantur, nisi forte tam exigua esset sessio, quod in ea nullus servitia praestiturus illocari posset, tunc tali in Casu vicinis, qui minus de terris haberent, distribui poterit, sed et in eo Condivisionalium caeteris paribus ratio habenda erit. E contra ubi intervenerit tam vasti Terreni Fiscalitas, quod duo vel etiam plures Belligerentes hospites commode subsistere possint, tunc pro capacitate Terreni eadem fiat illocatio. Quas Fiscalitates Dominus Comissarius cum opinione sua Suae Excellentiae Banali refere fine Collatoriarum, sive per eandem Suam Excellentiam, sive eatenus Authorisandum, erga moderatam Cancellariae Taxam, a floreno quippe grossos duos computando, desuper extradandarum. Res autem Mobiles juxta ubique observatam licitationem distrahantur et in peccuniam convertantur. Et vel ideo Domini Colonelli, aut alii in Commando pro tempore in suis stationibus existentes Officiales, deficientium, sive tandem domestici, sive Advenae Saeculares, aut Schismatici Popae fuerint, in continenti substantiam obsigillari, ac medio Domini Auditoris Regiminis inventari facient; quae Inventatio sine mora Domino Comissario communicanda erit; quo praesente, aut alio suo homine, Auditor substantiam distrahet, ac deducto aere alieno Comissarius ex distractis perceptas pecunias Cassae publicae inferre obligabitur. Terrae vero arabiles hactenus per Dominos Commendantes, Vice-Commendantes, aut Vajvodas possessae non vendantur, seu alii conferantur, verum in foenilia, in quantum pro Iisdem idoneae reperirentur, convertantur, pro usu Dominorum Officialium adinstar aliorum foenilium actu existentium deservitura. Circa porro Inventationem Auditorialem illud observandum erit, ut tantum in rebus post fata demortui in confiniis reperibilibus fiat, nullatenus vero ad res sive Militares, sive alias et bona in Regno habita extendatur. Res autem tales in confiniis post fata excedentis, et legitimos suos successores habentis reperibiles, et per Dominum auditorem legitime inventandae, una cum Litteris et litteralibus documentis, ibidem

fors reperiendis, absque omni pro se a Litteralibus documentis et contentis in Iisdem Summis desumenda taxa, legitimis demortui successoribus sine deffectu consignandae erunt.

10. Cum praecipua inter confiniaria emolumenta praehabitum per trimestre Junium utpote, Julium et Augustum, in Confinio vero Dubiczensi per quadrimestre, Jus educilli commendantale merito reputari posset, ideo non obstante contractu, in Articulo 44. Congregationis Anno 1755. die 17. et subsequis Mensis Novembris diebus celebrata mentionato, pro ejusdem ad rationem Cassae publicae exactissima administratione solertem Dominus Comissarius impendet curam; et idcirco Kostaniczensi murato, ac aliis Commendantibus similibus Cellariis pro Regno conversis, eo, aut ad alia ordinanda loca confiniarii cujuslibet confinii vasa vini octodecim usitato more promovere et inducere, pro immunitando item gratuito Educillatore consvetos Sexerios 90 annuatim pendere, ac erga trium grossorum ab una urna, 40 okas faciente, receptam taxam per memoratum trimestre et respective quadrimestre educillare in exarendationis etiam circumstantia deinceps quoque obligabuntur, nemoque Officialium aut confiniariorum interea, sub cassae publicae indemnisationis aut contrabanti poena, quovis praetextu occassione formandi eatenus nefors campamenti educillare ausit.

11. Inter pro educilli arendatione competente(s) caeteris paribus potiores Kneziatus sive Communitates aliique extranei Arendatores, quivis in proprio Confinio, privati etiam campamenti tempore, occasione vero generalis penes sui confinii compagnias, pretio juxta qualitatem vini, ultra tamen duplum in Regno currentis ad Summum haud extendibili, educillabunt, reliquis etiam Mensibus tam praemissorum campamentorum occasione quam secus cum reliquis confiniariis liberum educillum habituri; Dominis tamen militaribus officialibus pro praecavendo confiniariorum facile eviniente aggravio eadem educilla exarendari non poterunt.

12. Praefatus Dominus Comissarius actualiter existentium molarum Statum, ac pro novarum erectione publicae utilitati et confiniorum commoditati idoneas localitates, ubi quibusve sumptibus institui possent, investigaturus, Dominis Statibus et Ordinibus super eo relationem faciet, et ubi necessarium foret, reparari curando, proventus molares in Arendas elocet, aut molitores ex ineunda cum eisdem conventione assumat.

13. Teloniorum item et Naulorum exacta investigatione et conscriptione instituta, ac de augendis, citra tamen eveniens aggravium, proventibus disquisita modalitate eosdem quo meliori modo pariter in Arendam elocabit, aut medio per se constituendorum, juxta pactandam cum Iisdem omni meliori modo laboris mercedem, incassari procurabit.

14. Census quoque a Turcicarum et extranearum mercium depositorio, Animalibusque ex Turcia impellendis, provenientes, medio Teloniatorum incasset, vel eisdem inarendet.

15. Lingvas vero, vel duas libras cum quartali Carnis, pro Macellorum regali praestari consvetas, Laniones in arendam assummant, vel in aequivalenti parato Aere exolvant.

16. Ut porro in Jeszenovicensi Confinio piscatura in Ropo, actu per Confinium Gradiskense impedita, reponi et restaurari valeat, de eo, ac emolumento exinde ac aliis confiniorum piscationibus procurando, et ad praestandum a ve-

natione Anatum certum censum extraneis venatoribus perducendis antelatus Dominus Comissarius providere non intermittet.

17. Quoniam ex supradeductorum confiniariorum emolumentorum Cassam Regni publicam pro exolvendis militarium Officialium Stipendiis concernentium diminutione fundi contributionalis necessario sequeretur defectus, propterea pro compescendis denotatae Cassae defraudationibus, tempore prohibito educillaturos, et ante admissum tempus per Commissarium, absque Schaeda, aut ultra revelatum Capitum numerum Majales ad Glandinationem immissuros traphicatores, item non soluto Telonio a mercibus, a quibus hactenus solvi consvevisset pertranseuntes, velut ipso facto contrabandi poenam incurrentes, denuncianti tertialitatem contrabandi, duabus pro cassa Regni reservatis, praelibatus Dominus Comissarius effective tradi committet.

18. Sua Excellentia Banalis Superioribus Militaribus Officialibus, quatenus ad praemisae Commissariatus Instructionis observationem et Executionem, prout proprii sui regulamenti, omnem Domino Comissario praebeat assistentiam, est demandatura, prout etiam eadem sua Excellentia sese omnimode facturam resolvisset et declarasset.

19. Quemadmodum praemissa in reliquis Confiniis quoad emolumenta, eorundemque promotionem et respective considerationem regulatio et Dispositio facta habetur, ita in Confinio quoque Dubicensi per Dominum pro tempore futurum loci Commendantem punctualiter et exacte servanda, ac ipsa etiam proventura ex Confinii ejusdem emolumentis peccunia sua via ad cassam publicam comportanda veniet.

20. Circa stateras, mensuras Aridas et liquidas, pretiaque rerum venalium, nec non intuitu rerum ex Turcia ad hanc partem transferendarum, qualesnam dispositiones essent instituendae, suam opinionem scripto quantocius comprehendet, et pro adprobatione Regno et Bano submittat.

21. Quoniam modalitate praedeclarata Knezij subalternati essent Comissariatui, ideo Knezyum Loci, ubi vacantia occurrerit, prout hactenus Populus eliget, expeditionemque desuper a Domino Comissario levaturus, si tamen contra taliter electum idem Commissarius aut Dominus Regiminis Colonellus aliquam non habuerit considerationem. Quare

22. Ut Knezyatus pro possibilitate regulentur, sive ad aequalitatem reducantur, numerus eorum successive diminuendus erit, ita videlicet ut penes duas compagnias unus sit Knezyus, et tali ex miserabilioribus unus detur spanus.

23. In reliquo demum fideli curae solertique dexteritati praeattactorum successive evenibilium, pro emolumento et indemnitate Regni sedula administratio Domino Comissario committitur. Cui, considerata virium intrinsecarum exiguitate, Officii sui intuitu Annuum florenorum 700 salarium ordinandum opinabatur; Salva Inclytorum Statuum et Ordinum praesentem instructionem successivis etiam temporibus pro re nata augendi, diminuendi et modificandi ultronea facultate.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1758. MENSE NOVEMBRI. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1758. 27. et sequentibus mensis Novembris diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapiano-Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareo-Regiae Majestatis Actualis Intimi Consiliarii, Comitatum Comariensis perpetui, Alberegalensis vero Supremi Comitis, pro die 13. et subsequis Mensis Novembris 1758, Varasdini, cellebrata congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Tertius.

*De emolumentis Petrinensibus Comissariatui Regni resignandis.*

Siquidem occasione resignationis Loci Petrinya, ex parte Dominorum Statuum et Ordinum Regni Militari Confiniorum Banalium Statui factae, antea per Commendantes Loci ad rationem sui desummi solita emolumenta, ad rationem Cassae Regni per Commissarium exigenda tam virtute Benigni Diplomatis Caesareo-Regii quam exemplo residuorum Banalium Confiniorum reservata fuissent, hactenus tamen praeter solum Naulum et Telonium et haec novissime duntaxat resignata, nihil e reliquis emolumentis Cassam Regni ingressum esset, ideo conclusum est: ut praeter suprafata Nauli et Telonii beneficia etiam proventus Fori, tam hebdomadalibus, quam solemnioribus Nundinis obvenienientes, praeterea macelli, Glandinationis, Decimarum item vini et frumenti, praeterea Fiscalitatum et Boum Divisionalium emolumenta Dominus Confiniorum Banalium Comissarius ad rationem Cassae Regni percipat, huncque in finem Fori Magistrum necessaria cum Instructione sufficiat. Ex his porro Emolumentis Parocho Petrinensi pro victu Capellani 30 florenos, eidem autem Capellano titulo Stipendii 30 itidem florenos Annue persolvet; circa repartitionem vero horologiarii cum horologiario annuam accordam ineat, et Dominis Statibus et Ordinibus referat antelatus Dominus Comissarius. Caeterum cum publice constet, Incolas Petrinenses sustentationem suam ex quaestu et traphica habere, exindeque Militaria praestare servitia, ideo ex peculiari hac reflexione, ac sine consequentia exinde formanda, decreverunt Domini Status et Ordines: ut educillum totius Anni pro antelatis Incolis liberum relinquatur. Denique cum Sylvae Petrinenses viciniores sub praetextu procurandorum pro Domino Loci Commendante foenilicorum (etsi antiqua

foenilia commendantalia sufficientem foeni provisionem modernis quoque Dominis Commendantibus subministrant, suprafatum vero novum extirpatum Terrenum partim per eosdem ultra necessitatem usurpetur, partim vero Incolis Petrinensibus ex tertialitate inseminandum elocetur) Magnopere exstirpatae ac ruianatae habeantur, ex eo determinatum aeque est: ut Dominus Comissarius Regni omnem, eamque efficacem gerat curam, quo antelatae exstirpaturae, ac praecipue Terrae ac foenilia in loco Nagon dicto per Commendantes usurpata, in succrescentiam abire possint.

## Articulus Octavus.

*De Regulatione trium Regni hujus Comitatuum.*

Sua Majestate Sacratissima vigore Benigni Sui de dato 7. Septembris ad Suam Excellentiam Dominum Comitem Banum emanati mandati clementer praecipiente, ut quamvis demissa Dominorum Statuum et Ordinum opinio circa regulandos tres Regni hujus Croatiae Comitatus, vacente adhuc Banali Officio, erga aliud eotum clementer emanatum Benignum Mandatum Suae Majestati Sacratissimae humillime repraesentata jam fuisset, nihilominus tamen ex ea ipsa eotum vacantis Banatus ratione, uti et ex eo, quod Comitatui Crisiensi partem aliquam Comitatus Zagrabiensis adjiciendam decrevisset altefata Sua Majestas Sacratissima, ejusmodi regulationi, habita ad normam Comitatuum inferioris Sclavoniae, quantum circumstantijs Comitatuum horum etiam accomodabilis est, reflexione, ac una Crisiensis quoque Comitatus extensionis elaborationi manus quatocyus admoveatur, talismodique opus Suae Majestati Sacratissimae demisse repraesentetur, statutum est: ut elaborata per Dominos Status et Ordines regulandorum antelatorum Comitatuum idaea methodusque Suae Majestati Sacratissimae demisse repraesentetur. Cujus quidem tenor sequens est:

Sacratissima etc.

Benignum Majestatis Vestrae Sacratissimae de dato 7. praeterlapsi Mensis Septembris Anni labentis emanatum, et ad Spectabilem ac Magnificum Comitem Regnorum horum Banum, in merito reassumendi denuo intuitu Regulationis Regni istius Comitatuum Majestati Vestrae Sacratissimae sub 13. Mensis Augusti Anni 1756. celebrata Congregatione nostra submissi operis, elaborandae item extensionis Comitatus Crisiensis, depromendaeque desuper et submittendae opinionis directum, et in moderna Generali Congregatione Nostra nobiscum Communicatum Mandatum homagiali in subjectione percipientes, quemadmodum ad mentem alterius Benigni Majestatis Vestrae Sacratissimae de 5. Mensis Julii Anni 1756 in hoc ipso regulandorum Regni hujus Comitatuum merito emanati omnem operam et sollicitudinem nostram eo contulimus, ut Benignissimae Majestatis Vestrae Sacratissimae menti, quoad ejus fieri potest, satisfieret, ita nunc habita practicabilitatis ratione pro nostra altissimis Majestatis Vestrae Sacratissimae jussis obsequendi promptitudine, eam omni solicitudine rationem modumque quaesivimus, ut Comitatus isti juxta Clementissimam Majestatis Vestrae Sacratissimae ordinationem ad normam reincorporatorum inferioris Sclavoniae Comitatuum, in

quantum circumstantiis horum Comitatuum etiam accomodabilis est, regulentur; firmissimam semper de Innata Majestatis Vestrae Sacratissimae clementia nobis spem et fiduciam pollicentes, quod regulationem hanc nonnisi salvo Avito et Regno huic Coaevo, atque frequentissimis tam legibus publicis, quam Divorum condam Hungariae Regum privilegiis firmato Jure et Jurisdictione Bani et Regni fieri velit altefata Majestas Vestra Sacratissima.

Hac spe freti, quemadmodum nuper omne regulandorum Comitatuum sistema in quatuor capita, ita nunc in publica, politicaque, Juridica item, oeconomica et militaria reducendum putavimus, praetermissisque particularibus quibusdam, cuique alioquin Comitatui comunibus punctis, sistemalia tantum persecuti, humillimam opinionem nostram altissimo Majestatis Sacratissimae Judicio hisce de genu substernimus.

Atque ad publica quidem et politica quod attinet: quamvis inter legalem Supremorum Comitum et Comitatuum activitatem ea sit e praecipuis, ut erga propositionem Supremi Comitis Magistratus Comitatensis juxta pluralitatem votorum statis temporibus restauretur; quia tamen ea fuit ab antiquissimo atque immemorabili plane tempore introducta Diplomatibusque etiam Regiis firmata Bani et Regni praerogativa, ut Magistratus Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis non obstante eo, quod Regnorum horum Vice-Bani Officium Supremi Comitatuum eorundem Comitis, ac recentioribus quidem temporibus etiam penes Benignas Collationales Regias gesserint, attamen erga propositionem Bani in publico Statuum et Ordinum congressu restauretur, adeo quidem, ut cum sub initium Saeculi hujus Egregius Nicolaus olim Mallenich Vice-Banus praefatorum Comitatuum Supremus Comes hanc Bani et Regni praerogativam controvertisset, gloriosae condam Memoriae Imperator et Rex Carolus Sextus avitum hunc et immemorabilem Statuum et Ordinum usum per speciale eatenus tam ad Status et Ordines quam ad ipsum praefatum Vice-Banum emanatum Benignum Decretum Anno 1731 per expressum confirmare sit dignatus.

Quare provocantes quidem ad priorem demissam opinionem nostram, nihilominus tum ex eo, tum etiam quod Majestas Vestra Sacratissima pro Congenita sibi Benignitate per Benignum Anno 1756 Statibus horum Regnorum elargitum Diploma avitas Bani Regnique praerogativas clementer stabilire sit dignata, summa submissione filialique fiducia de genu exoramus Majestatem Vestram Sacratissimam, ut hanc Bani et Statuum Ordinumque praerogativam ultro etiam clementer conservare dignetur.

Caeterum quoniam Comitatus Varasdinensis Supremus Comes in usu Officiales Comitatenses propria auctoritate denominandi praefuisset, in eodemque etiam per Articulum 56. 1723 usque effectum illic dispositorum relictus haberetur, hinc an eundem in usu hoc ultro quoque relinquere, vel vero conformiter ad alios Regnorum horum Comitatus regulare videatur Majestati Vestrae Sacratissimae, id altissimo ejusdem oraculo demisse subjicimus.

Ita regulato Magistratualis restaurationis negotio, ea, quae ad activitatem Comitatuum de Lege institutoque pertinent (velut Divini cultus promotio, orthodoxae fidei conservatio, rerum venalium aestimatio, mensurae tam liquidorum quam aridorum regulatio, manutentio miserae plebis, fundi contributionalis conservatio, pupillorum cura, Teloniorum investigatio, viarum transversalium reparatio, atque alia hujus generis), haec inquam Comitatuum Curae et invigi-

lantiae comitti posse videntur; in hunc autem finem necessarium fore praevidemus, ut tam Supremi Comites, quam Magistratuales in gremio Comitatuum semper resideant.

Quemadmodum porro in Clementia Majestatis Vestrae Sacratissimae demisse speramus, quod publica et politica, intrinsecum totius Regni Statum tangentia negotia, posthac item ad Banum et Regnum inviare dignabitur, ita quae in Generali Statuum Congressu pro Summo Majestatis Vestrae Sacratissimae Servitio Bonoque Patriae publico antelatis Comitatibus comittentur, in iis deinceps quoque Bani et Regni dispositioni subesse debere videntur; si quae vero ejusmodi publica et politica occurrerent negotia, quae quemque privative Comitatum respicient, ea medio Bani, modalitate hactenus observata, eisdem intimari, ac in particularibus aut Generalibus, cum interventu etiam Praelatorum, Magnatum et Nobilium, ac Liberarum Regiarumque Civitatum celebrandis Congregationibus pertractari in saepefatis Comitatibus posse videntur, ita nihilominus, ut cum privativa etiam Comitatuum negotia ad Generale Regni sistema plurimum influerent, ac sine debita horum Communicatione Status publici directio minus debite procedat, singularum Congregationum suarum Prothocolla Bano submittere teneantur.

Ipsum praeterea Commune Gubernii vinculum requirere videtur, ut imminente Generali Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum Diaeta, Singuli Comitatus gravamina et postulata sua Statibus et Ordinibus horum Regnorum referant, per Ablegatos Regni in Diaeta proponenda et promovenda. Quem in finem aeque ac ad alias omnes Regni Congregationes eisdem intimandas, per eos vero intra Comitatum suum publicandas, modalitate consveta comparere antefati Comitatus teneantur.

Sed quia in hac laborum, qui per regulationem istam Officialibus Magistratualibus accedent, accumulatione, iidem obligationi suae penes exiguitatem habitorum hactenus salariorum accurate defungi haud posse praeviderentur, quo congruis hi quoque salariis provideri possint de Augusta Majestatis Vestrae Sacratissimae munificentia in tanta Regni hujus incapacitate non possumus non optime sperare.

Cum autem necessitas ipsa tam pro celebrandis Congregationibus, Sedriis et Sedibus criminalibus, quam pro Archivo et Carceribus postulare videatur, ut Comitatus quoque Crisiensis (cui propter sui exiguitatem unum suffecturum Vice-Comitem censemus) suam habeat domum: hinc Innatam Majestatis Vestrae Sacratissimae clementiam supplicibus denuo precibus interpellamus, dignetur huic fini seu novam seu veterem Commandae domum Crisiensem benigne destinare, ad quam acta publica, illum privative tangentia, transferri possint; Actis Comitatus Zagrabiensis in Domo Regni, cujus usum eo quo hactenus modo deinceps quoque habere poterit, conservandis.

Caeterum quoniam Comitatus omnes authentia gaudere dignoscerentur, ea vero sine authentico seorsivo sigillo fungi nequirent, firmam collocamus in Materna Majestatis Vestrae Sacratissimae pietate et Clementia fiduciam, fore ut id antelatis quoque Comitatibus, supplices eatenus preces posituris, benigne elargiri dignetur.

Et haec sunt, quae ad sistema publicorum negotiorum pertinere videbantur. Juridica autem Comitatibus ita relinqui posse censemus: Ut quoties opus erit in Sedibus Judiciariis Jus et Justitiam juxta Leges Regni Causantibus ad-

ministrare, ad Judiciarias Tabulas suas, si et in quantum Magistratuales non sufficerent, certos Tabulae, cui hactenus clerus quoque assidebat, Assessores, consveto Judicum Juramento obstringendos, eligere, sedes criminales celebrare et Jure gladii e Clementia Majestatis Vestrae Sacratissimae uti, unum competenter salarisatum Fiscalem tam in criminalibus modalitate legali processurum, quam miserae plebis, pauperum, Viduarum et pupillorum manutentioni invigilaturum constiture possint; pro accuratiori autem Justiciae in partibus administratione, et ad mentem etiam Regni Legum Vice-Comitem cum uno Judlium aut Vice-Judlium, Judicem Nobilium autem cum uno Vice-Judlium procedere, Causasque Judicatui suo de Lege competentes judicare debere arbitramur. Postremo quia tam ad comprehendendos custodiendosque malefactores, quam ad alia Comitatus servitia, exemplo etiam aliorum Comitatuum, nonnulli servitores necessarii praevidentur, hinc loco Regni Libertinorum, velut et paucorum et ad id muneris obeundum propter paupertatem minime idoneorum, aliquot Equites et aliquot Hajdones ad praestanda eatenus servitia in quolibet Comitatu conducendos humillime existimamus.

De Oeconomicis autem seu administratione Cassae publicae ea iniri ratio posse videtur, ut et in singulo Comitatu unus sit subalternus Perceptor, per Generalem Exactorem Regni in qualitate subalterni sui constituendus, et unus tamen sit Generalis Regni Exactor; quorum priores Dicae et Impositionis Regni Comitatum illum manentis et tangentis exactio, posteriorem autem hunc communes totumque Regnum concernentes introitus, velut auctio Tricesimae et emolumenta confiniaria ab una, parte vero ab altera Communes Regni erogationes, veluti Militiae Confiniariae, Officialium Regni et Comitatensium exolutio, Communium Regni debitorum emergentisque Interusurii depuratio, necessariae pro Postalium Commercialiumque viarum reparatione, avertendaque exundatione, cui hoc Regnum nimium quantum subjacet, fluviorum expensae, aliaque nonnulla pro varietate temporum emergibilia (qualis proximis his temporibus fuisset Pontis Carolostadiensis constructio) requirere videntur, ita videlicet, ut suprafati quidem subalterni perceptores incassatam Summam ad Cassam Generalem, per praeattactum Generalem Regni Exactorem administrandam, conferant, atque illi quidem huic, iste autem de Universali Summa debitas Statibus et Ordinibus reddant rationes.

Denique siquidem ut in politicis atque oeconomicis, ita in militaribus quoque Bani et Regni ordinationibus subesse convenit Comitatus, ideo Arma et Gentes sine Bani et Regni dispositione levare eisdem minime liceat.

Quantum porro ad extensionem Comitatus Crisiensis elaborandam spectat, siquidem minime rarum in Regno quoque Hungariae exemplum sit, quod Comitatus alter altero major minorque sit, moderna autem Comitatus Crisiensis exiguitas non ex eo, quasi vero pars quaepiam ejusdem Comitatui Zagrabiensi adjecta aliquando fuisset, sed exinde quod potioritatem illius Generalatus Varasdinensis possideat, enata sit, adeoque ad Comitatum Crisiensem e Zagrabiensi nihil postliminio restitui, sed de novo avelli deberet, ea autem res tum ob confusionem limitum Comitatuum, tum ob radicalia Familiarum Jura, hac ratione facile periculum quodpiam subitura, tum quod ille, qui adjici forte posse videretur Processus Joanne Zaverskianus adeo subjectis officiorum Comitatensium capacibus destituatur, ut per ejus adjectionem nihil prorsus Comitatui Crisiensi accederet, reipsa autem idem Processus, veluti fere Zagrabiam usque protensus,

a Comitatu Zagrabiensi tanquam viciniore facilius commodiusque administrari posse videretur. Ex his itaque fundamentis, ut antelatorum Crisiensis et Zagrabiensis Comitatuum Limites in statu quo relinquere clementer dignetur Majestas Vestra Sacratissima, humillime supplicamus.

Quod reliquum est, demissam hanc Nostram de regulandis Comitatibus opinionem, in obsequium B. Majestatis Vestrae Sacratissimae Mandati ad pedes altefatae Majestatis Vestrae Sacratissimae supplices deponimus, avitam autem Bani et Regni praerogativam ad maternam Majestatis Vestrae Sacratissimae clementiam denuo summa cum fiducia reclinamus, altissimis Caesareo Regiis gratiis et Clementiae aeternum devoti, in homagiali fide et obsequio emorimur, Majestatis Vestrae Sacratissimae Humillimi perpetuoque Fideles subditi et Capellani, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Status et Ordines.

## Articulus Duodecimus.

*Juramentum pro Domino Regni Comissario elaboratum adprobatur.*

Siquidem electus in postrema Generali Dominorum SS. et OO. Congregatione Dominus Confiniorum Regni Banalium Comissarius partim ob acceleratum ad Confinia iter, partim ob affectam valetudinem Juramentum deponere hactenus nequivisset, ideo ut infrasertum in publico relatum et adplacidatum Juramentum coram Domino Magistro Prothonotario, relationem eatenus in publico facturo, deponere teneatur, determinatum est.

Praefati autem Juramenti tenor talis est:

Ego N. N., electus per Inclytos Dominos SS. et OO. Regni Confiniorum Banalium Comissarius, Juro per Deum vivum et ejus Sanctam Genitricem Virginem Mariam ac Omnes Sanctos et electos Dei, Quod ego, in conformitate datae mihi ex publico Instructionis Comissariaticae, Universa et Singula Confiniaria emolumenta, sive tandem hactenus conscripta, sive per Industriam ac diligentiam meam quovis modo eruenda, fideliter administrabo, eadem ad Cassam publicam conferam, ac de his nihil pro parte mea reservabo. Utilitatem ex educillatione vini, Naulis et Teloniis quovis modo profluentem omni meliori, quo fieri poterit modo cum fructu et utilitate Cassae mihi concreditae promovebo, Fundum horum emolumentorum manutenebo, ac si quae publico praejudiciosa emergere contingeret, tempestive Suae Excellentiae Banali ac Inclytis Dominis SS. et OO. Regni pro adferendo remedio detegam ac revelabo; Fiscalitatibus occursuris diligenter invigilabo, ac in omnibus Instructionis meae punctis obligationi meae satisfaciam. Demum de omnibus curae meae concreditis de anno in annum distinctas et separatas juxta publicam dispositionem rationes effective reddam. Sic me Deus adjuvet, Beata Virgo Maria, et vivificum Domini Nostri Jesu Christi Signum.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1759. MENSE JANUARIO. VARASDINI.

*Articulus Generalis, A. 1759. 8. et sequentibus Mensis Januarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschali, unius Legionis Equistris Ordinis Milliciae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Sacratissimae Caesareo Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consiliarii, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Ordinis Militaris Theresiani Magni Equitis, pro die 8. et subsequis Mensis Januarii Anno 1759, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Secundus.

*De postulata per Suam Majestatem Sacratissimam iterata Tyronum statutione.*

Erga Benignum Suae Majestatis Sacratissimae Rescriptum sub dato 22. Novembris Anni recens evoluti in eo ad SS. et OO. emanatum, ut quemadmodum hactenus per generosam Tyronum peditum statutionem suam in altissimum Suae Majestatis Sacratissimae servitium promovendum alacritatem testati sunt Domini SS. et OO., ita in perdurante adhuc pristina atrocis Belli hujus necessitate ejusmodi Tyronum statutione in subsidium causae publicae alacriter succurrant, determinatum est: ut, qui nuper oblatos Tyrones statuere hactenus omisissent, ac in specie partes etiam Maritimae, quarum Tyrones eotum statuti adhuc domi morarentur, ejusmodi Tyrones effective statuere; illi autem, quorum Tyrones eotum statuti medio tempore fuga nefors elapsi forent, in quantum in gremio Regni delitescere comperirentur, eos restatuere, idque usque ultimam Mensis hujus Januarii teneantur, hic Varasdini Comissarialiter assentandos, hincque ultro expediendos. In reliquo vero siquidem spectato magno militiae ex hoc Regno in castra missae numero, consideratis item desertis copiosioribus, uti et onerum miseram plebem manentium pluralitate gravitateque, DD. SS. et OO. modus non suppetat, numerosioribus Tyronibus Suae Majestati Sacratissimae, a qua alioquin de non trahendo in consequentiam nupernae Tyronum statutionis exemplo clementer assecurati exstiterunt, subveniendi, supplicant Suae Majestati Sacratissimae humillime, dignetur 130 Tyrones a privatis oblatos, quos Suae Majestati Sacratissimae noviter demisse offerunt, benigno animo suscipere, et non hujus numeri exiguitatem pensare, sed iterata sub actuali Bello per DD.

SS. et OO. praestita fidelium servitiorum merita gratia sua Caesareo Regia complecti, atque hoc eousque etiam, donec a Comitatibus Sclavoniae, negotium hoc domi pertractaturis, de succursu eorundem relatio fieri possit.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1759. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1759. 25. et sequentibus mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Francisci de Nadasd perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanaei, Sacrae Caesareo-Regiae Majestatis Consiliarii, et Actualis Intimi Camerarii, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, Duorum Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comariensis perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Ordinis Militaris Theresiani Magni Equitis, et Tabulae Banalis legalis Praesidis, pro 25. et subsequis Mensis Aprilis Anni 1759. diebus, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis)*

### Articulus Tertius.

*De regulatione trium Croatiae Comitatuum.*

Quemadmodum ex Benigno Suae Majestatis Sacratissimae Mandato de dato 20. praeteriti mensis Martii ad Dominos Status et Ordines emanato venerabundi intellexerunt iidem Domini Status et Ordines, quod Sua Majestas Sacratissima summi servitii sui bonique publici promotionem justitiaeque administrationem in neoregulandis tribus Regni hujus Croatiae Comitatibus ita directam regulatamque clementer velit, ut tamen pristinae quoque Bani et Regni praerogativae prospiciatur, ita ad ejusmodi Gratiae Caesareo-Regiae perennem apud posteros memoriam determinatum est, ut idem benignum Mandatum improthocolletur. Quia tamen circa ejusmodi Clementissimam resolutionem nonnullae partim opiniones partim reflexiones DD. SS. et OO. ad Thronum Caesareo-Regium submittendae forent, ideo sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Stephani Putz, Episcopi Belgradensis seu Samandriensis, sequens ordinata est Deputatio: Dominus Georgius Mallenich, Lector et Canonicus Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis, Dominus Joannes Jurssich, Inclyti Comitatus Zagrabiensis

Supremus Comes, et Dominus Adamus Naysich, Regni Vice-Banus, Dominus Joannes Busan, Supremus Regni Exactor, Dominus Nicolaus Skerlecz, Tabulae Judiciariae Assessor, Dominus Antonius Jankovich, Comitatus Crisiensis Vice-Comes, Dominus Petrus Spissich et Dominus Joannes Blaskoczy, Judex Civitatis Varasdinensis, quibus pro Actuario adjungitur Dominus Christoforus Bornemissa, Conferentiarum Secretarius. Quae quidem Deputatio tam reflexiones circa antelatum benignum Mandatum occurribiles, quam et opinionem circa hactenus usurpatam Comitatus Varasdinensis restaurationis modalitatem via Juris reducendam, uti et circa schema augendorum Salariorum, pro hisque exquirendos fundos depromet, simulque quoad continuandum viarum reparationis laborem modalitatem ellaborabit, relationem de singulis punctis Statibus et Ordinibus in publico factura. Cujus quidem Benigni Mandati tenor est sequens:

Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix, Germaniae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archidux Austriae etc.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes, ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Demisse Majestati nostrae relata est humillima fidelitatum vestrarum circa Regulationem trium hujus Regni nostri Croatiae Comitatuum utpote Zagrabiensis, Crisiensis et Varasdinensis Anno novissime transacto Mensis Novembris 16. die ex Generali earundem Congregatione Varasdini celebrata submissa Repraesentatio, et in hac contenta quoad modum et formam ejusmodi regulationis opinio.

Et quemadmodum illinc a coscenso Regali solio omnes nostri conatus eo directi sunt et porro quoque dirigentur, ut Regnorum atque provinciarum, Divinitus Imperio nostro subjectarum saluti prosperitatique omni meliori modo consultum eatur, Justitiaque, quae Regiminis firmamentum est, omnibus rite et exacte administretur, atque ita rectus Legibusque Regni conformis rerum agendarum ordo stabiliatur; Ita omnibus, quae in hanc rem concurrunt, circumstantiis rite expensis, sequentem, per quam ipsius Bani et Regni activitati prospicitur, clementer impertimur resolutionem. Et

Quantum quidem ad normam Restaurationis Magistratualis in iisdem Comitatibus (excepto ea in parte pro hic et nunc Varasdinensi Comitatu, de quo separatim agetur) deinceps observandam, tametsi fidelitates vestrae ad immemorialem, Regiis etiam Diplomatibus confirmatam, Bani et Regni praerogativam, usumque et consvetudinem, cujus vigore Officia Comitatuum Zagrabiensis et Crisiensis, eo etiam non obstante, quod Supremi horum Comites e Regiis resolutionibus nominati fuerint, erga Bani propositionem in Congressu Regnicolari restaurari hactenus solebant, provocantes, ultro quoque praerogativam isthanc, per novissimum etiam Anno 1750. Benignum Diploma nostrum praetensive stabilitam, conservari supplicent.

Quia nihilominus praerogativa haec in Regni Constitutione non fundatur, allegata vero Diplomata nullam illius mentionem continent, consvetudo porro Legis praesidio destituta attendi nequit, vel etiam ob id, quod hactenus Comitatus illi negotia publica non pertractaverint, ast haec in Regni Congregatione agebantur; jam vero cum regulandi sint, sicque publicorum tractatus suo modo ipsis etiam incumbat, restaurandi modus, hactenus exercitae rerum manipulationi

accomodatus, ultro continuari non potest, eo quidem magis, quod et altissimo Servitio Nostro et Bono publico plurimum intersit, ut Supremis Comitibus, qui Suprema Regia potestate constituuntur, quorumve Salaria ex Aerario Nostro dependuntur, sua legalis attribuatur authoritas, quarum praecipua una est, ut ipsi ad praescriptum Articuli 56. Anni 1723 Magistratus, quibus praesunt, restaurent, sicque Officiales Comitatuum debito legali modo eis subordinentur. Ad haec Communis et Uniformis omnium non tantum Regni Nostri Hungariae, ast etiam Inferioris Sclavoniae Comitatuum mos est, Magistratus ad sensum citati Articuli restaurandi. Nec idcirco Banalis et Regni Jurisdictionis quodpiam praejudicium subversatur, partim quia non obstante isthoc restaurationis legalis modo Comitatus hi Jurisdictioni praedeclaratae, modalitate ab infra declaranda, adhuc tamen suberunt, partim vero quia veluti ex modo restaurationis Inferioris Sclavoniae Comitatuum (cujus elaborationi ipsi etiam Regni hujus Deputati intervenerunt, consensuque suo accesserunt), praeterea Comitatus Varasdinensis (de quo paulo infra agetur) praejudicium illud hactenus assumi non potuit, ita nec assumi potest a simili et uniformi in recensitis quoque Binis Comitatibus inducendo modo.

Horum igitur intuitu normam Restaurationis Comitatuum hic quoque illam benigne statuimus, quam Lex praescribit, et quae in aliis etiam Comitatibus passim exercetur, nempe: ut in puaefigenda eatenus sede Restauratoria Supremi Comites candidatos pro Officiis suo modo proponant, electioni Comitatus liberae submittant, votorumque pluralitate electos Officiis admoveant, ac ut hac etiam in parte Bani et Regni Jurisdictioni deferatur, eosdem Officiales, modo praevio legitime electos, Bano et successive in Regni Congregatione (cum ibidem suas destinatas sessiones habeant) Statibus et Ordinibus praesentent.

Norma haec restaurandi ut ad Comitatum etiam Varasdinensem extendatur, rectus quidem Ordo ratioque Uniformitatis omnino exigeret; quippe cum familia Comitum Erdödy haereditario Jure supremum hujus Comitatus Officium obtinent, ex vendicato sibi Jure usum restaurationis illum, quod citra omnem Candidationem electionemque officiales constituat, in praesens exercuerit, et fidelis noster nobis sincere dilectus Comes Georgius Erdödy, Judex Curiae Nostrae Regiae, qui de praesenti eidem Supremo Officio praeest, medio supplicis sui Privilegium Rudolphi 2. Imperatoris et Regis, praedecessoris Nostri desideratissimi, Anno 1607. Comiti condam Thomae Erdödy elargitum, et in hanc rem, velut supponit, sonans nobis in Copia humillime exhiberi fecerit; illud vero de isthoc, quem antelata Familia usurpat Restaurationis modo prorsus nihil contineat, et praeterea Articulus 70. 1548 restaurationis modum jam olim ante emanationem allegati Privillegii praescripserit, Quia tamen articulus allegatus 56. Anni 1723 negotium isthoc in statu quo, donec ordinaria juris via determinatum fuerit, relinquendum decernat: Quaestionem igitur hanc juxta dispositionem ejusdem Articuli in via Juris discutiendam pro hic et nunc relinquimus quidem; ast quia hanc juris viam hactenus nemo inivit, intersit vero ut aliquando assumatur et suo modo etiam decidatur, ideo clementer volumus, ut Fidelitates Vestrae sensum suum super eo: quo actore quove Judice quaestio eadem in Juris viam deducenda inibique prosequenda sit, nobis ocius submittant.

Quantum ad Administrationem, perceptionem et Erogationem pecuniarum, tam Contributionalium quam et aliarium, pro intrinsecis necessitatibus requisitarum, impositarum, pro hic et nunc usque ulteriorem clementessimam Majestatis Nostrae

Ordinationem sequens observetur manipulatio: ut videlicet Status et Ordines regnicolariter Congregati, modo hactenus usitato, repartitionem et quanti Contributionalis et Domesticarum Impositarum, utpote Salariorum tam Regni quam et Comitatuum Officialium ac servitorum aliarumque extraordinariarum Erogationum, ad loca Individualia porro quoque instituant, hanc sub Authentico supremo cujusvis Comitatus (inquantum eum tangit) Comiti extradent, ille vero in Congregatione Comitatus perceptori, praevie rite et legitime elligendo, consignet, qui secundum eandem in exactione et perceptione diligenter progrediatur, summamque perceptam, detractis praevie Officialium et servitorum Comitatensium salariis atque sumptibus, qui in Usus Comitatus secundum ejusdem determinationem necessario errogari debuerant, Generali Regni Exactori erga Quietantiam administret, rationes porro quotannis ipsi Comitatui rite confectas exhibeat, per hunc debite censurandas, ac etiam pro superrevisione ad Statuum et Ordinum Regni Congregationem referendas. Exactor autem Regni Cassae fidei suae concreditae curam fidelem gerat, pecunias non secus quam juxta Regnicolares Determinationes errogent, ac omni pariter Anno de officiolatu rationes suas Statibus et Ordinibus Regni exhibeat.

Extensionem Comitatus Crisiensis quod attinet, expensis per fidelitates vestras demisse repraesentatis motivis, ac praeterea eo attento, quod finem in hunc necessaria sit occularis in facie loci situs regionisque Inspectio, ex qua demum appariturum est, an et qualis hac in re convenientia et practicabilitas reperiri possit: ex eo materiam hanc usque redditum e Castris nostris Caesareo-Regiis moderni antelati Comitatus supremi Comitis pro hic et nunc differendam esse decrevimus, ita ut ubi is redierit, concurrenter eatenus cum Statibus et Ordinibus Regni manipuletur, desuperque demum ulterior circumstantialis Relatio pro impertienda Benigna Resolutione nobis submittatur.

Ultra haec fidelitates Vestrae sequentia adhuc in praeallegata opinione sua demisse insinuarunt.

1. Ut pro Domo Comitatus Crisiensis, ubi congressus suos celebret, Archivum et Carceres Magistratuales habeat, assignetur seu vetus seu nova Comandae Crisiensis Domus.

2. Ut Comitatus hi sigillo Authentico ad instar aliorum provideantur.

3. Ut salaria Officialium augeantur.

4. Ut ultro quoque Bani et Regni Jurisdictioni subjaceant. Quorum intuitu et quidem

Primi: cum praetensio haec fidelitatum Vestrarum quoad reddendam Statui Crisiensi Commandae Crisiensem Domum a longiori jam tempore perduret, contranitente constanter Statu Militari; controversiam vero hanc in praesenti rerum discrimine reassumere intempestivum sit: ideo benigne resolvimus, ut Comitatus hic, donec aliter dispositum fuerit, interea (si secus fieri nequit) utatur Domo Magistratus Civilis Crisiensis, inibique et Congregationes celebret, et Archivum Carceresque suos Magistratuales habeat.

Ad 2. Necessarium omnino esse agnoscimus, ut Comitatus hi authentico Sigillo, quo expeditiones suas signare sicque fidedignas reddere valeant, provideantur. Quia vero ejus collatio altissimae Majestatis Nostrae potestati reservata est, invientur, ut ad Thronum Gratiae Nostrae Caesareo-Regiae confugiant, illudque sibi benigne conferendum suppliciter petant.

Ad 3. Antequam de Salariorum auctione Benignam Nostram impertiamur Resolutionem, cum ignoretur quis et qualis hactenus illorum Status fuerit? fidelitates Vestrae tam suam super eo informationem, quantum quis titulo hoc habuerit? et qui fundus horum exolutioni subserviebat? quam et opinionem, quid videlicet et quantum auctionis nomine, quove ex fundo cuivis adjiciendum adhuc censeant? Nobis humillime submittent.

Ad 4. Demissum fidelitatum Vestrarum postulatum illud, ut quamquam repetiti Comitatus modo praevio regulandi sint, ii nihilominus Jurisdictioni dispositionique Regni et Bani porro quoque subsint, et conveniens et bene regulatae reipublicae, in qua debitam subordinationem praeprimis vigere oportet, conforme esse agnoscimus, et ideo benigne ordinamus: ut publica et Politica, intrinsecum totius Regni Statum tangentia negotia posthac etiam ad Banum et Regnum inviventur, inque Congregationibus Regni pertractentur; ad has vero modo hucusque observato Officiales Comitatuum comparere, et determinationibus Regnicolaribus, pro Summo Servitio Nostro bonoque publico editis, se omnimode accomodare easque exequi teneantur. Benigna Rescripta Nostra Regia (veluti quoad Comitatus Inferioris Sclavoniae jam observatur) medio Comitis Bani ad eosdem dirigantur, et ii vicissim repraesentationes et pro re nata Informationes suas ad Majestatem Nostram ejusdem medio submittant. Sine hujus porro et Regni praescitu Arma et Gentes levare non audeant, ac denique cujuslibet Congregationis suae Prothocollum sub lecta Notarii repetito Comiti Bano fine etiam eo, ut notitia actorum praeditus in directione Communis et publicae rei recte procedere possit, cum fine cujusvis Congregationis transmittant.

Quibus omnibus modo praemisso per Nos clementer resolutis, tam ex eorum reflexione, quam et intuitu Juridicorum in Civilibus et Criminalibus aliorumque ad activitatem et Sphaeram Comitatuum pertinentium negotiorum totius regulationis Systema in hac, quae adjacet forma benigne constituimus.

Hanc igitur benignam resolutionem ordinationemque Nostram fidelitatibus vestris hisce benigne significantes, plene confidimus, easdem ex hinc etiam agnituras, quanto studio in Commune hujus etiam perchari Regni Nostri Bonum, Justitiaeque exactam administrationem, et ita salutem omnium feramur, atque maternam isthanc solicitudinem Benignitatemque Nostram devotis animis suscepturos esse; ac ideo fidelitatibus vestris clementer committimus et mandamus, quatenus praedeclaratam benignam resolutionem Nostram tam sua ex parte exacte observare, quam et per alios, quorum interest, observari facere, ac omnia, quae ad ejus executionem oportuna et necessaria sunt, disponere noverint nec intermittant eaedem fidelitates Vestrae. Quibus in reliquo Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne Jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate nostra Vienna Austriae die 20. Martii, Anno Domini 1759.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolaus Palffy m p.
Josephus Jablanczy m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item

**Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus, fidelibus Nobis dilectis. Ex Officio.**

**(Locus Sigilli Regii.)**

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1759. MENSE SEPTEMBRI. VARASDINI.

***Articuli Generalis, A. 1759. 10. et sequentibus Mensis Septembris diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacrae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Commaromiensis Perpetui, Albensis Supremi Comitis, nec non Ordinis Militaris Theresiani Magni Equitis et Tabulae Banalis Legalis Praesidis, Varasdini pro 10. et sequentibus Mensis Septembris Anno 1759 celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Secundus.

*De ulteriore Benigna Suae Majestatis quoad Regulationem Comitatuum resolutione.*

Erga Clementissimam Suae Majestatis Sacratissimae resolutionem, ad demissam Dominorum Statuum et Ordinum repraesentationem ex postrema Regni Congregatione expeditam, de dato 8. Mensis Maji Anni labentis ad DD. SS. et OO. benigne emanatam, conclusum est: Ut conformiter ad sensum Inclytorum DD. SS. et OO. Perceptores Comitatenses summam repartitam, ad Cassam Regni dependendam, praeprimis quidem eorsum administrent, et ita demum salaria sua capiant. Quoad processum vero ex vi Articuli 56. 1723. contra Familiam Comitum Erdödy instituendum, decretum est: ut Excellentissimo olim Comite Judice Curiae Regiae, Comitatus Varasdinensis Supremo ac Perpetuo Comite, medio tempore e vivis evocato, si nemo interea in idem Officium installatus fuerit, Dominus Generalis Comes Antonius Erdödy, qua frater natu major et Familiae Jura sustentans, ad futura Judicia Octavalia, Actore Regni Fisco, fine producendi prae-

tensi quoad usurpatam Officialium Comitatensium denominationem privilegii evocetur. In reliquo demum quoad propositam a DD. SS. et OO. Salariorum Auctionem, Sua Majestate Sacratissima Salaria omnia in statu quo pro hic et nunc relinqui, et ad eorum exolutionem Salarium etiam Locumtenentis Banalis, prouti et subalternorum Supremi Regni Exactoris converti benigne praecipiente, determinatum est: ut Perceptor Comitatus Zagrabiensis 200 fl., Varasdinensis 150 fl., Crisiensis demum 125 fl., singulorum autem comitatuum Fiscales 100 fl. Salarium obtineant, praeterea vero Servitores Equites in Comitatu Zagrabiensi quatvor, in Varasdinensi vero et Crisiensi singillative tres a fl. 60., Pedites vero in Comitatu Zagrabiensi Octo, in Varasdinensi et Crisiensi singillatim sex a fl. 40 ex Cassa Comitatensi solvantur.

## Articulus Tertius.

*De Venerabilis Cleri in Congregationibus Comitatensibus Sessionis praerogativa.*

Orta inter Clerum Comitatus Zagrabiensis et Magistratuales ibidem personas de sessionis praelatione difficultate, benignoque eatenus Mandato Caesareo Regio de dato 18. Mensis Maji emanato superveniente, sancitum est: Ut Status Ecclesiasticus secundum normam in Regnicolaribus Congregationibus hactenus semper observari solitam in Congressibus quoque Comitatensibus dextrum Tabulae latus occupet; in reliquo vero illi, qui ex statu hujus cleri ad Sedrias Comitatuum Civiles pro Tribunali applicati fuerint, praevie solito eatenus Juramento adstringantur; Patres demum Societatis et Ordinis S. Pauli ad Comitatuum sedrias ulterius etiam non applicentur.

## Articulus Sextus.

*De Tyronibus denuo statui petitis.*

Percepto benigno Suae Majestatis Sacratissimae sub dato 21. recenter evoluti Mensis Augusti ad DD. SS. et OO. emanato ac fine necessariae moderni Belli continuationis pro redintegratione Hungaricorum pedestrium Regiminum, ad Decem Millia circiter imminutorum Tyronum Militum Statutionem postulante rescripto, etsi Sua Majestas Sacratissima nogotium idem, tum per oblationem quindecim a Capite fl., tum per Capitulationis concessionem, tum per assentationis facilitationem practicabilius efficere velle videatur; quia tamen per oblatam hactenus numerosam eorum statutionem tam Colonos, quam Banderialistas ita exhaustos esse conspicerent DD. SS. et OO., ut sessiones complures hospitibus destitutae in desertas abiverint, quarum onus nec aliis sine injuria imponi, nec sine Contributionis deffectu deffalcari posset, capaces amplius se haud esse observarunt, optatum hac in parte succursum praestandi; nam praeterquam quod tam populosiores quam minus populosae Regni partes per eductos binis jam vicibus majore sane numero Tyrones enervatae jam sint, insuper DD. SS. et OO. ne modalitas quidem ulla hac in re amplius superesset, nam conductionem quidem hactenus quoque in Civitatibus et alibi passim tentatam minime tamen successisse palam constat, per Capturam autem hactenus susceptam subditi omnes

tanto terrore sunt perculsi, ut omnes jam Regni concursus suspectos habeant, semper veriti, ne de illis ad rationem Tyronum denuo comprehendendis deliberetur. Unde porro fit, ut fuga e vestigio se subducentes aut ad ditiones Turcicas emigrent, aut in Sylvis latitent, imo et in Dominos, et in persecutores suos (uti recentia nuper exempla testatum faciunt) tantopere sint animati, ut vulnera etiam, ac tantum non necem inferre haud formident: Quapropter determinarunt DD. SS. et Ordines, ut Tyronum Militum statutionem praestari ab illis sine desolatione Patriae amplius haud posse Suae Majestati Sacratissimae de genu repraesentetur. Cujus quidem repraesentationis tenor sequitur in haec verba.

Qualem quantamve sive secundorum sive sinistrorum atrocis hujus, quod Europam triennio jam fatigat Belli successuum partem pro tenerimo nostro in Causam publicam studio capiamus, tot hactenus indiciis palam facere studebamus, quot occasiones, bene de Majestate Vestra Sacratissima merendi se obtulerunt; ac secundis quidem prosperisque rebus, ardentissimam Deo omnipotenti gratiarum actionem, cum alias semper, tum ob reportatam nuper insignem de hoste Victoriam, persolvere non intermisimus; quod si vero aliquando (ut varia est inconstansque belli fortuna) sive ancipiti proelio dimicatum, sive insperato eventu pugnatum est, sane tam prompte vires operamque nostram in sublevamen nutantis aut laborantis Causae publicae contulimus, ut necessitatis magnitudine adducti, amplius etiam, quam per vires liceret, tum iterata Tyronum Militum statutione, tum gratuita aeris parati suppeditatione audere praestareque conniteremur.

Homagialium ejusmodi obsequiorum nostrorum memoria poterat quidem spem nobis omnem adimere, occasione hac, qua gravem tum aerarii Majestatis Vestrae Sacratissimae necessitatem, tum Exercitus Caesareo Regii diminutionem in duplici Benigno de dato 21. Mensis Augusti emanato rescripto nobis significatam intelleximus, paria audiendi; quando tamen causam publicam non uno in loco in summum discrimen adductam nobiscum reputavimus, tanto accensi sunt animi omnium in Clementissimam Principem devotionis ardore, ut non quid per vires, quas profecto exhaustas sentimus, liceret, sed tenuitatis Nostrae prope obliti, unice quid salus publica, quid homagialis Nostra in benignissimam Dominam pietas a nobis postulet, spectare sustineremus.

Atque utinam pares nobis cum caeteris haereditariis Majestatis Vestrae Sacratissimae provinciis, quibus et solum obtigit felicius, et limites patent latius, et pecuniae vis major influit, vires suppeterent; zelus certe est, fuitque semper nulli secundus; sed hic quidem quanto major ferventiorque in nobis erat, tanto alacrius, urgente necessitate, tenues vires Nostras summo Majestatis Vestrae Sacratissimae servitio immolavimus, hacque ratione effecimus, ut impensis jam extremis mediis omnibus, nihil fere quod addi a nobis possit, in potestate Nostra reperiamus: sive enim summam praeteritorum annorum sterilitatem, sive oeconomiae hujatis, exiguos ultra quotidiani victus necessitatem fructus ferentis, rationem, sive salariorum, quae nulla potius quam exigua nominanda sunt, conditionem, sive demum aeris alieni, quo tam in publico, quam in privato premimur, gravitatem, atque ex his omnibus enatam, publice notam universalemque aeris penuriam reputemus, profecto nullibi sufficiens rebus nostris, non dicam ad cogendas pecunias, sed vel ad vitam commode degendam praesidium invenimus.

Dignetur proinde Majestas Vestra Sacratissima imbecillitatem virium nostrarum in clementissimam considerationem sumere atque hanc, quam non capa-

citatis Nostrae fiducia, sed unice zeli fervore abrepti, partim ex spontanea privatorum, ac praecipue Episcopi Clerique Ecclesiae Zagrabiensis oblatione, partim imo maxima in parte ex contracto mutuo aegerrime conflavimus, viginti millium florenorum Summam titulo doni gratuiti solita benignitate suscipere, simul autem erga axhaustas vires Nostras Materna Clementia et compassione commoveri, et clementi illo, quem Majestati Vestrae Sacratissimae innatum veneramur, animo metiri, an oblata binis jam vicibus non magna ea quidem, vires tamen nostras superante. atque ideo attracto aere alieno comparata summa, sive modus, sive facultates nobis amplius superesse possint, necessitates Majestatis Vestrae Sacratissimae sine ruina Nostra posthac sublevandi.

Ex hac Nostra Benignas Intentiones Caesareo Regias secundandi promptitudine dignetur Majestas Vestra Sacratissima persvasum habere, Nos equidem benigno Majestatis Vestrae Sacratissimae circa Tyrones Milites statuendos desiderio pari promptitudine responsuros fuisse; sed dum per oblatam hactenus numerosam eorum statutionem tam colonos, quam Banderialistas ita exhaustos esse conspicimus, ut sessiones complures hospitibus destitutae in Desertas abiverint, quarum onus nec aliis sine injuria imponi, nec sine contributionis defectu defalcari posset, non possumus non sorti Nostrae majorem in modum indolere, quod pares amplius haud simus, ultra ea, quae hactenus fecimus, quidquam praestandi; nam praeterquam quod populosiores Regni Partes per eductos binis jam vicibus, majore sane numero, Tyrones, minus autem populosae Incolisque destitutae praestituto aeque proportionato concursu enervatae jam sint; insuper non possumus Majestatem Vestram Sacratissimam celare, quod nec modalitas quidem ulla hac in re nobis amplius supersit: nam conductionem quidem, hactenus quoque in Civitatibus et alibi passim tentatam, minime tamen successisse palam constat; per Capturam autem hactenus susceptam subditos omnes tanto terrore perculsos experimur, ut omnes jam Regni concursus suspectos habeant, semper veriti, ne de illis ad rationem Tyronum denuo comprehendendis deliberetur, unde porro fit, ut fuga e vestigio se subducentes aut ad Ditiones Turcicas emigrent, aut in Sylvis latitantes, sessiones quidem desolatas, vias autem infestas reddant, imo in persecutores suos (uti recentia nuper exempla testatum faciunt) tantopere sint animati, ut vulnera etiam, ac tantum non necem inferre haud formident. Quapropter dum Tyronum Militum statutionem praestari a nobis sine desolatione Patriae amplius haud posse de genu detegimus, non possumus non de congenita Majestatis Vestrae Sacratissimae Clementia quam optime sperare, eandem nulla prorsus ratione admissuram, ut Patria Civibus, rus agricolis, Domini subditis. et quod praecipium esse duximus Cassa publica Contributione privetur.

Exposuimus coram Majestate Vestra Sacratissima calamitatem imbecillitemque nostram ea, qua subditos coram optima Principe opertet, ingenuitate; quae omnia Spectabilis ac Magnificus Comes Regnorum horum Banus, a nobis eatenus peculiari cum fiducia requisitus, coram uberius Majestati Vestrae Sacratissimae est declaraturus. Reliquum jam est, ut humillimas de genu gratias Majestati Vestrae Sacratissimae reponamus, quod clementer nos affidare dignabatur, praestita hactenus a nobis obsequia, velut unice necessitatis gravitate spectata, suscepta, nec Cardinali Nobilium praerogativae, per Articulos etiam 28. 29. Ferdinandi I. Decreti 5., fine propulsandi e visceribus Regni Turcae ab Hungaria, conditos, in

salvo relictae, atque per Articulum quoque 8. Anni 1741. satis omnino salvatae, neque Articulo 63. 1741., onus supplendi Legionis Hungaricas a Statibus et Ordinibus amoventi, praejudicatura, aut in consequentiam unquam esse trahenda.

Quod supremum est, Majestatem Vestram Sacratissimam humillimis de genu precibus exoramus, dignetur in hactenus a nobis homagiali promptitudine oblatis pecuniis Tyronibusque Clementissime conquiescere, ac postquam extrema omnia fecimus, iisdem benignissime contentari. Nos vero Patriam nostram in sinum gratiarum Majestatis Vestrae Sacratissimae de genu supplices reponentes, homagiali in subjectione emorimur etc.

### Articulus Decimus Quintus.

*De elaborata Dicae et Impositionis Regni repartitione.*

Quandoquidem ad mentem Benigni Suae Majestatis Sacratissimae mandati, intuitu Regulationis Comitatuum, ad Dominos Status et Ordines emanati Catastrum cujusvis Comitatus Ejusdem Supremo Comiti resignari, adeoque incassatio quoque Perceptorum Comitatensium inchoari deberet, ad id vero repartitio Dicae ac Impositionis Regni, Anno hoc alioquin ad finem jam vergente, praerequiretur, hinc repartitio tam pro generali Regni Exactore quam et Comitatensibus Perceptoribus in publico elaborata est, modalitate sequenti etc.

(*Caeteris exmissis.*)

**Oiginale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1760. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

***Articulus Generalis, Anno 1760. 22. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consiliarii Camerarii, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, et Tabulae Banalis Legalis Praesidis,

Zagrabiae, pro 22. et sequentibus Mensis Maij Anni 1760 diebus celebrata Congregatione.

### Articulus Primus.

*De erigenda Turma Praetoriana.*

Perlectis pretiosis Excellentissimi Domini Cancellarii Hungarico-Aulici Comitis Nicolai Palffy Litteris, Jussu Caesareo Regio sub dato 26. Mensis praeteriti Aprilis Anni currentis, ad Dominos SS. et OO. emanatis, siquidem ea esset benigna Suae Majestatis Sacratissimae mens et intentio, ut pro honore Nationis Hungaricae Nobilis Turma Praetoriana Ungarica, Centum viginti Capitibus constans, ab obsequiis Suae Majestatis Sacratissimae futura, sub modis et Conditionibus ibidem uberius circumscriptis erigatur: peculiarem gratiam illam Suae Majestatis Sacratissimae subditali in subjectione venerati sunt Domini SS. et OO., quod Gloriae honorisque hujus Patriae etiam istius filios participes reddere dignabatur. In reliquo vero Suae Excellentiae Domino Comiti Cancellario rescribendum decreverunt Domini Status, quod etsi in subsidium 80000 fl. in erectionem praefatae Turmae necessariorum, spectatis extreme exhausti Regni hujus Circumstantiis, a DD. SS. et OO. praestari nihil fere possit; ne tamen in offerendo defuisse videantur Domini SS. et OO., quatvor Millia florenorum, ad rationem Cassae Regni quotannis mutua levanda, et eum in finem convertenda decreverunt Domini SS. et OO., ea tamen cum Cautella, ne onus hoc ultra quam usque ad stabiliendam cum Ser. Borussiae, quocum modernum geritur Bellum, Rege pacem duret, ea vero conclusa in Litteris Praetitulati Domini Comitis Cancellarii assumpta cessaret, subsidium etiam isthoc penitus evanescat; hunc porro in finem mutuo levandi praefatos quatvor Mille florenos potestas Domino Supremo Regni Exactori conceditur, Domini autem Creditores de persolutione, tam Capitalis quam Interusurii affidantur. Caeterum provinciam, Ejusmodi Juvenes Suae Majestati e patriae filiis proponendi, Suae Excellentiae Domino Comiti Bano Domini SS. et OO. plena cum fiducia detulerunt, scribendasque Suae Excellentiae Domino Comiti Cancellario Litteras improthocolandas decreverunt.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1760. MENSE JULIO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, A. 1760. 3. et sequentibus Mensis Julii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub

Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consiliarii, Camerarii, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, et Tabulae Banalis Legalis Praesidis, Zagrabiae, 3. et sequentibus Mensis Julii Anni 1760 diebus celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Sextus.

*De partibus Maritimis Comitatui etiam quoad Judicialia subjiciendis.*

Quod Sua Majestas Sacratissima vigore Benigni sui, die 12. Mensis Junii ad Suam Excellentiam Dominum Comitem Banum emanati Mandati, inter alia illud etiam clementer resolvere dignata sit, ut Buccarensis Bancalis Administratio praescripto Articuli 52. 1741. adamussim semet conformare debeat, humillimas profunda in submissione Domini Status et Ordines gratias reponunt.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1761. MENSE JANUARIO. VARASDINI.

*Articuli Generalis, Anno 1761, 8. et sequentibus Mensis Januarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Magni Equitis, Generalis Campi Mareschalli, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regnorum Banalium Colonelli, Sacrae Caesareae et Regio Apostolicae Majestatis Consiliarii. Actualis Intimi Camerarii, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, et Tabulae Banalis Legalis Praesidis, pro

8. et sequentibus Mensis Januarii diebus 1761, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quintus.

*De elaboranda Dicae et Impositionis Regni Repartitione.*

Pro Anno 1760 recens praeterito repartitione hactenus nondum facta, ad eandem ellaborandam deputantur sequentes: Illustrissimus Dominus Comes Petrus Troillus a Sermage, Suae Majestatis Sacratissimae in Confiniis Regni Banalibus Colonellus, Camerarius, Dominus Reverendissimus Abbas Georgius Mallenich, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Canonicus Senior et Lector, de Lomnica Sacratissimae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarius, Dominus Joannes Busan, Suae Majestatis Sacratissimae aeque Consiliarius et Supremus Regni Exactor, Dominus Antonius Jankovich, Sacratissimae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarius et Crisiensis Ordinarius, et Dominus Alexander Michael Mallenich, Zagrabiensis Comitatus Substitutus Vice-Comes, Dominus Georgius Horvath, Perceptor Comitatus Varasdinensis, Dominus Ladislaus Szalle, et Actuarius Dominus Balthasar Nesser relationem ejusmodi operis in publico facturus.

### Articulus Nonus.

*De Diplomate Turmae Praetorianae.*

Sua Majestate Sacratissima in benigno de dato Viennae Austriae die 26. Mensis Septembris 1760 ad Dominos Status et Ordines exarato mandato concessas jam ante Nobili Turmae Praetorianae praerogativas denuo Clementer firmante, et additum novum pro Regiae Suae potestatis et authoritatis plenitudine in normam Privilegii redactum Diploma memoratae praetoriae Nobilium Turmae elargitum in Copia submissum benigne Communicante, idem quoque Lectum et publicatum est.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1761. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1761. 14. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

**Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinium Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub Prae-**

sidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Generalis Campi Mareschalli, praefatorum Regnorum Bani, eorundem Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacrae Caesariae et Regio-Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis et Tabulae Banalis Legalis Praesidis, pro 14. Mensis Maji Anno 1761, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

## Articulus Quartus.

*De mittendis ad Castra ex Confiniis Regni Banalibus Mille quingentis Militibus.*

Posteaquam Benignum Suae Majestatis Sacratissimae Mandatum 6. Mensis Maji Anni currentis ad Dominos Status et Ordines distincta sane Benignitate in eo emanatum, quatenus, id exposcente summi Servitii Caesareo Regii ratione, ex Confiniis Regni Banalibus Mille quingenti Milites ad Castra Caesareo Regia mittantur; insuper vero urgente Belli praesentis vicissitudine tot militum armatorum, quot ex iisdem Confiniis deinceps etiam educere possibile fuerit, interea eum in modum colligantur, itaque parati et Instructi teneantur, ut subsequente primo benigno Mandato illico versus exercitum movere possint, publice lectum ac publicatum est: Sua Excellentia Banalis, negotio moram non paciente, praemissam Militiam hactenus jam ad Castra expedivisse, et circa futuram eatenus appromptationem necessaria jam disposuisse se declaravit, Domini vero Status et Ordines hoc ipsum Benignum Rescriptum, ut improthocolletur, determinarunt. Cujus tenor est:

Maria Theresia Dei Gratia Regnorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae.

Reverendi Honorabiles Spectabiles, ac Magnifici, Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non prudentes ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Quandoquidem summi servitii nostri ratio exposcat, ut ex Confiniis Banalibus cum initio mensis hujus non tantum Mille quingenti Militis ad Castra Nostra Caesareo Regia mittantur, verum etiam urgente praesentis Belli vicissitudine tot adhuc Militum armatorum, quos ex iisdem Confiniis deinceps etiam educere possibile fuerit, interea eum in modum colligantur, ac pro exigentia summi servitii nostri parati instructique teneantur, ut subsequente primo Benigno Mandato Nostro illico Exercitum versus sese movere possint.

Idcirco quemadmodum Fidelitatum Vestrarum pronum in secundandis omni occasione Benignis Intimationibus Nostris Regiis non minus, ac tuendis Causae publicae rationibus studium, zelum et fervorem hactenus etiam cum solatio simus expertae, ita plene confidimus, futurum ut Eaedem in praemissis quoque decla-

ratum Benignum desiderium Nostrum suum ad effectum omni possibili cura et industria promoturae, hacque ratione tam de nobis, quam et causa publica ultronee quoque bene mereri sint enituræ. Quibus de reliquo Gratia et Clementia Nostra Caesareo Regia Benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae die 6. Mensis Martii Anno Domini Millesimo Septingentesimo Sexagesimo primo.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolaus Palffy m. p.

Franciscus Skerlecz m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus etc. Fidelibus nobis dilectis. Varasdini.

*(Locus Sigilli Regii)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1762. MENSE JANUARIO. VARASDINI.

*Articulus Generalis, A. 1762. 7. et sequentibus Mensis Januarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, Generalis Campi Mareschali, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Legalis Praesidis, pro 7. et sequentibus Mensis Januarii Anno 1762, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quintus.

*De elaboranda Dicae et Impositionis Regni repartitione.*

Pro Anno recens praeterlapso 1761 Dicae et Impositionis Regni repartitione necdum peracta, ad elaborandam eandem ordinatur deputatio sequens:

Sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Cristophori Orsics ab Orsics-Vara, Equitis Aurati, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Camerarij, Consiliarij et Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, Reverendissimus Dominus Joannes Kukuljevics, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Canonicus, Protonotarius Apostolicus, Praepositus Infulatus B. V. M. de Szimegh ac Praefectus Metlicensis, Dominus Regni Prothonotarius ac Suae Majestatis Sacratissimae Consiliarius Petrus Skerlecz de Lomnicza, Dominus Supremus Regni Exactor Nicolaus Skerlecz de Lomnicza, altefatae Majestatis Suae Sacratissimae Consiliarius, Dominus Consiliarius et Officij Supremi Comitis Comitatus Crisiensis Administrator Antonius Bedekovics, Dominus Ordinarius Vice-Comes Comitatus Varasdinensis Georgius Petkovics, Dominus Michael Mallenics Comitatus Zagrabiensis Substitutus Vice-Comes, Dominus Judex Civitatis Varasdinensis, quibus pro Actuario adjungitur Dominus Sigismundus Komaromij; relationem ejusmodi operis in publico facturi.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1762. MENSE FEBRUARIO. VARASDINI.

*Articulus Generalis, A. 1762. 22. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatuum Commaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 22. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Anno 1762, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De 10000000 ad fidem publicam mutuo levandis.*

Magna fidelium animorum cum consolatione perceperunt Domini Status et Ordines ex Benigno Suae Majestatis Sacratissimae Rescripto, sub dato 28. Mensis Januarij Anni labentis, singulari benignitatis Caesareo-Regiae cum testificatione ad se emanato, maternum illum Augustissimae Dominae suae erga

se animum, quo complecti dignatur fidelia eorundem servitia, et antea semper, et a tempore Belli hujus Borussici cumulata. Supremam bene gestis manum imposituros declarat Sua Majestas Sacratissima SS. et OO., si in moderna gravissima aerarij Caesareo-Regij necessitate interposita fide publica tantum Argenti in aerarium suum inferri posset, quantum pro futuro campi ductu adhuc desideratur. Desiderat nempe Sua Majestas Sacratissima, ut Suae Excellentiae Domino Comiti Regni Hungariae Palatino Plenipotentia Nomine Dominorum quoque Statuum et Ordinum detur, de levandis mutuo, erga quinque vel etiam sex per centum Interusurium, decem Millionibus florenorum; de hujus autem summae renumeratione quo securiores esse possint Domini Status et Ordines, Regias Assecuratorias Litteras, in Archivo Regni Hungariae conservandas, ac in Authentica Copia Dominis quoque Statibus et Ordinibus extradandas, se extradaturam spondet; simulque pro speciali Hypotheca Vectigal Tricesimae et Proventus salis designat obligatque; nihil magis anxie cupiens, quam ut hac in re voti compos reddatur. Gravia Dominis Statibus et Ordinibus succurrerunt circa rem hanc rationum momenta, quando praeprimis reputarunt, quod, cum obligatio haec communi cum Hungariae Regno nomine assummi deberet, respectu Hungariae vero negocium novi oneris assummendi extra Diaetam tractari conficique nequeat, modalitas omnis Dominis Statibus et Ordinibus subtraheretur, vota Augustissimae explendi, praecipue vero cum Contributionis Regnorum horum negocium cum Contr butione Hungarica permisceri non possit, hujus obligandi provincia Excellentissimo Domino Comiti Palatino sine gravi authoritatis Banalis praejudicio deferri per Dominos Status et Ordines nequeat. Accedit, quod cum fidejussoria cautio in solidum obligationem importet, in Casum Solvendorum aut Interusuriorum aut Capitalium alterutrum sequi deberet, vel quod praegravata misera Plebs tanto oneri succumberet, vel quod per creditores ejusmodi Capitalium Praerogativa Nobilitaris in discrimen adduceretur onerisque fundo inhaesio praetenderetur. Sed his omnibus major est Impossibilitatis ratio, quod Domini Status et Ordines, ut maxime cuperent, in statu non sint, modernis Suae Majestatis Sacratissimae necessitatibus ea ratione subveniendi; nam quia praeter 27 Millia florenorum Capitalium passivorum, quatvor item Millia in usus Nobilis Turmae Praetorianae designata, (ne quid de duodecim Millibus Suae Majestati Sacratissimae mutuo elocatis adducatur) nihil sit in Cassa reliquum, nisi stipendiorum tum Militarium, quam Provincialium exolutio; qui fundus, quia privatis ejusmodi jam obnoxius foret, statuique personali adaequate admensus atque adrepartitus haberetur, alteri cuipiam sine periculo fidei publicae obligari nequiret. Ex his proinde ponderosissimis rationum momentis determinarunt Domini Status et Ordines, Suae Majestati Sacratissimae rescribendum esse, quod homagiali eorum promptitudini Impossibilitas rei obstet, atque ideo altefatam Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam venire, ut Dominos Status et Ordines a novo hocce onere clementer immunes conservare dignetur.

*(Caeteris exmissis.)*

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1762. MENSE MARTIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1762. 24. et sequentibus mensis Martii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum in Generali Eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd. perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanaei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 24. et subsequentibus Mensis Martii diebus, Anni 1762., Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De 10 Millionibus mutuo levandis.*

Ad humillimam Dominorum Statuum et Ordinum Repraesentationem, in negocio levandorum mutuo ad fidem quoque Regnorum horum decem Millionum ex postrema Generali Eorundem Dominorum Statuum et Ordinum Congregatione demisse expeditam, emanatum Benignum Suae Majestatis Sacratissimae Explanatorium Mandatum intelligentes Domini Status et Ordines, Suas eatenus reflexiones, cum homagiali benignas Caesareo Regias Intentiones ex possibilitate Sua secundandi promptitudine conjunctas, subditali cum subjectione denuo perscribendas, simulque et benignum Mandatum illud, cum accessoriis, et eatenus subsecutam repraesentationem huic Acto per extensum subnectendum esse determinarunt.

*Mandati tenor sequens:*

Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix, Germaniae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archidux Austriae etc.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, Fideles Nobis Dilecti. E demissa Repraesentatione, quam Nobis Fidelitates Vestrae sub dato 22. Mensis Novissime elapsi submiserunt, ubertim intelleximus, quo Animi Sensu Benignum Nostrum Rescriptum sub 18. praeteriti Mensis Januarij expeditum susceperint. Ut fidelitatum Vestrarum fidem, pietatem, subveniendi ardorem praenotata Repraesentatio testatur, ita rationum momenta ab iisdem hac in re exposita eo referri authu-

mamus, ut ea omnia e medio submoveantur, quae Complemento desiderij nostri, quo in praesente rerum Articulo una Nos adduxit summa necessitas, morem possent objicere. Inde est, quod dum praeclarum Fidelitatum Vestrarum Erga Nos et causam publicam zelum a summis studijs, quibus Jura Praerogativasque Suas tutas praestare cupiunt, metimur, futurum prorsus non ambigamus, ut Vota Nostra cum Regnorum Nostrorum Commodis conjuncta si unquam, hoc cumprimis tempore omni ulteriore mora abrupta expleantur. Equidem postulatum nostrum ex eorum genere est, quae in Regnorum Comitiis discuti solent alias; at Comitia nunc quidem cogi temporis Angustiae prohibent. Quemadmodum autem nullatenus ea est Intentio Nostra, ut quae ad Diaetas spectant, per privatos tractatus abinde abstrahuntur, ita certas reddimus Fidelitates Vestras, ut primum Deo Auspice alma Pax revecta fuerit, id nobis praecipuo inter reliquas Regnorum Curas Loco futurum, ut in Comitijs mox attunc agendis horum quoque Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnorum Nostrorum felicitati quaqua licebit provehendae Regiam impendamus sollicitudinem. In novo hoc eventu nihil de Sacerrimis Legibus detrahetur. Quam alienae ab eo simus, ut Regnorum Nostrorum Hungariae Croatiaeque Ordines Cautionem super anticipandis Decem Millionibus, cum propriarum Facultatum Suarum periculo assummant, inde ubertim liquet, dum rem ea ratione agi constituimus, ut fundum illum excontentationis ex Contributione, et proventibus Salis et Tricesimarum, qui Nostri sunt, profluentem pro plena Securitate ad Nostram Regiam suamque fidem Liberandam recipiant, porro hunc in Creditores illos transcribant, qui pecunias reipsa numerabunt, atque sic iidem Creditores pignus seu realem Hypothecam in memoratis fundis sibi constitutam obtinentes Annuos Census, evolutis vero Solutionum Terminis, ipsam mutuatam sortem, quin ullum onus memorata Regna Nostra exhinc maneat, recipiant; sed neque illa est voluntas et Intentio Nostra, ut ex hoc incidente sive oneris fundo inhaesio, aut Cautio pro Conventa Contributione quaqua ratione inferatur, cupientes praenotatorum quoque Regnorum Nostrorum Universos Status et Ordines in justis suis Juribus, Praerogativis et Benignis Concessionibus clementer conservare.

Remotis itaque hac ratione ac sublatis difficultatibus, quae amplectendis Nostris Consiliis moram adusque injecerant, spe ducimur futurum, ut Fidelitates Vestrae de hac Benigna voluntate et sincero adeo Animi Nostri sensu edoctae, missis omnibus Ambagibus pronis Animis, quemadmodum ex parte Veroczensis et Posegani Comitatuum, Regno Croatiae equidem applicatorum, at vero, qui publicam Contributionem eo perinde ac reliqui Regni Hungariae Comitatus modo quotannis praestant, cum multa sui commendatione factum jam est, votis Nostris plene subscribant.

Ad Felicem itaque operis Consumationem, tam Nostrarum Regiarum Assecuratoriarum Litterarum. quam et Litterarum Obligatoriarum omnium Regni Nostri Hungariae et partium ei annexarum Comitatuum, atque adeo Hungariae, et quae ad ejus Coronam spectant Regnorum Nomine per Regium Nostrum Locumtenentiale Consilium, cui Comes Regni Hungariae Palatinus praeest, quodve rem Contributionis ex ipso Regni Legum praescripto pertractandam habet, expediendarum formam Fidelitatibus Vestris transmittimus, Easdem majorem in modum hortamur, pro eo nunquam satis commendando studio, quo summam Servitij Nostri, gloriae item et commodi repetitorum quoque Regnorum Charae Nobis Gentis

in vota Nostra quantocyus convolent, idque fiat, quod Ipsae Fidelitates Vestrae pro sagacitate Sua perspiciunt, integris Regni Legibus Constitui omnino posse.

De Rebus igitur ad optatum exitum perductis, gratum Nuncium a Fidelitatibus Vestris hoc adhuc mense Avidi Sane, cum res moram non ferat amplius, praestolamur. In reliquo Fidelitatibus Vestris gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne jugiterque propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae, die quarta Mensis Martij, Anno Domini Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo Secundo.

Maria Theresia m. p.

Comes Nicolaus Palffy m. p.

Ladislaus Batta m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus Nobis dilectis. Zagrabiae. Ex Officio.

(Locus Sigilli Regii.)

*Assecuratoriarum Tenor:*

Maria Theresia &c. Damus pro memoria, ac cumprimis Comitem Palatinum, Praelatos, Barones, Magnates, Nobiles, Status demum ac Ordines Regni Nostri Hungariae universos edocemus: Ingenti Nos perfusas fuisse Laetitia, ubi intelleximus, quam Cordi Sibi memorati Regni Ordines Nostram Regnorum Nostrorum Incolumitatem ducant. Nam ut alia Insignia prorsus et in omnium oculis posita praeclara totius Regni Merita praetermittamus, nuper admodum, ubi primum Iidem Regni Status et Ordines intellexerunt, decem Milliones Florenorum a Nobis desiderari, quo Bellum, una Hostium Nostrorum ambitione inchoatum, ingentique pervicatia Sextum jam in Annum Summo nostro dolore gestum prosequique Laetiore successu, quem a Numine expectamus unice, liceat, Communi Liberrimoque Consensu annuerunt, ut interposita publica totius Regni fide, eam Pecuniam unde demum mutuam sumeremus. Porro singulari zelo et Studio praedicti Comitis Regni Palatini, cui rem omnem pertractandam Iidem Status et Ordines repetiti chari Nobis Hungariae Regni crediderunt, eorum item, quorum opera Is ea in re usus fuit, praenotata Argenti vis Aerario Nostro ea ratione hisque sub Conditionibus illata est: Ut Stati census a quinque et respective sex per centum singulo Semestri rite pendantur; porro evoluto, post instauratam pacem, integro sexennio, Renumeratio Sortis, unum Millionem florenorum quotannis solvendo, initium summat. Ingens id, et majus pene quam sperare poteramus munus cum per turbida haec tempora remunerari Nobis haud liceat, pro nunc ad minus securitati et incolumitati Regni consulere volentes, eidem reditus omnes, qui a Regni totius annexarumque ei provinciarum tributis, quae Contributionum veniunt

nomine, aerario Nostro dependendi alioquin essent, tenendos in Securitatis pignus ita transcribimus et in Sacro verbo Nostro Regio obligamus, ut si quando nec Summae mutuo datae Pecuniae, nec Stati census a Nobis persolverentur, utut eum in finem et numerata publica Regni Contributione tum census, cum et ubi Sortis modo praevio remuneratio inchoabitur, hujus constitutum quotannis peculiariter excindetur, et ad dispositionem memorati Comitis Regni Palatini vigore assignationum nunc pro tunc expeditarum per Regium Nostrum Locumtenentiale Consilium immediate incassabitur in exolutionem illorum, qui in hanc decem Millionum Summam mutui quid contulerint, Titulo interusurij, et successive etiam in praestatutis Terminis ipsius Sortis convertendum Regno Universo Liberrimum sit, memoratam Contributionem tamdiu tenere, donec Summae Capitales cum suis Usuris renumeratae non fuerint; insuper vero salis quoque, et Tricesimae, ac Bonorum Cameralium Proventus, Regum proprios, pro speciali Hypotheca constituimus; porro in uberiorem Creditorum Securitatem declaramus, pecunias has mutuo datas Privilegio illo gaudere, quo Singraphae Bancales gaudent, neque ullo unquam onere premendae sint. In quorum omnium robur et firmitatem majorem Litteras Nostras memorato Comiti Palatino ac per eum Universis Regni Nostri Hungariae Statibus et Ordinibus extradandas esse duximus, remunerata ex integro Sorte, Nobis iterum restituendas. Datum &c.

*Obligatoriarum tenor ;*

Nos Comes Ludovicus de Batthyan, Perpetuus in Nemeth-Ujvar, Regni Hungariae Palatinus et Locumtenens Regius, Aurei Velleris Eques, Sacratissimarum Caesareo-Regiarum Majestatum Actualis Intimus Consiliarius, Tabulae Septemviralis et Consilij Locumtenentialis Praeses, nec non ejusdem Consilij Locumtenentialis Consiliarij damus pro memoria: Quoniam Sua Sacratissima Majestas (titulus) pro Sumptibus ad continuandum adeo cruentum et atrox Bellum, ac tandem procurandam honorabilem et constantem pacem inevitabiliter necessariis, velut in alijs haereditariis Provinciis, ita etiam ad haereditarii sui Regni Hungariae fundum decem Millionum Florenorum creditum, tam intra, quam extra Regnum procurandum, erga omnimodam plenissimamque Creditorum Securitatem levare constituerit; eatenus porro rem cum Statibus et Ordinibus Universorum Regni Hungariae et partium ei annexarum Comitatuum, ut nimirum Iidem fidem nomenque suum interponerent, rem agendo et pertractando, ex Universorum Creditorum adaequata et plenaria Securitate ipsum fundum Contributionalem Hungariae ex pactis Regni Diaetalibus profluentem, et in quantum hic quacunque demum ex ratione deficeret, aut debito tempore haud influeret, Camerales quoque Proventus suos, signanter ex Tricesima et amplissimo fundo Salis provenientes in sortem realis Hypothecae pro indubia et plenaria Creditorum Securitate, ac ea cum declaratione benignissime constituere sit dignata, ut anticipandae Summae Interusurium a per Centum de medio in medium Annum exactissime Creditoribus ex fundo Contributionali praeferenter omnino, Capitale autem evolutis a tempore conclusae pacis sex annis, quolibet anno in uno Millione, ex iisdem fundis, vigore jam impertitae benignae resolutionis, et nomine regio expeditarum Assecuratoriarum Litterarum, inque hujus consequentiam nunc pro tunc jam etiam extradatarum Assignationum, ac quibusvis fatalitatum Casibus aut impedimentis

non obstantibus, cum exactissima Statutorum terminorum observatione rite et quam exactissime creditoribus persolvantur. Postquam vero supramemorati Universorum Comitatuum Status et Ordines adeoque Regnum omne, ut alias, ita etiam in hoc eventu desideriis S. C. et R. A. Majestatis Suae unanimi assensu Summis omnino devotissimi Obsequij Studiis subscripserunt, eaque prorsus ratione, qua a Summefata Sua Sacra Majestate praenotatos fundos recipiunt, hos vicissim in Creditores illos, qui pecunias effective et realiter anticipant, transcribendos, Iisdemque in securitatem pro reali Hypotheca inscribendos declararunt, consecutive data mihi Regni Palatino Regioque Locumtenentiali Consilio plena potestate, ut Creditoribus singulis obligatoriae Litterae, Subscriptione et authentico ejusdem Regij Locumtenentialis Consilij Sigillo munitae, expediantur, quae plenariam omnino efficaciam, robur et firmitatem sunt habiturae. Penes quarum Expeditonem omnes fideles Creditores omnibus illis immunitatibus, Praerogativis et Concessionibus, quae ex Regia Benignitate et Munificentia in Benignis Obligatoriis seu Assecuratoriis Litteris Regiis fusius exprimuntur et contineutur, fruentur et gaudebunt. Quarum Litterarum Assecuratoriarum Regiarum tenor sequens est (ut supra).

In quorum proinde fidem Dominum N. N. super anticipatis et effective numeratis 1000 florenis non modo praesentibus quietamus, sed et insuper securum omnino reddimus, quod non modo Interesse suum de medio in medium Annum ex Cassa Contributionali, et respective Camerali, sed ipsum etiam Capitale in Statutis per Regias Assecuratorias Litteras Terminis rite, et absque omni defalcata seu exceptione sit accepturus, praesentium obligatoriarum, ex attributa Nobis potestate per nos expeditarum, Subscriptionibus authenticoque Regij Locumtenentialis Hungarici Consilij Sigillo munitarum, ac eodem Domino Creditori pro sua, suorum, et Cessionariorum suorum plenaria securitate extradatarum et consignatarum, post Capitalis Summae exolutionem Nobis in specie et ipso Originali restituendam, vigore et testimonio mediante.

*Repraesentationis Tenor :*

**Sacratissima Caesarea et Regia Apostolica Majestas,**

**Domina Domina Clementissima!**

Dum e Clementissimo Majestatis Vestrae Sacratissimae Explanatorio rescripto sub dato 4. Mensis labentis, in negocio mutuo Summendorum 10 Millionum ad Nos emanato, innatam Majestatis Vestrae Sacratissimae Clementiam, qua in submovendis illis, quae benignae ejusmodi Majestatis Vestrae Sacratissimae intentioni moram hactenus injecerant, difficultatibus, candidissimum Animi Sui Caesareo-Regij Sensum ubertim testari dignabatur, abunde iterum perspeximus; non potuimus non novo erga Clementissimam Dominam homagialis Obsequij fervore exardescere, Conatusque nostros omnes eo intendere, ut ratio quaepiam inveniri constituique posset, qua salvis Privilegiis, Praerogativis et facultatibus Nostris, adeoque integris Regni Legibus benignae Majestatis Vestrae Sacratissimae menti intentionique, spectatis cumprimis arduis belli hujus exhaustique Aerarij Caesareo-Regij circumstantiis, fieret satis.

Sollicitos interim attentosque nos reddidit profundior desiderati a Nobis ad extradandas Nomine quoque Nostro obligatorias consensus, sive quoad naturam cautionis et fidejussionis hujusque effectum, sive quoad manipulationem, Consilio Regio Locumtenentiali Hungarico delatam, consideratio; nam haec quidem Systemalibus Regnorum horum Legibus in hisque fundatae Banali Auctoritati ita praejudiciosa est, ut nulla omnino suppetere possit modalitas, qua res haec ex parte nostra illaesa auctoritate Banali per idem Consilium Regium Locumtenentiale tractari atque manipulari valeret. Ipsam autem intrinsecam obligationis cujusvis naturam quando Nobiscum reputamus, siquidem profunda in submissione veneramur illam Majestatis Vestrae Sacratissimae Benignitatem, qua securos nos reddere, quod nullum exhinc onus Regna haec sit mansurum, sed eam inire rationem dignabatur, ut fundum excontentationis ex Contributione, e proventibus Salis et Tricesimarum profluentem, pro plena Securitate, ad Regiam Majestatis Vestrae Sacratissimae Nostramque fidem liberandam, recipiamus, porro hunc in Creditores illos transcribamus, qui pecunias reipsa numerabunt, atque sic Iidem Creditores pignus seu realem Hypothecam a memoratis duntaxat fundis sibi constitutam obtineant. Interim Indoles et Natura omnis sive coobligationis, sive Cautionis, sive fidejussionis, utpote obligationem in solidum inducentis, attentionem in animis omnium merito excitat, ne Creditores ejusmodi, qui videlicet non ex vano, neque ad speciem, sed pro securitate sua hanc in Regnorum Hungariae Croatiaeque Statibus et Ordinibus cautionem requirere videntur, solvendi quoque sive Interusurium sive Capitale Obligationem Nobis aliquando imponere adlaborent, hacque ratione efficiant, ut nec oneris fundo inhaesio, nec pro conventa Contributione Cautio (etiam praeter mentem atque intentionem Majestatis Vestrae Sacratissimae) possit evitari; nam illa quidem Securitas in Benignis Assecuratoriis contenta (ut si quando nec Summae mutuo datae, nec Stati census persolverentur, Regno universo liberrimum sit, memoratam Contributionem tamdiu tenere, donec Summae Capitales cum suis usuris remuneratae fuerint) etsi forte Hungariae possit Suffragari, Nobis certe, quorum Contributio, ut supra deduximus, ad obolum exhausta est, Patrocinari nihil unquam posset.

Ita nempe si, ut tenor sonat Obligatoriarum, Creditorem securum reddere debemus, quod non modo interesse suum ex Cassa Contributionali et respective Camerali, sed subinde ipsum etiam Capitale rite sit accepturus, fundus non suppetit, qui finem in hunc nomine Nostro posset obligari; sive enim obliganda per Nos Creditoribus sit Hungarica, sive hujas Contributio, illam velut ad Nos Nostramque administrationem nulla prorsus ratione pertinentem obligare Nos sine Hungariae, de cujus annutu nihil nobis constat, ressensu, ac sine assumpti ab olim hactenusque sancte semper observati de non influendo in negotium Contributionis Hungaricae Regnorum horum Principij violatione, nullo modo possumus; hujas autem Contributio, velut jam hactenus adaequate aliis obligata, atque ita adamussim, ut nihil omnino resultet, adrepartita, quod Novis Creditoribus, sine justae operariorum mercedis subtractione, vel fidei publicae in discrimen adducendae periculo Novis Creditoribus obligari nequeat, in nuperna demissa repraesentatione Nostra humillime remonstravimus.

Restat adhuc constitutus in salis, Tricesimae et Bonorum Cameralium proventibus pro Speciali Hypotheca fundus; qui tanquam Majestatis Vestrae proprius, quemadmodum dispositioni Maiestatis Vestrae subest, ita omnem pro altis-

simo Ejusdem beneplacito Obligationem recipit. In reliquo si noster quoque hanc in rem Consensus desideratur, non est, quod cunctemur; interea tamen quia media et Auctionaria Tricesima de Lege Regni nobis adjecta est, futurum indubie speramus, ne in hoc quoque incidenti Cassa Regni Publica detrimenti quid pati cogatur.

Quod proinde unice fieri a Nobis in hoc, quem deduximus, rerum statu potest, id hac ratione jam praestitimus; nihilominus si res in eo quoque vertitur, ut licet nullus Nobis, quem obligationi subjicere possimus, suppetat fundus, nostrum tamen ad levandos 10 Milliones consensum praebeamus; pro Constante Nostro benignas Majestatis Vestrae Intentiones secundandi Studio demisse omnino annuimus, ut si Creditores Satis sibi prospectum fore judicaverint, si Nos vel alienum, nostraeque Administrationi haud subjacentem, vel domesticum quidem Contributionalem, hactenus tamen alijs obnoxium, praeter proprium Majestatis Vestrae in Superioribus Commemoratum fundum obligaverimus, desiderati decem Milliones mutuo levari possint; illud tamen Majestatem Vestram de genu supplices exoramus, dignetur eam hac in re constituere rationem, ne sive Manipulatio Consilij Regij Locumtenentialis Banali Auctoritati quicquam praejudicet, sive Nos ullam novam hac ratione attraxisse Obligationem per Creditores Subsummamur, verum hoc etiam facto nihil, juxta Benignam Majestatis Vestrae declarationem, de Sacris Regni legibus detrahatur, nullam cum propriarum Facultatum periculo Cautionem assumpsisse videamur, denique ex novo hocce incidente ad mentem Articulorum 3. 1715, et 8. 1741. nulla siue oneris fundo inhaesio, sive Cautio pro conventa Contributione quavis ratione inferatur.

Homagialem hanc Benignis Majestatis Vestrae Intentionibus Cooperandi promptitudinem Nostram dignetur Majestas Vestra ita clementer suscipere, ut Calamitati Nostrae, ad majora quaeque praestanda minus sufficienti clementer compati, subditalem tamen devotionem Nostram Caesareo-Regia prosequi dignetur gratia et clementia, cui dum Nos, Patriam, Juraque et Immunitates profunda in subjectione Commendamus, una perenni in fide et fidelitate emorimur.

## Articulus Quartus.

*Dominus Medicus Michael Zappolati in Indigenam Regni recipitur.*

Habita insignium Clarissimi Domini Michaelis Zappolati, Medicinae Doctoris, in hoc Regno jam a Triennio praestitorum Servitiorum, exindeque sibi comparatorum Meritorum ratione; uti et Stabiliti ejusdem, tam per Stipendium Venerabilis Capituli, quam et Matriminium cum Nobili Patriae filia initum in Regno hocce domicilii reflexione: Domini Status et Ordines eundem Dominum Medicum in Regni hujus Indigenam receperunt, firmiter sperantes, eundem hoc modo receptum et ingremiatum, bonum semper Patriae Civem, quemadmodum solenne eatenus et legale in publico nuncupavit Sacramentum, futurum.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1763. MENSE MARTIO. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis, A. 1763. 11. et sequentibus Mensis Martii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

**Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali Eorundem, ex edicto et sub praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, eorundemque Regnorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani majoris Crucis Equitis, Sacrae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 11. et sequentibus Mensis Martii diebus Anno 1763, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.**

### Articulus Primus.

*De muniendis ternis Praesidiis Confiniariis.*

Posteaquam relata fuissent Dominis Statibus et Ordinibus ea, quae in Conferentia, Anno recens evoluto 1762. die 21. Mensis Decembris Zagrabiae sub Praesidio Suae Excellentiae Banalis celebrata, intuitu muniendorum adversus irruptionem Turcicam nonnullorum praesidiorum, uti et parandorum quorumpiam pro Casu irrupturi belli turcici necessariorum subsidiorum, acta et conclusa fuerunt; determinationes ejusmodi Conferentiales, velut ab approbatione totius Regni robur et valorem suum habere debentes, pensiculatius secum reputantes Domini SS. et OO., unanimi voto decreverunt: easdem, tum quod periculosae illae belli Turcici Circumstantiae in partem Favorabiliorem medio tempore mutatae majorem Regnis quoque his polliceantur securitatem, tum, quod propter subversans nefors eotum in mora periculum Festinato Consilio determinata subsidia, re penitus cognita Capacitatem DD. SS. et OO. omnimode excedere comperirentur, acceptari atque in effectum deduci nulla prorsus ratione posse, atque ideo omne exinde in praejudicium Regni hujus nefors deducibile praejudicium evitare cupientes Domini Status et Ordines in eo postremo conquieverunt: ut cum Notabilia robora aliaque nonnulla Materialia jam hactenus desecta et praemissum in finem praeparata forent, quo talis qualis eorum usus capi possit, ut inquam eadem in ternorum Praesidiorum in Confiniis existentium, hoc est Stationum Szlabina, Ded et Pedel, velut finitimorum et irruptioni vicini hostis magis expositorum Locorum reparationem aliquam convertantur, huncque in finem duo Processus ex Comitatu Zagrabiensi, Cheglianus utpote et Chehianus, ex Comitatu vero Crisiensi Dominium Montis Claudij ea ratione assummantur, ut sive ad Pallasatarum elaborationem atque devectionem (in quantum adhuc necessariae forent) requisitas vecturas suppeditare, sive ad erigenda Fossata et

Valla Manuales Laboratores, quippe ab unoquoque fumo binos administrare teneantur, laborque hic a 1. affuturi Mensis Maji initium summat, atque excluso Messis tempore, velut a gratuitis laboribus de lege etiam exempto, usque Festum St. Michaelis continuetur; duobus judicibus Nobilium Comitatus Zagrabiensis Laboratoribus, fine etiam extradandarum quietantiarum, praefuturis. Caeterum roboribus in quantum hactenus pro aliis quibusdam Stationibus desecta forent, sub eorum, quorum sunt Sylvae, Custodia relictis. In reliquo praemissa Pallessatarum Subministratio Vallorumque extructio, per Dominos Status et Ordines pro hac duntaxat vice sponte assumpta, ne sive ad alia quaepiam onera aut Subsidia extendatur, sive praejudiciosa quaepiam aut circa praementionatorum Trium praesidiorum Conservationem, velut per Confiniorum Statum Militarem in se assummi debitam, aut aliorum quorumpiam Locorum et Stationum munitionem, consequentia ullo unquam tempore inferri possit, Domini SS. et OO. per expressum cautum prospectumque esse volunt. Qua etiam ex consideratione summam quoque illam peccuniariam, quam ex postrema Generali Regnorum horum Congregatione titulo doni gratuiti Suae Majestati Sacratissimae demisse obtulerunt Domini SS. et OO., erga clementissimum altefatae Suae Majestatis Sacratissimae eatenus in benigno Mandato sub 14. Mensis Januarij Anni currentis emanato expressum annutum Statui Militari Confiniario per Generalem Regni Exactorem eo fine Consignandam determinarunt Domini SS. et OO., quo expensae in praemisso labore nefors necessariae ad vires ejusdem summae exinde fieri possint. Intuitu vero omnium praemissorum demissam Suae Majestati Sacratissimae relationem submittendam Statuerunt Domini Status et Ordines.

### Articulus Sextus.

*De decem Millionibus mutuo levandis.*

Benignae Suae Majestatis Sacratissimae Patentales, intuitu levandorum mutuo ad fidem Regni Hungariae et partium eidem adnexarum publicam decem Millionum emanatae, una cum assecuratorijs Regijs, Comiti Regni Hungariae Palatino totique Regno datis, lectae atque publicatae fuerunt; Domini nihilominus Status et Ordines declarationi suae in humillima repraesentatione sua eatenus submissa factae firmiter inhaerent.

### Articulus Decimus.

*De electo novo Confiniorum Regni Commissario.*

Post acceptatam Domini Stephani Markovcsics resignationem, erga factam per Suam Excellentiam Banalem Candidationem Dominus Nicolaus Plepelics in Commissarium Regni in Confiniis Banalibus electus est, solitum eatenus Juramentum coram Magistro Prothonotario nuncupaturus, et Salarium 500 fl. annue habiturus.

*(Caeteris exmissis.)*

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

## 1763. MENSE APRILI. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1763. 27. et sequentibus mensis Aprilis diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinium Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundem Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacrae Caesareae et Regio-Apostolicae Majestatis Consiliarii Actualis Intimi, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Generalis Campi Mareschalli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Legalis Praesidis, pro 27. et sequentibus Mensis Aprilis 1763, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Sextus.

*De suspensa Decem Millionum cautione.*

Benignum Suae Majestatis Sacratissimae de dato 30. Mensis Martij Anni modo currentis ad Suam Excellentiam Banalem directum Mandatum lectum publicatumque fuit, quo mediante Sua Majestas Sacratissima clementer intimare dignata est, mutatis medio tempore circumstantijs ulteriorem circa mutuandos decem Milliones manipulationem usque aliam benignam resolutionem Regiam sisti.

### Articulus Nonus.

*De rectificando Catastro Regni.*

Siquidem in extradatata Comitatibus catastra nonnullas irrepsisse difformitates compertum sit, decreverunt Domini Status et Ordines: ut Domini Comitatuum Perceptores pro 27. futuri Mensis Maji Zagrabiam conveniant, et cum interventu Dominorum Regni Vice-Bani et Protho-Notarij, uti et moderni Supremi Exactoris, rectificationem praemissorum catastrorum instituant, in celebranda proxima Regni Congregatione referendam.

### Articulus Decimus Tertius.

*De peragenda emolumentorum Confiniariorum conscriptione.*

Illustrissimo Domino Generali ab Orssich medio tempore ex clementia Summi Principis Brigaderio Confiniorum Banalium renunciato, ad peragendam jam

**praevie ordinatam emolumentorum Confiniariorum conscriptionem Domini Status et Ordines Illustrissimum pariter Dominum Generalem Sermage, uti et emeritum Confiniorum Commissarium, cum interventu etiam moderni Confiniorum Commissarij ordinarunt, ac Domino quidem Generali sex, Domino Markochich quatuor, Domino vero Actuario Volich duos florenos diurnum resolverunt.**

*(Caeteris exmissis)*

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1763. MENSE DECEMBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1763. 19. et sequentibus Mensis Decembris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, praefatorum Regnorum Bani, Eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Generalis Campi Mareschalli, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Consiliarii, Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 19. et sequentibus Mensis Decembris diebus Anni 1763, Zagrabiae, in Arce Episcopali, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Secundus.

*De recognita per ipsum Consilium Bellicum Confinii Banalis ab eodem non dependentia.*

Paternam Suae Excellentiae Banalis in manutenenda Regnorum horum jura semper intentam curam et sollicitudinem in eo denuo grati venerantur Status et Ordines, quod ad antevertendam a Consilio Bellico intentari cupitam per Commissarium Bellicum Lustram adeo nervose et efficaciter apud Suam Majestatem Sacratissimam agere dignata sit, ut ipsum demum Consilium Bellicum, proprio ad excelsam Cancellariam Hungaricam dato insinuato agnoverit, Confinia Banalia a se nequaquam dependere. In perenne proinde rei hujus monumentum aeternumque erga Suam Excellentiam Banalem gratitudinis argumentum, insinua-

tum illud per extensum Prothocollo inserendum determinarunt Inclyti Domini Status et Ordines, tenore sequenti.

Sacratissimae Caesareo-Regiae ac Apostolicae Majestatis Dominae Dominae Clementissimae nomine ejusdem Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, Comiti Francisco de Nadasd, Praesentibus intimandum: Accepisse summefatam Suam Majestatem demissam Ejusdem, quoad sibi transmissos ex parte Caesareo-Regij Consilij Aulae Bellici intuitu Lustrae Militaris ordines sub 7. praeteriti Mensis Novembris isthuc submissam repraesentationem, qua etiam suo modo ad praefatum Caesareo-Regium Consilium Aulae Bellicum, fine ponendi eatenus congrui remedij promota existente, quidnam idem Consilium Aulae Bellicum Responsi loco declaverit, isthic advolutam insinuati Copiam uberius exhibere; quae dum antelato Comiti Bano pro sui notitia et directione hisce communicantur. Eidem Summefata Majestas Gratia et Clementia Sua Caesareo-Regia benigne jugiterque propensa manet. Vienna Austriae die Septima Mensis Decembris Anno 1763.

Comes Franciscus Eszterhazy m. p.

(L. S. R.)

Comes Georgius Fekete m. p.

Antonius Brunczvik m. p.

*Intitulationis tenor:*

Spectabili ac Magnifiico Comiti Francisco de Nadasd, Perpetuo Terrae Fogaras, Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano, eorundemque uti et confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremo Capitaneo, Consiliario Nostro Actuali Intimo, Generali Campi Mareschallo, unius Legionis Nostrae Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonello, ordinis nostri Militaris Majoris Crucis Equiti, Comitatuum item Comaromiensis Perpetuo, Albensis vero Supremo Comiti, nec non Tabulae Banalis Praesidi, Fideli Nobis sincere dilecto. Varasdini ex officio.

*Proprij Consilij Bellici ad Excelsam Cancellariam Hungaricam dati insinuati Tenor sequens est:*

Inclytae Cancellariae Regiae Hungarico-Aulicae ad ejusdem 21. nuper huc datam amicam insinuationem, quoad Rescriptum Domino Comiti Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bano ex parte Consilij hujus Aulae Bellici intuitu Lustrae Militaris transmissum perofficiose reinsinuandum. Juxta consvetum ordinem circularia, quae Statum Militarem universum concernunt, mandata omnibus et singulis Caractere Militari insignitis Armorum Praefecturas gerentibus inviari; nec tamen ullatenus intendi eo, ut benigno Diplomati, quo Idem Dominus

Comes Banus praeditus est, Privilegiis Inclytorum Croatiae Statuum, quoquo modo derogetur, ac proinde in hoc duntaxat sensu suprafatum Rescriptum summendum esse. In reliquo vero ad quaevis grati officij Studia etc. Ex Consilio Bellico Viennae 2. Decembris 1763.

Josephus Goldt.

### Articulus Decimus Tertius.

*De Conscriptione Emolumentorum Confiniariorum.*

Interversa certarum circumstantiarum concursu, quae in priori Congregatione ordinata fuerat, emolumentorum Confiniariorum Conscriptine, ut eadem, quo ocyus et comodius, una etiam cum interventu Domini Colonelli Garlechich, ex Suppeditandis per Dominos Emeritum et Actualem Comissarium Informationibus praevia Statuum Informatione peragatur, ordinatum est.

### Articulus Decimus Sextus.

*De Domino Medico Hinterholczer in Physicum Regni confirmato.*

Praestitis complurium retro Annorum curriculo utilibus indefesso conatu per Dominum Medicum Michaelem Hinterholczer Servitijs, Domini Status et Ordines collatum jam alioquin eidem cum Stipendio Rhen. 500 Physicatum Regni praesenti quoque Statuto confirmarunt.

(*Caeteris exmissis*)

Oiginale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1764. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1764., 22. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Generalis Campi Mareschalli, Sacrae Caesareae et Regio-Apostolicae Majestatis Consiliarij Actualis Intimi, Camerarij, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, Duorum item

Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro die 22. et sequentibus Mensis Maji Anno 1764, Zagrabiae, in Arce Episcopali, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

## Articulus Tertius.

*De elaborata Dominis ad Diaetam Ablegatis Instructione.*

Paternam Suae Excellentiae Banalis in Commune Patriae hujus Bonum continuo intentam curam et sollicitudinem novo rursus experti argumento, grati venerantur SS. et OO. in eo, quod ordinandae pro elaboranda Dominis Ablegatis Instructione Deputationis Praesidium Sua Excellentia Banalis ultro in se gratiose suscipere dignata sit. Sub Glorioso itaque Ejusdem Praesidio ad elaborandam praefatam Instructionem Dominus Comes Franciscus Patacsich, Majestatis Sacratissimae Camerarius, Dominus Reverendissimus Georgius Malenics, Lector, Dominus Prothonotarius Regni, Dominus Lucas Novoszell, Domini Comitatuum Vice-Comites, Dominus Comitatus Posegani Notarius, demum Domini Civitatum Ablegati, ac pro Actuario Dominus Alexander Szechen, Comitatus Zagrabiensis Vice-Notarius, sunt deputati; ubi et elaborata fuit Instructio tenoris sequentis.

Anno Domini 1764, die 22. Mensis Maji per regnotenus ordinatam, ac in Libera Regiaque Civitate Zagrabiensi Domo vero Regnicolari, sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, ordinis Regio-Theresiani Militaris Magnae Crucis Equitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (Titul.) elaboratam Deputationem pro Dominis ad proxime imminentem Generalem Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum Diaetam nomine Suprafatorum Regnorum denominatis Ablegatis sequens elaborata est

### Instructio

3. Quemadmodum Regnorum horum SS. et OO. compluribus jam eatenus ubertim conditis Patriae Legibus, ac B. quoque Leopoldino, in Anno 1703 elargito diplomate, de reincorporando Generalatu Varasdiensi clementer assecurati fuissent, harum vero benignarum Resolutionum Regiarum effectum intercurrentes et domesticorum disturbiorum et externorum Bellorum circumstantiae hactenus impedivissent: Ideo, reducta jam victricibus Suae Majestatis Sacratissimae armis alma pace, Supplicabunt Domini Ablegati, ut praescitus Generalatus Varasdiensis, veluti alioquin non in confinio, sed in Meditulio et visceribus Regni situs, Politicae Bani et Regni jurisdictioni tandem reincorporetur.

8. Postquam Partes Maritimae, Bona quippe Frangepaniano-Zrenyiano Fiscalia tot Diaetalium articulorum dispositionibus, ac ipsis quoque B. recentissime elargitis Resolutionibus Regiis jurisdictioni Regni et Comitatus Zagrabiensis subjectae declaratae, praemissam jurisdictionem exquisitis sub praetextibus hactenus

semper supterfugere adnitebantur, administrationem vero justitiae tam male administratam esse, ut legibus Patriae extranei Vetustate Gubernii jam obliteratis, omnis emergentium Negotiorum cognitio, et causarum decisio, in unius alteriusve Officialis Bancalis arbitrio conquiescat, publico constaret. Hinc nullam meliorem subjiciendarum effective jurisdictioni Bani et Regni Partium illarum, introducendaeque acuratioris justitiae administrationis rationem iniri posse censuit Deputatio, quam ut Domini Ablegati solerter elaborent, ut illis in Partibus, caeteroquin longe remotis, unus, ad normam aliorum Regni Croatiae Comitatuum regulatus Comitatus, cum legali et Competenti Magistratu erigatur.

9. Quodsi praemisso Postulato Sua Majestas Sacratissima ex alte sibi cognitis rationibus clementer deffere non dignaretur, supplicandum erit, ut eaedem Partes Maritimae ad acuratam Comitatui Zagrabiensi subjectionem suprema auctoritate Regia compellantur, uti etiam ut totalem suam Contributionis obtingentiam ad Cassam Regni effective inferant.

12. Ne Civitas Segnia, Tersactum, et Portus Buccarensis aliaque jurisdictioni Regni subjecta loca, illo Sacrae Regni Hungariae Coronae jurisdictioni perquam praejudicioso littoralis Austriaci nomine imposterum veniant, articulariter provideri laborabunt Domini Ablegati.

13. Ita etiam adurgebunt, ut Libera Regiaque Civitas Segniensis, alioquin ut peculium Regium inabalienabilis, restabilitis, per divos olim Hungariae Reges eidem concessis, sed jam per Dicasterium Commerciale speciosis sub praetextibus infractis Privilegiis, Regni et Sacrae Regni Hungariae Coronae jurisdictioni plene restituatur.

23. Si ullo unquam, hoc certe gloriosi modernae Suae Excellentiae Banalis Gubernii tempore, non sane minori Nominis Croatici Gloria ac sensibili animorum suorum consolatione abunde edocti sunt universi Domini SS. et OO., ad primam eamque supremam Regnorum horum felicitatem pertinere, ut per eum ac talem Banum semper Gubernentur, qui stabilem in Regno figendo Residentiam continua praesentia sua et Summum Principis Servitium promovere, et bonum publicum procurare valeat. Ideo supplicabunt Domini Ablegati, ut Sua Majestas Sacratissima fidelia haec Regna futuris itidem semper temporibus per talem, qui in Regno resideat Banum, gubernari facere clementissime dignetur.

## Articulus Decimus.

*Infrasertae Armales publicantur.*

Benignae duplicis ordinis Suae Majestatis Sacratissimae Literae Patentales, primae de dato 21. Junij Anni proxime praeteriti Egregiis Mathiae Szecsen, in Regimine Suae Majestatis Sacratissimae Carlostadensi jubilato Capitaneo, nec non suo ex Fratre Nepoti, Alexandro quippe Szecsen; aliae porro de dato 2. Mensis Maji Anni ejusdem 1753 Egregio item Andreae Karajczay, post elicitam per eundem Catholicae Religionis professionem, nec non ejusdem eorundemque Mathiae et Alexandri Szecsen haeredibus et Posteritatibus utriusque Sexus legitimae descensionis universis eorundem verorum et indubitatorum Regni Hun-

gariae Nobilium coetum Aggregatione benignae elargitae, quemadmodum lectae publicataeque, ita quoque nemine Contradicente acceptatae sunt.

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1765. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1765, 16. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum, in Generali eorundem ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Generalis Campi Mareschalli, Sacratissimae Caesareae et Regio Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarij Camerar j, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Collapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 16. et sequentibus Mensis Aprilis 1765, Zagrabiae, in Arce Episcopali, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis)*

### Articulus Duodecimus.

*De Actis, Insularum Cherso et Veglja ad Venetos devolutionem concernentibus.*

Lecto Camerali ad Suam Excellentiam Banalem de 8. Martij Anni labentis emanato insinuato, quo mediante de communicandis secum, si quae superessent, devolutionem ad Venetos Insularum Cherso et Veglja respicientibus Actis Sua Excellentia requiritur; cum in publico Regni Archivo nulla ejusmodi extare Acta constet, requisita in publico fuere Venerabilia Zagrabiense et Chasmense Capitula, aliaeque Archivis provisae omnes privatae familiae, quatenus, si quae ejusmodi Acta reperirent, eadem medio Suae Excellentiae Banalis cum antelata Camera communicare non intermittant.

### Articulus Vigesimus Sextus.

*De relata emolumentorum Confiniariorum nova Conscriptione.*

**Lecta publicataque per Dominos Emeritum et Actualem Comissarium nova emolumentorum Confiniariorum Conscriptione, occasione prioris Congregationis**

jam relata, eadem pro futura directione improthocollanda decernitur. Caeterum intuitu Nauli Kostaniczensis, hactenus per Commendantem loci possessi, ut idem per Dominum Comissarium Regni appraehendatur et exarendetur; ita etiam ut de Arendatore Nauli Zrinensis, pro A. 1762 in florenis 36 restantiario, ab Excellentissimo Domino Comite Generali Draskovics, in cujus terreno actu degit, satisfactio per eundem Dominum Comissarium Regni procuretur; nec secus boves divisionales Petrinenses per eundem Comissarium incassentur, (quaestione circa fiscalitates propter competentem utriusque sexus Successionem, glandinatione vero propter habitam per eosdem, ante resignationem loci hujus, intuitu exemptionem occasione resignationis ijsdem reservatam cessante) determinatum est. Caeterum ad tollendam tandem quoad tenuta per possessores Jamniczenses aliosque trans Colapim possessa inter utrumque Statum subversantem quaestionem, Sua Excellentia Banalis mappam ejusdem terreni, cum interventu ubique interessatarum partium, conficiendam fieri curabit, ex Cassa publica persolvendam.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1766. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1766. 26. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in generali eorumdem ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorumdemque Regnorum Confiniorum Collapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Generali Campi Mareschalli, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarij et Camerarij, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro Vigesima Sexta et sequentibus Mensis Maji Anni Millesimi Septingentesimi Sexagesimi Sexti, Zagrabiae, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quintus.

*De ordinatu Deputatione pro fumorum inter Comitatus rectificatione.*

Reportatis per Comitatus Conscriptionibus, ad eruendam ex ijsdem inter Comitatus fumorum proportionem Status et Ordines Dominum Comitem Joannem

Patachich pro Praeside, Dominum Vice-Banum et Exactorem Regni ac Dominum Praepositum Franciscum Popovich ordinarunt. Qui deposito praevie in publico super obeunda cum omni integritate hac provincia corporali juramento, habita etiam Maleficiorum et beneficiorum, per singulum Comitatum ipsis scripto exhibendorum, quoad fieri poterit condigna reflexione, justam et aequam ex actis praemissae conscriptionis, eum in finem ipsis consignandis, inter Comitatus elaborabunt fumorum rectificationem, in celebrata cum initio venturi Anni Regni Congregatione statui publico refferendam. Quo praestito circa instituendam deinde per singulum Comitatum, primum inter Districtum et Districtum, tum inter possessionem et possessionem, ac demum inter ipsum contribuentem et contribuentem (habita semper et ubique beneficiorum et Maleficiorum reflexione) proportione opportuna disponent.

### Articulus Decimus Nonus.

*Intuitu Armalistarum Comitatus Syrmiensis Suae Majestati Sacratissimae repraesentandum decernitur.*

Consilio Locumtenentiali sub dato 17. Februarii Anni currentis individualem armalistarum denominationem, taxationis Specificationem, a Comitatu Syrmiensi adurgente, siquidem Comitatus ille in Polliticis Banali et Inclyti Regni jurisdictioni subjectus foret, et alioquin armalistae Regni Sclavoniae per Articulum 92. 1723, Articulo 60. 1741 Confirmatum, a quavis taxatione immunes redditi haberentur, hinc id ipsum Suae Majestati Sacratissimae demisse statuitur repraesentandum.

### Articulus Vigesimus Primus.

*Dominus Verbega in Regni Medicum assumitur.*

In eximijs Domini Ignatij Verbega qualitatibus singularique Doctrinae laude Inclyti Domini Status et Ordines plenam fiduciam reponentes, eumdem in ordinarium Regni Physicum cum consueto 500 flor. Salario, a 1. Januarij Anni labentis eidem decursuro, uti et omnigena Medico Regni competente authoritate elegerunt, una et id determinarunt, ut Pharmacopaea omnia ejusdem liberae visitationi, dum ipse necessarium judicaverit, subjaceant, neve Pharmacopolae erga praescriptionem quorumvis facultate practicandi per Inclytum Regnum non praeditorum praescriptiones ulla medicamenta, sub paena arbitraria, per Inclytum Regnum erga denuntiationem ejusdem Domini Medici tali Pharmacopolae infligenda, audeant extradare.

### Articulus Trigesimus.

*De ulteriori Domini Confiniorum Regni Commissarij instructione.*

Ut Kalagyiis Petrinensibus Major imponatur taxa, non secus molae confiniariae in fluvio Szavo et Glina, velut conscriptionem constituti Militis non in-

gressae, moderatae taxae subjiciantur, Domino Confiniorum Regni Commissario committitur. De Officialibus vero citra assignationem ejusdem Domini Commissarij ligna quercina dessecantibus, ubi idem in specifico quempiam Domino Confiniorum Brigaderio detulerit, condignam impendendam esse satisfactionem Sua Excellentia Banalis gratiose declarare dignata est.

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1766. MENSE SEPTEMBRI. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1766. 15. et sequentibus Mensis Septembris diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd Perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschalli, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarij et Camerarij, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius similiter Equestris Croaticarum Colonelli, Comitatuum Commaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 15. et sequentibus Mensis Septembris Anni 1766 diebus,, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

***Ratio Protestationis per Fiscum Regni contra ordinatam per Excelsam Cameram Posoniensem terreni Civitatis Varasdinensis Geometricam dimensionem et Conscriptionem interpositae coram Sua Majestate Sacratissima justificanda disponitur.***

Occasione publicationis Benigni Regij de 13. evoluti mensis emanati Mandati, quo mediante penes reprobationem facti Fisci Regni contra dimensionem et Conscriptionem terreni Civitatis Varasdinensis, ex dispositione Excelsae Camerae Posoniensis per ejusdem Geometram attentatam, protestantis, Benigne disponitur, ut nullum per amplius in ordine ad exactam Benignae Regiae eatenus ordinationis effectuationem seu per Fiscum Regni seu quemcunque alium impedimentum ponatur, ex eo, quod haec Benigna ordinatio eo unice directa habeatur, ut antiquum onus, quod hactenus nulla habita fundorum Civilium aequali proportione pro lubitu Magistratus Civici domibus dumtaxat Civium impositum fuerat, observata justa proportione aequaliter partiatur, sicque unice commodum emolumen-

tum Civitatis Civiumque conservatio procuretur. Altefatae Suae Majestati Sacratissimae Domini Status et Ordines humillime repraesentandum disposuerunt: se quemadmodum in praemissa altefatae Suae Majestatis Sacratissimae ad publicam peculij hujus Varasdinensis utilitatem tendente, et per modo fatum Benignum Mandatum manifestata intentione maternam venerarentur Clementiam, ita nunquam omnino admissuros fuisse, ut ejusdem per Cameram Posoniensem ordinatus effectus ex parte Fisci Regni quoquo modo impediatur; nisi priusquam de hac Benigna Suae Majestatis Sacratissimae intentione quidpiam constitisset, ex decreto antelatae Camerae Posoniensis de 21. Martij Anni fluentis ad mox dictae Civitatis Magistratum emanato informati exstitissent, dimensionem hanc et Conscriptionem terreni ad ejusdem Magistratus Civici pro objecto exoperandae dimensionis et conscriptionis hujus longe aliud, quam procurandam onerum proportionem habentis Instantiam non tam ex ratione hujus proportionis instituendae, quam eo fine ordinatam exstitisse, ut nova, hactenus per Cives non supportata, ut juris montani, aliaque et ex ijs quaepiam, vel quoad Nomina et titulos impositionum in hoc Regno ignota, absque ullo discrimine conditionis possidentium, idque in simplici via facti imponantur onera. Hujusmodi intentione et dispositione Camerae fide digne intellecta, ijdem Status et Ordines eo magis ipsi obviandum censebant, quod facta per Suam Majestatem Sacratissimam occasione Benigni Diplomatis Regno huic Clementissime concessi Liberarum et Regiarum in ambitu Regni hujus existentium Civitatum pro subsidio reliquae contribuentis plebis cessione, taliterque fundo eorundem pro fundo exolutionis Militiae Confiniorum assignato. existimaverint, ex munere sibi incumbente in id se intentos esse debere, ne hic fundus novis et insolitis oneribus qualitercunque et quibuscunque respectibus extenuetur, taliterque reliqua contribuens plebs, alioquin sub actuali onere fatiscens, cum praejudicio etiam Cassae Militaris, ad altissimum Servitium destinatae, majori onere onerari debeat, adeoque ad id, quod ipsi impositum est, porro ferendum, inhabilis omnino reddatur. Ex cujusmodi duplicis ordinis, tum conservationis contribuentis plebis, novis oneribus ne in via quidem juris tanto minus facti gravari queuntis, cum et praemissarum Liberarum et Regiarum Civitatum per Benignum Diploma pro fundo aleviandae reliquae contribuentis plebis factae cessionis et assignationis, sperarent fore, ut Sua Majestas Sacratissima praerepetitam Cameram ita Benigne instruat, ne praemissam in praeallegato Benigno Mandato Clementissime insinuatam mentem et intentionem in minimo excedat; adeoque ab impositione quorumvis hactenus per Cives non supportatorum onerum abstineat.

## Articulus Quintus.

*Pro Ablegato, fine avertendi ex translatione Cassae Militaris e medio Regni ad jurisdictionem Generalatus Varasdinensis impendentis Inclyto Regno praejudicij ad Suam Majestatem Sacratissimam ordinato, elaboranda instructio ordinatur.*

Ex Comunicatione duplicis ordinis rescripti via Consilij Aulae Bellici ad Suam Excellentiam Dominum Comitem Banum emanati, intellecto eo, quod Excelsum Aulae Bellicum Consilium Cassam Militarem, pro Exolutione Militiae Confiniariae Banalis destinatam, hactenusque sub inspectione Commissarij Bellici Zagrabiae in Meditulio Regni conservatam, ad jurisdictionem Generalatus Varasdi-

nensis, neo quippe errigendum Stabale quarterium Bellovariense, propediem transferendam disposuerit; non sine altissimi Aerarij Regij per hujusmodi translationem quantique Contributionalis, pro exolutione Militiae Confiniorum Banalium destinati, e Regno Bellovarinum, locum in finibus prope Regni constitutum, indeque denuo ad Regnum occasione exolutionis ejusdem Militiae transportationem, adeoque diurno transferentium gravandi damno, et Inclyti Regni ex benigno, occasione regulationis Confiniorum eidem concesso diplomate, Commissariatus regulationem pro tempore, quo Militia in Regno esset, sibi concreditam habentis privilegij praejudicio: ad antevertandum hoc Manifestum altissimi Aerarij Regij aggravium, imo ex reflexione loci pro translatione destinati nullis maenijs aut munimentis ad securitatem provisi, immo non ita dudum per Tumultantes Confiniarios caede plurium praepositorum sibi officialalium faedati, in finibus Regni situationis periculum, tum Regni praejudicium, Dominus Mathias Bornemissa, Comitatus Zagrabiensis Ordinarius Vice-Comes, ad Suam Majestatem Sacratissimam cum Domino Alexandro Szechen, ejusdem Comitatus Vice-Notario, ille quidem cum florenorum 4, hic vero florenorum duorum diurno exmittendi, expensis praeterea itinerarijs in florenis 100 pro singulis resolutis, ordinantur; qui juxta instructionem, in deputatione idcirco sub praesidio Illustrissimi Domini Comitis Generalis Christophori ab Orsich (Titul.), et cum interventu Domini Reverendissimi Mathiae Petrovich, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Canonici, Generalis Cassae Perceptoris Antonij Bedekovich, Lucae Novoszel, Tabulae judiciariae Regni Assessoris, Stephani item Babochay et Mathiae Juraich, praenominato Domino Alexandro Szechen Actuarium agente, ordinata, elaboratam et in publico relatam approbatamque, delata sibi provincia, Credentionalibus ad Suam Excellentiam Dominum Comitem Cancellarium, et comendatitijs ad Cellsissimum Principem priorem Comitem Banum, nomine publico scribendis litteris muniendi, fungentur; de progressu negotij de tempore in tempus Suae Excellentiae Domino Comiti Bano relationem facturi.

## Articulus Nonus.

***Diploma super Cameralis Civitatis Poseganae in caetum et ordinem Liberarum et Regiarum Civitatum Cooptatione, cum privilegio Teloniali Nundinali, eidem Civitati Benigne concesso, publicantur.***

Benignum Suae Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Diploma de 1. Septembris Anni proxime evoluti emanatum, quo mediante Civitas Posegana, antea Cameralis, in caetum et numerum Liberarum et Regiarum Sacrae Regni Hungariae Coronae Civitatum cum omnibus illis praerogativis, juribus et imunitatibus, quibus eaedem gauderent, Clementissime cooptatur, ac ad Latus ejusdem Privilegium Teloniale nundinale, Anno eodem suprascripto die vero 25. Mensis Octobris emanato, lecta et publicata sunt, nemine contradicente.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1767. MENSE JANUARIO. VARASDINI.

*Articuli Generalis, Anno 1767, 7. et sequentibus Mensis Januarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae in Generali eorundem, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunanorum Supremi Capitanei, Generalis Campi Mareschali, Ordinis Militaris Regio-Theresiani Majoris Crucis Equitis, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii et Camerarii, unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum item Pedestrium et unius Equestris Regiminum Banalium Colonelli, Comitatuum Comaromiensis Perpetui, Albensis vero Supremi Comitis, nec non Tabulae Banalis Praesidis, pro 7. et sequentibus Mensis Januarii Anni 1767, Varasdini, celebrata Congregatione conclusi.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quartus.

*De Nova Dicae Regni impositione.*

Ad elaborandam pro Anno currenti Dicae impositionem, sub Praesidio Domini Comitis Joannis Draskovich, Dominus Prothonotarius, et Exactor Regni, Dominus Canonicus Matthias Petrovich, Domini Comitatus Varasdinensis et Crisiensis Substituti Vice-Comites, Dominus Comitatus Zagrabiensis Notarius, ex parte Civitatum Dominus Franciscus Lendvay, ex parte vero Dominiorum Dominus Samuel Orlik, pro Actuario vero Dominus conferentiarum Secretarius, Deputati fuere, relationem peracti operis in publico facturi. Cujus Deputationis opus in publico etiam relatum et approbatum fuit modalitate sequenti.

### Articulus Quintus.

*De resoluto Vice-Capitaneo Regni Salario.*

Denominato per Suam Excellentiam Banalem, vi attributae sibi Diplomaticae Authoritatis, in Vice-Capitaneum Regni Comite Generali ab Orssich, eodemque hac occasione pro tali publicato, eidem Domino Comiti, suisque in hoc officio successoribus, per Banos Regni, conformiter ad altefatum benignum Anni

1850 Diploma, Patriae filijs, denominandis, Stipendium Mille florenorum ita ordinatur, ut idem Stipendium Nulli unquam alteri, nisi Vice-Capitaneo Regni, per Banum denominando, eidemque patriae filio, valeat deservire.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1767. MENSE JULIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1767. 13. et sequentibus Mensis Julii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Francisci de Nadasd, eorundem Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (Tit.), 13. Julii, in Libera Regiaque Civitate Zagrabiensi, Anno 1767. Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De erigendo Novo Dicasterio Politico.*

Facta per Dominum Prothonotarium, qua Viennam per II. DD. SS. et OO. Deputatum relatione, lectum est Suae Majestatis Sacratissimae de dato 7. Mensis Julii emanatum Rescriptum, quo mediante altefata Sua Majestas Benignam Suam, de erigendo Regio in his Regnis Consilio, Politico oeconomicorum et respective Militarium ad normam Consilii Locumtenentialis curam habituro, intentionem iisdem significare dignatur.

*Benigni Rescripti tenor :*

Maria Theresia, Dei Gratia Romanorum Imperatrix Vidua, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archidux Austriae etc.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregij et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, fideles nobis dilecti. Ex quo inde a tempore suscepti Regiminis Nostri curas cogitationesque Nostras omnes eo defixissemus, ut Fidelium Subditorum Nostrorum commoda et Emolumenta, pro quibusvis temporis et occasionum circumstantijs omni possibili ratione procurare subindeque augere valeamus; Ideo nos grata etiamnum recolentes Memoria Fidelium Statuum et Ordinum Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavo-

niae, cum alias tum periculosissimo Belli Tempore, singulari cum benigna satisfactione nostra contestatum homogialem zelum, impensam in exequendis benignis Jussis Nostris Operam et Diligentiam, eximiam denique ipsius Nationis Bellicam Virtutem, clementer decrevimus, in Praemium et Testimonium exhibitae Virtutis, pro peculiari ejusdem Gentis Solatio, ad cumulum denique Felicitatis horum Regnorum Nostrorum, in Iisdem Dycasterium Politicum sub titulo Regij in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Consilij, Politico-oeconomicorum et respective militarium, secundum benignas Dispositiones nostras rite administrandorum et exequendorum, ad Normam Consilij Nostri Locumtenentialis Regij in Hungaria, Curam habiturum, a Majestate Nostra legitimisque Successoribus Nostris Hungariae Regibus in perpetuum dependens, ita clementer erigere, ut ad Idem sub Praesidio moderni Regnorum istorum Spectabilis ac Magnifici Comitis Bani Fidelis Nobis sincere dilecti, et Ejus in Officio Successorum, praeter subalternos, quinque Consiliarij, signanter quidem unus e Statu Praelatorum, unus e Statu Magnatum, tres denique e Statu Nobilium, et hos inter unus ex parte Camerali, per Nos denominati, et in futurum etiam per Majestatem Nostram ac praementionatos Successores Nostros Legitimos Hungariae et Partium Eidem adnexarum Reges, habita praeferenter Nationalum idoneorum Subjectorum Reflexione, denominandi applicentur. Consilium vero hoc Regium pro hic et nunc, ac usque ulteriores Dispositiones Nostras in Libera Regiaque Civitate Varasdinensi consideat.

Cujusmodi Clementissimam Resolutionem Nostram, quemadmodum minime ambigimus, Fideles Regnorum istorum Nostrorum Status et Ordines homagiali, eaque devotissimi gratissimique Animi cum significatione esse accepturos; Ita Iisdem ulterius quoque Gratia et Clementia Nostra Caesareo-Regia benigne atque jugiter propensae manemus. Datum in Archiducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die Septima Mensis Julij, Anno Domini Millesimo Septingentisimo Sexagesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Franciscus Eszterhazy m. p.

Ladislaus Battha m. p.

*Intitulationis tenor :*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus nobis dilectis. Varasdini ex officio.

*(Locus Sigilli Regii)*

Cujus intuitu ordinati sunt sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Generalis ab Orssich, Dominus Baro Alexander Malenich, Dominus Canonicus Franciscus Popovich, Domini Vice-Banus et Prothonotarius Regni, Domini Consiliarij Petrus Spissich et Georgius Petkovich, Domini Comitatus Za-

grabiensis et Sirmiensis Vice-Comites, Dominus Civitatis Zagrabiensis Judex, Dominus Thadaeus Bedekovich, et pro Actuario Dominus Conferentiarum Secretarius. Quorum etiam opus in publico lectum et approbatum fuit modalitate sequenti.

Anno Domini 1767. Die 13. Mensis Julij, Zagrabiae, Deputationis, ex Generali Inclytorum Dominorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Statuum et Ordinum Congregatione, sub Praesidio Illustrissimi Domini Christophori Comitis ab Orssich, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Camerarij, Generalis Vigiliarum Supremi Praefecti ac Confiniorum Regni Banalium Vice-Capitanei, ordinatae et celebratae Acta.

Benignissimo Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis de 7. Mensis et Anni praepositorum emanato Mandato, quo mediante altefata Sua Majestas Sacratissima Inclytis Dominis praelibatorum Regnorum Statibus et Ordinibus Benignissimam suam intentionem, de Dicasterio Politico sub Titulo Regii in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Consilij, Politico-oeconomicorum et respective Militarium secundum Benignas dispositiones Suas rite administrandorum et exequendorum, ad normam Consilij Locumtenentialis Regij in Hungaria, curam habiturum, clementissime erigendo Benignissime significare dignatur, denuo perlecto; siquidem per hoc erigendum consilium Gubernio Bani et Regni, per tot leges Diaetales et usum Saeculorum roborato, praejudicium inferendum videtur, censebat Deputatio altefatae Suae Majestati Sacratissimae humillime Supplicandum, ut

Primo, Gubernium hoc Regni et Bani, (uti praemissum esset) per tot leges Diaetales et usum saeculorum stabilitum, extra Generalia Regni Hungariae Comitia eo minus alterari posse videatur, quod omnia Dicasteria tam juridica quam politica in Regno Hungariae in Diaetalibus Comitiis resoluta et regulata habeantur.

Secundo, Per erectionem ejusdem novi Consilij Praerogativae Statuum et Ordinum Regni praejudicaretur, quia Materiae Politicae, oeconomicae et Militares, quae hactenus per eosdem Status et Ordines Regni tractabantur, huic Consilio subjiciendae viderentur, quemadmodum et

Tertio, Auctoritati Banali quoad negotia illa, quae hactenus per Banos privative expediebantur, imposterum per plures expedienda, eo magis

Quarto, Quod altefata Sua Majestas Sacratissima, testante Suo Benignissimo Rescripto, cum gubernio hactenus vigente plene contentata videatur, et

Quinto, Per erigendum Novum Consilium altissimum ejusdem Suae Majestatis Aerarium gravandum videatur: altefata Sua Majestas Sacratissima eosdem suos fideles Status et Ordines in priori Gubernio Clementissime conservare dignetur.

Quod si tamen eadem Sua Majestas Sacratissima ex altissimis suis considerationibus idem Consilium absolute erigere constituisset, pro avertendis in futurum ab eodem Consilio praerogativis, et Libertatibus Regni et Bani impendere valentibus praejudiciis, materna altefatae Suae Majestatis Sacratissimae in eo exoratur clementia ut:

**Primo**, Status et Ordines Regni de consistentia hujus Consilij per elargiendum Benignissimum Diploma securos reddere, eidemque tres Comitatus Sclavoniae, quemadmodum in Juridicis, Politicis et Militaribus jurisdictioni Bani et Regni Reincorporati traderentur, ita in oeconomicis et rationariis huic consilio subjiciantur.

**Secundo**, Quod seu mortuo, seu ad aliud officium translato, seu demum resignante Bano, Sua Majestas Sacratissima eidem semper successorem datura sit Virum de Principe et Sacra Corona Meritum, Nativum Coronae subditum, factisque Militaribus jam eousque conspicuum, ac

**Tertio**, Quod non obstante Bani in hoc Dicasterio Praesidio, Commando Confinij Banalis, ad tenorem Benigni Diplomatis de 1750 emanati, semper penes Comitem Banum, et quidem successores permaneat, idque tanto magis, quod in illa Turcae Vicinia naturalis sit intra copias Regni Banalisque Confinii Militis ex ipso situs loci nexus, et Copiae Regnicolares ex ipso nationis genio sub nullius quam sub Bani ductu tam bonas facturae sint operationes; neque minus

**Quarto**, Quod hoc consilium, in sensu Articuli 101. 1723 Anni erigendum, nullo unquam tempore reducendum, a solo Rege mediante Canali Cancellariae Regio-Hungaricae dependebit, operationesque suas nec secus quam in Systemate Gubernij Regni Hungariae, cujus Sacrae Coronae Pars indissolubilis Croatia esset, in sensu Legum ejus et Regni directurum sit.

**Quinto**, Quod per erectionem ejusdem Consilij legali una et Privilegiali Statuum et respective Bani circa propositionem Bani, denominationem Capitanei et Vice-Capitanei Regni, Constitutionem Vice-Bani, Ablegatorum ad Diaetam exmissionem, Electionem Protho-Notarij, Exactoris et Commissarii Regni, ita et Sigilli usum, Congressum Regni, Consurrectionis, aliorumque publicum Regni statum tangentium negotiorum regulationem nihil praejudicabitur.

**Sexto**, Ut intuitu Militarium negotiorum, per hoc consilium pertractandorum, idem Consilium nonnisi in mixtis Politico-Militaribus, in quibus Consilium Regium Locumtenentiale in Hungaria Procederet, confluxum habere possit.

**Septimo**, Quia defectus Subjectorum ad hoc Consilium applicandorum nunquam tantus emersurus speraretur, ut nativi Patriae in hoc Regno Servientes Filij haberi non possint, tales duntaxat et ad id applicentur; et propter cumulationem negotiorum graviorum, per idem Consilium pertractandorum, Benigne denominatis commembris adhuc unus ex statu Magnatum, et unus ex statu Equestri eidem consilio adjiciantur.

**Octavo**, Ut idem consilium et Activitate et Stipendiis Consilio Locumtenentiali, ad cujus normam erigeretur, exequetur.

**Nono**, Quia Zagrabiae, veluti in meditulio Regni, indeque Loco pro acceleratione altissimi Servitij, cumprimis comercij circulatione commoditateque omnium Regnicolarum opportiori et commodiori, figendum speraretur, de erigenda

ibi quantotius pro commoditate Consilij et Archivij Securitate Domo, hacque erecta eo Consilij translatione clementissime disponere; ac tandem

Decimo, Praemissa omnia in proxime celebrandis Generalibus Regni Hungariae Comitiis inarticulanda benigne admittere, Statusque et Ordines de ipsis in quibusvis juribus, usibus ac praerogativis clementissime conservandis securos reddere dignetur.

Lectum per Benedictum Krajachich, conferentiarum Regni Secretarium, qua in praemissis Actuarium m. p.

### Articulus Quartus.

*De pia Suae Excellentiae Episcopalis quoad redemptionem Captivorum fundatione.*

Insignem et vere Pastoralem erga Commissum Sibi Gregem Suae Excellentiae Episcopalis Zelum pia gratitudine suscipiunt Il. DD. SS. et OO. Regni, in eo, quod non modo 5000 florenorum Capitale ordini SS. Trinitatis redemptionis Captivorum, pro redimendis e Turcica Captivitate, primum quidem Nobilibus nativis Croatis, iis vero non exstantibus etiam Ignobilibus Romano tamen Catholicis, in perpetuam Fundationem Concredere; verum etiam authenticum earundem fundationalium exemplar, praevie publicatum, ad Acta praesentis Congregationis reponere, effectumque piae hujus fundationis protectioni Il. DD. SS. et OO. commendare dignata sit. In perennem proinde adeo pij et salubris operis memoriam fundationales illae Prothocollo per extensum inserendae decernuntur.

### Articulus Quintus.

*De avertenda excorporatione Regni.*

Benigno Suae Majestatis Sacratissimae, de exmittenda locali pro excorporando e Statu provinciali tanto, quod pro Dotatione Generalatus Carlostadiensis necessum fuerit, terreno, sicque complanandis etiam quae inter utrumque Statum vigent differentiis, Comissione, sonante, et de 17. labentis Mensis et Anni emanato Mandato lecto; pro nervosa, ad antevertendum enorme hoc praejudicium, Suae Majestati Sacratissimae facienda repraesentatione, sub Praesidio Illustrissimi Domini Episcopi Belgradiensis deputantur Dominus Comitatus Zagrabiensis Supremus Comes, Dominus Baro Alexander Malenich, Dominus Reverendissimus Lector, Domini Vice-Banus et Protho-Notarius Regni, Dominus Consiliarius Petrus Spissich, Dominus Vice-Colonellus Franciscus Kussevich, Dominus Vice-Comes Comitatus Zagrabiensis, Dominus Judlium Georgius Ivanchich, et pro Actuario Dominus Alexander Szechen. Per quos elaborata etiam raepraesentatio in publico lecta et approbata fuit, modalitate sequenti:

Anno Domini 1767. die 14. Julii, Zagrabiae, in Curia Praepositurali, Regnotenus ordinatae sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Stephani Pucz, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Belgradiensis, Praepositi Majoris et Canonici Senioris Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis, celebratae Deputationis

## A c t a.

Perlectum est Benignum Suae Majestatis Sacratissimae ddo. 17. Junii Anni modo labentis Viennae Austriae emanatum Mandatum, quo mediante Sua Majestas Sacratissima Benigne resolvere dignatur, ut in locum ad differentiarum Statum inter Provincialem et militarem vigentium compositionem ordinatae Commissionis alia localis Commissio in Croatia exeat, per quam primum et ante omnia Confinia militaria necessariis terris dotentur, praeattactae vero differentiae hactenus vigentes per occasionem duntaxat hanc decidantur ac sufferantur.

Quemadmodum duplex est attacti Benigni Mandati Regii membrum: alterum quippe, ut Commissio haec Confinia militaria dotet; alterum, ut per occasionem hanc vigentes statum inter Provincialem et militarem differentias decidat, ita duplicem et diversam etiam esse debere ejusdem considerationem. Nimirum quantum decisionem vigentium differentiarum adtinet, ut Suae Majestati supplicetur, quatenus a Commissione hac Excellentissimus Dominus Baro Generalis a Beck vel ex eo arceatur, quod idem Generalis et Actoris alioquin et in causam attracti personam in eadem Commissione sustinebit, tanto a fortiori, quod Excellentissimus Dominus Comes Banus vigore legum Patriarum, seculorum usu stabilitarum, omnium ejusmodi Commissionum Praeses a Praesidio ejusdem Commissionis amotus habeatur. Interea etiam, donec alter loco Generalis a Beck Con-Commissarius Benigne resolvatur, censet Deputatio, neminem e gremio Dominorum Statuum et Ordinum ad Commissionem illam denominari debere.

Quantum vero Punctum Commissionis, Dotationis militis, concernit; siquidem Inclyti Domini Status et Ordines determinare dignabantur, ut Deputatio omnia, ex quibus praemissam Dotationem humillime deprecari deberent, rationum momenta excutiat, Repraesentationemque eatenus ad Augustum Thronum Regium porrigendam compillet, ac pro revisione Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus praesentet: opinatur Deputatio, Repraesentationem hanc ex his potissimum constare debere fundamentis; et quidem:

P r i m o. Exprimendus erit, quanto sensibilius possibile erit, dolor Dominorum Statuum et Ordinum, quo intellecta Benigna hac Resolutione Regia perculsi erant.

S e c u n d o. Revocabuntur in memoriam tam praeteritis seculis, quam recentioribus temporibus fidelia Augustae Domui Austriacae praestita servitia.

T e r t i o. Demisse proponetur, Dotationem hanc militis sinistra Praefecturae militaris Informatione, citra omnem necessitatem, contra leges et Diplomata, imo contra rationem status quaeri, nimirum ex eo: quod plurima sint tenuta in Confinio, quae partim non excoluntur, partim ex annuo censu dantur; esse etiam plures Confiniarios, qui ingentem terreni superfluitatem possident: hinc defectum esse in Commendante, qui haec obligationi militandi non adrepartitur. Sylvas

praeterea et alia beneficia omnia in Confinio reperibilia olim per Regnicolas pure ideo cessa fuisse, ut ab his Confiniarii pro tutamine totius Monarchiae militare, non vero contribuere teneantur.

Quarto. Sufficiens Dotatio futura est, si Confiniarii ab aliis recenter, etiam ultra vires eorum impositis oneribus non militaribus, eximantur.

Quinto. Adducetur, sub novo Dotationis militis nomine auctionem Confiniariae militiae quaeri, quoniam cum terris homines quoque easdem actu incolentes statui militari adplicarentur, tenuta sua necessario ita reservaturi, ut quod aliis exinde tribui possit, non supersit. Hanc porro auctionem nec necessariam esse, quod olim quoque contra vim Turcarum Confinia cum copiis nobilitaribus sese defenderint; nec expedire, quod periculosum foret, numerosissimum alioquin hunc populum, qui primo aliquo motu omnes Provincias in discrimen conjicere posset, adaugere.

Sexto. Adducetur etiam, rationem status rationi securitatis publicae conjunctam esse; publicam vero securitatem in eo consistere, ut privati vitae et rerum suarum securitate gaudeant: hac vero gaudere nequeunt, dum Generalis a Beck Bona per Suam Majestatem Sacratissimam recenter Benigne donata violenter occupat. Quodsi vero haec adhuc Excorporatio institueretur, Ecclesia Dei, complures Domini Magnates et Nobiles justissimis juribus suis nullo demerito, absque omni via juris, privari deberent.

Septimo. Regnicolae olim, dum ampla bona sua, Regno Bosniae per Turcas occupato, pro Confiniis Carlostadiensi, Banali, Varasdinensi et Sclavonico, in tutamen totius Monarchiae sacrificarunt, ad ullam unquam terrarum et territoriorum quantitatem sese obligassent, tamen adhuc sperare potuissent, quod ante omnem ejusmodi Excorporationem cognitio necessitatis non privative Praefecturae militari, sed Regnicolis quoque delata fuisset. Interim cum Regnicolae ne Banalis quidem Confinii consistentiam in se assumpserint, tanto minus noviter elaboratam Carlostadiensis Confinii consistentiam Bonis suis supplere et adaugere obligarentur.

Octavo. Sua Majestas Sacratissima dignabatur Benigno suo de 1750 emanato Diplomate Bona per Commissionem Invalidorum prius possessa jurisdictioni Regni reincorporata declarare. Sed haec quoque jam sunt pro Confinijs adplicata; adeoque dum pro his Regnicolae instare jure possent, adhuc privativa eorum Bona quaeruntur.

Nono. Ponendum etiam erit nervose ob oculos Suae Majestati Sacratissimae, quod haec Excorporatio citra convulsionem fundamentalium Regni legum Regiorumque Diplomatum fieri nequeat: hac enim ratione Ecclesia, Domini Magnates et Nobiles, non legitime citati nec juris ordine convicti Bonis suis privarentur; Bona a Regni jurisdictione contra tenores articuli 2. 1741. excorporarentur; Regnicolae vero fidelitatem Principi, Sacrae Regni Coronae, legibus jurassent; proinde salvis conscientiis suis in aliquam excorporationem assensu proprio concurrere non possent. Ideo

Decimo. Supplicandum erit Suae Majestati Sacratissimae, ut humillimam Deprecationem Excorporationis Benigne suscipere dignetur. Ad mo-

vendum autem Clementissimae Dominae maternum Cor, censet Deputatio, prolixius describendum esse miserum statum eorum, quorum Bona statui militari adplicarentur.

Tandem in conformitate punctorum horum compillatam et praevie examinatam demissam Repraesentationem Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus repraesentat Deputatio, et eandem alto eorundem judicio substernit.

Caeterum censet Deputatio, ut Sua Excellentia Dominus Comes Banus per Inclytos Dominos Status et Ordines interpellentur, ut Sua Excellentia pro veterano suo paterno erga Dominos Regnicolas amore et affectu in perarduis his circumstantiis apud Suam Majestatem Sacratissimam sese interponere dignentur, quatenus altefata Sua Majestas gravissimo isto periculo charam Patriam Benigne liberare dignetur. Quoniam autem in extraordinariis periculis extraordinaria etiam remedia quaeri soleant, ideo censet Deputatio, supplicandum esse per Inclytos Dominos Status et Ordines Suae Excellentiae Domino Comiti Bano, quatenus praemissam in materia Excorporationis demissam Repraesentationem, in germanicum prius traducendam, personaliter Suae Majestati Sacratissimae demisse porrigere dignetur.

Per Alexandrum Szechen, in praemissis Actuarium m. p.

## Articulus Octavus.

*De Repraesentatione intuitu Excorporationis Suae Majestati Sacratissimae praesentanda.*

Firmam in Materna Suae Majestatis Sacratissimae Clementia spem reponentes Inclyti Domini Status et Ordines, in eo, quod pientissimum ejus Cor in vota Inclytorum Statuum et Ordinum sit flectendum, si preces et motiva eorundem, in elaborata intuitu excorporationis per Deputationem Repraesentatione contenta, materno intueri oculo dignaretur: Suam Excellentiam Banalem demisse requisiverunt, quatenus dictam Repraesentationem, praevie in Germanicum vertendam, Suae Majestati Sacratissimae personaliter velit exhibere. Cui ferventissimo Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum postulato quod Sua Excellentia Gratiose deferre dignata sit, paternam ejusdem Gratiam Inclyti Domini Status et Ordines devoto studio et perenni gratitudine venerantur.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1767. MENSE AUGUSTO. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1767. 31. Augusti et sequentibus Septembris diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ex edicto et sub praesidio Excellentissimi et

**Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, antedictorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani (titl.), in Generali Eorundem, pro 31. Augusti et sequentibus Septembris Mensium Anni 1767 diebus, in libera Regiaque Civitate Varasdinensi, Congregatione celebrata conclusi.**

## Articulus Primus.

*De novi Protho-Notarij Regni Electione.*

Domino Nicolao Skerlecz de Lomnicza, Sacratissimae Caesareo-Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliario, ob cumulata distincta merita sua, quae diversa Regni Politica officia, signanter autem et ultimo Protho-Nothariatum Regni quadriennio et quod excedit, eximia sui cum laude, publici vero plena satisfactione gerendo, sibi comparavit, in Regio in his Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis neo-erecto Consilio ad Consiliariatus ac una Cancellariae Directoris honorem de Gratia Regia sublimato, ac ob id Protho-Notariatus officio valedicente, unaque tam Regni quam Banalis officij Sigillo, cum actis Regni et duplici Clavi, in publico resignante: ex Candidatis per Suam Excellentiam Banalem Dominis Joanne Capistrano Adamovich, Comitatus de Verőcze ordinario Vice-Comite, et Petro Spissich de Japra, Tabulae Banalis Assessore, utroque Suae Majestatis Sacratissimae Consiliario, ac Nicolao Bedekovich de Kümor, Emerito Comitatus Varasdinensis Ordinario Vice-Comite et Generalis Regni Cassae Exactore, Dominus Consiliarius Petrus Spissich, Spectatis qualitatibus suis, pluralitate votorum in eorundem Regnorum Magistrum Protho-Notarium electus est; qui etiam Dominis Statibus et Ordinibus Regni praestito solito juramento fidei et integritatis suae, concredita Regni et Banalis officij Sigilla, clavesque ab Archivo et cista Privilegiorum Regni cum actis Protho-Nothariatus officij recepit.

## Articulus Secundus.

*De Regij in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae neo-erecti Consilij publicatione et inarticulatione.*

Bina Suae Majestatis Sacratissimae, unum de 1. et aliud de 11. Mensis Augusti anni labentis, et anterius quidem ad Inclytos Dominos Status et Ordines Regni, posterius vero ad Suam Excellentiam Banalem, directa rescripta, quibus mediantibus Sua Majestas Sacratissima Benigne ad postremam sub 13. Julij e Generali Congregatione factam humillimam in merito neo-erecti Regij in Regnis his Consilij rescribere, unaque significare dignatur: quod expensis etiam rationum per Dominos Status et Ordines Regni circa ejusdem Consilij erectionem adductorum momentis, tum altissimi Servitij sui Regij, tum Boni publici a consequenti ipsorum etiam horum Regnorum utilitatis et commodorum rationem exposcere, ut Sua Majestas Sacratissima priori Regiae resolutioni Suae inalterabiliter ultro Benigne insistat, atque ita juramento etiam per Suam Excellentiam Banalem, qua ejusdem Regij Consilij Praesidem, in Praesentia Sua Regia jam deposito existente, suam benignam et constantem voluntatem illam esse: ut quemadmodum

novum hoc Consilium Regium in omnibus ad normam Consilij Locumtenentialis Hungarici, in Regnis his Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae instituendum Benigne decreverit, ita etiam ejusdem activitatem et dependentiam talem omnino in omnibus et singulis, qualis praeattacti Consilij Regij Locumtenentialis Hungarici est, futuram; Praecavere item Benigne dignatur Sua Majestas Sacratissima, quod idem novum Regium Consilium Sphaeram activitatis suae vel in militaribus vel publicis negotijs quoquo modo non excedet, quin potius, ut in his Banalis authoritas et Statuum ac Ordinum Regni activitas semper salvae maneant; ac insuper ut non solum haec novi Cosilij Regij institutio in proxima Regni Hungariae Diaeta inarticuletur, verum etiam ut partes maritimae, actu per Consilium commerciale possessae, ab eodem Consilio dependeant; quo vero ad tres Sclavoniae Comitatus, dum effectus bonae in contributionalibus manipulationis ex ipsis ejusdem Consilij operationibus primum prodiverit, eotum eosdem quoque Comitatus Sclavonicos quoad contributionale quoque dicti Consilij Regij curae et jurisdictioni subjiciendos Sua Majestas Sacratissima Benigne resolvere dignatur. Atque hac ratione in effectum praemissae Benignae resolutionis Suae Regiae, altero Suo de 11. praeattacti mensis Augusti ad Suam Excellentiam Banalem emanato Benigno, eidem Suae Excellentiae Banali, qua Praesidi Consilij, normam et modum tam excipiendi Commissarij sui Regij, Excellentissimi Domini Liberi Baronis Francisci Xaverij Koller de Nagy-Mana, Consiliarij actualis intimi, insignis S. Stephani Regis Apostolici Commendatoris et aurati Equitis, Comitatus Barsiensis Supremi Comitis et Sacratissimarum Caesareo-Regiarum Majestatum in Illyricis prout et alterius in rebus sanitatis ordinatarum Aulicarum Deputationum Praesidis, Benigne eatenus denominati Regij Commissarij, quam in Libera Regiaque Varasdinensi civitate die 20. Mensis Augusti peragendae installationis, praescribere dignatur. Quo in merito Suae Majestati Sacratissimae ex publico rescribendum et gratiae agendae decernuntur, unaque supplicandum, ut nativorum Patriae benemeritorum subjectorum capacium in futuris ad Regium Consilium hoc promotionibus Benignam reflexionem habere dignetur. In reliquo autem Benignam resolutionem Regiam publico Prothocollo inserendam decreverunt Domini Status et Ordines Regni.

*Prioris Benigni Rescripti tenor*:

**Maria Theresia Dei Gratia Regnorum Imperatrix, Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniaeque etc. Regina Apostolica, Archi-Dux Austriae.**

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, Magnifici item Egregii et Nobiles, nec non Prudentes ac Circumspecti, Fideles Nobis Dilecti. Ex demissa Fidelitatum Vestrarum isthuc sub 13. recenter elapsi Mensis Julij submissa Repraesentatione clementer ecquidem atque uberius intelleximus Reflexiones illas, quas Eaedem Nobis ratione neoerecti in istis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Regnis Consilii Nostri Regii, humillime proponendas existimarunt.

Cum nihilominus ad aequam Lancem expensis pro et contra occurrentibus motivis ultro quoque comperissemus, tum altissimi servitii nostri Regii, tum Boni publici, a consequenti ipsorum etiam praeattactorum Regnorum Nostrorum

utilitatis et commodorum rationem id exposcere, ut ei, quod hac in re jam a priori matura Deliberatione discussa Nobis clementer Statuere visum est, deinceps quoque pro munere Nostro Regio insistamus;

Eapropter (Juramento etiam per Spectabilem ac Magnificum Comitem Banum Fidelem Nobis Sincere Dilectum, qua praeattacti Novi Consilii Nostri Regii Praesidem, in Praesentia Nostra Caesareo-Regia jam deposito existente) Fidelitatibus Vestris hancce benignam atque constantem Voluntatem Nostram ea cum ulteriori clementissima Declaratione significandam esse duximus: quod quemadmodum Nos Novum hoc Consilium Regium in omnibus ad Normam Consilii Locumtenentialis Nostri Hungarici, in Regnis etiam istis Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae instituendum benigne decrevimus, ita etiam ejusdem Activitatem et Dependentiam talem omnino in omnibus et singulis, qualis praeattacti Consilij Nostri Locumtenentialis Regii Hungarici est, futuram; neque Nos admissuras, ut illud sphaeram activitatis suae vel in Militaribus, vel in publicis negotiis quoquo modo excedat; quin potius curaturas, ut in his Banalis Authoritas et Statuum et Ordinum Regni activitas semper salvae maneant. Hinc etiam benigne admittimus: Ut non solum haec novi Consilii Regii per Nos facta Institutio in proxima Generali Regni Hungariae Diaeta inarticuletur; verum etiam, ut partes maritimae, actu per Consilium Comerciale possessae, ut hactenus ab eodem dependeant; Quoad ipsos vero tres Sclavoniae Comitatus, dum effectus bonae in Contributionalibus Manipulationis ex ipsis ejusdem Consilij Operationibus primum prodiverit, eotum circa eosdem Comitatus Sclavonicos quoad Contributionale quoque crebro fati Consilij Regii Curae et Directioni subjiciendos benigne sumus dispositurae. De reliquo Fidelitatibus Vestris Gratia Nostra Caesareo Regia benigne propensae manemus. Datum in Archi-Ducali Civitate Nostra Vienna Austriae Die prima Mensis Augusti Anno Domini Millesimo, Septingentesimo, Sexagesimo Septimo.

Maria Theresia m. p.

Comes Georgius Fekete m. p.

Ladislaus Battha m. p.

*Intitulationis tenor talis est:*

Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Magnificis item Egregiis et Nobilibus, nec non prudentibus ac circumspectis N. N. Regnorum Nostrorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Universis Statibus et Ordinibus, Fidelibus nobis dilectis. Varasdini ex offo.

(Locus Sigilli Regii.)

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1768. MENSE JULIO. VARASDINI.

*Articulus Generalis, A. 1768. 20. et sequentibus Mensis Julii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, perpetui Terrae Fogaras, antedictorum Regnorum Bani (Titul.), in Generali eorundem, pro 20. et sequentibus Mensis Julii Anni 1768, in Libera Regiaque Civitate Varasdinensi celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De generalis Regni Cassae exactoratu, et ejus ratiocinio.*

Sua Sacratissima Caesareo-Regia et Apostolica Majestate, benigno Suo de dato 1. Februarij anni currentis 1768 mandato benigne, erga Dominorum SS. et OO. Regni de genu humillimam e generali Sua pro quarta et sequentibus Mensis Januarij anni currentis factam repraesentationem, admittente, ut DD. SS. et OO. Regni, more hactenus consveto, in inevitabiles necessitates Regni errogationes facere possint, ea lege, ut super iisdem Regni Exactor et pro futuro et pro praeterito annuas, absque ulla separatione, adeoque super totali perceptione et errogatione, Suo modo et forma confectas rationes Regio Consilio exhibere teneatur, per idem Regium Consilium revidendas et Suae Majestati submittendas. Quoniam sub fiducia illa, quod altefata Sua Sacratissima Majestas, more antehac usitato, exactoratum Regni, in usu Dominis SS. et OO. Regni tantummodo praestandi ratiocinij ultro benigne admissura sit, maximam perceptionum et errogationum partem DD. SS. et OO. Regni ab Officio ejusdem exactoratus abstraxissent, et non nisi 3000 circiter ex emolumentis Confiniarijs promanantia pro Sua libera dispositione, exactoris vero perceptione, reservassent: ut praedenotato benigno de dato 1. Februarij currentis anni 1768 rescripto tanto accuratius satisfieri valeat, sub praesidio Illustrissimi Domini Comitis Christophori Voikffy de Klokoch et Voikovich, Sacratissimae Caesareo Regiae et Apostolicae Majestatis emeriti Vice-Colonelli, eo condeputatis Reverendissimo Domino Josepho Mikinovich, Canonico Ecclesiae Zagrabiensis et Archi-Diacono Cathedrali, Dominis Regni Vice-Bano, Magistro Regni Prothonotario, Comitatuum Zagrabiensis et Varasdinensis Ordinarijs Vice-Comitibus, Mathia Bornemisza alias Ztolnikovich et Francisco Kanotay, Substituto Comitatus Crisiensis Vice-Comite Georgio Petrichevich, Civitatis Zagrabiensis Judice Josepho Hochnemer, Familiae Comitum Erdödy Christophoro Byff, et pro actuario Domino Notario Comitatus Varasdinensis Thadaeo Bedekovich, ordinarunt deputationem, priorem DD. SS. et OO. Regni determinationem et repraesentationem cum benigna praemissa resolutione Regia combinaturam, et DD. SS. ac OO. Regni Opinionem

Suam relaturam. Cujus opere in publico relato et approbato, DD. SS. et OO. Regni determinarunt, ut pro futuro anno 1769, quoniam pro anno currente 1768 ex ratione alterationis sistematis Cassae, jam per Comitatuum Perceptores, tam quod perceptionem, quam errogationem secundum extradatam sibi per DD. SS. et OO. Regni normam et Schema tractatae, ratiocinium ducere non posset, Regni Exactor omnes illas pecunias, quas et prioribus annum currentem 1768 antecedentibus annis et temporibus incassabat, denuo (non obstante contraria in Generali Congregatione Regni pro quarta et sequentibus Mensis Januarij currentis anni 1768 celebrata determinatione) incasset, et de totali sua perceptione, ac erga Dominorum SS. et OO. Regni dispositionem ac ordinationem fienda, coram DD. SS. et OO. Regni ratiocinetur; censuraque rationum ejusdem cum rationum corpore per DD. SS. et OO. Regni directe Suae Majestati Sacratissimae, ad mentem Articulorum 75. 1681, 115. 1715. et 54. 1741, de anno in annum submittatur. Quod ipsum Suae Majestati Sacratissimae humillime repraesentandum determinatum est.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1770. MENSE FEBRUARIO. VARASDINI.

*Articuli Generalis, A. 1770. 1. et sequentibus Mensis Februarii diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Acta et Articuli Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, in Generali eorundem ex edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis, Domini Francisci de Nadasd, Perpetui Terrae Fogaras, Generalis Campi Mareschalli, Actualis Intimi Consiliarij et Regnorum eorundem Bani (Titul.), in L bera et Regia Civitate Varasdinensi, pro 1. et sequentibus Mensis Februarii et continuative Mensibus Martio ac Aprili in Anno 1770. celebrata Congregatione conclusi.

### Articulus Primus.

*De Contributionalis Quanti Auctionis oblato*

Sua Majestate Sacratissima, Benigno suo, sub 2. Januarij Mensis, Anni currentis 1770. Vienna Austriae, ad Dominos SS. et OO. Regni emanato Rescripto, clementer exposcente, ut accisas attritasque summi aerrarij vires pro possibilitatis ratione pecuniario succursu Domini SS. et OO. Regni adjuvarent, et pro Anno currente Militari in subsidium gravium altissimi aerarij Regii Necessitatum, ultra et praeter illud, quod pro fundo intertentionis Confiniariae Ba-

nalis Militiae aliisque publicarum Necessitatum errogationibus hucusque depensum fuit, Contribuens Regni hujus plebs annuam 150 Millium florenorum quottam deinceps contribueret et dependeret. In obsequium cujus Benigni Rescripti Regii DD. SS. et OO. in profundissima fidelium animorum suorum subjectione, et perenni gratitudine, venerabundi agnoscentes, inde ab exordio Gloriosi Regiae Majestatis feliciter regnantis Dominae, Regiminis, abunde semper in se Regnumque hoc testatam clementiam, et vere Maternam in salutem subditorum sibi Populorum curam sollicitudinemque, quam belli et pacis temporibus luculentissimis exemplis et Testimoniis probare dignata est eadem Sua Sacratissima Majestas; ac ideo pro avita sua fide, fidelitateque, et obsequendi promptitudine, exemplari etiam homagialis obsequii studio, erga Suam Majestatem Sacratissimam et Augustam Domum ejus saepe saepius testatis, tametsi quidem in adversis quibusvis casibus pronissimis studiis homagialem Devotionem et promptitudinem suam, pro extremo etiam virium suarum posse, in obsequium Suae Majestatis Sacratissimae sacrificare studuerint, et nihil ardentius in votis haberent, quam si zelo et necessitates Regias sublevandi conaturali promptitudini vires facultatesque suppeterent; Benignam Regiam, de praemisso pecuniario succursu propositionem, pronis studiis expendendo: postquam visis, et per quasvis debitas circumstantias, contribuentis subditi, Annis praeteritis, qua per pecorum inde ab Anno 1755. continua serie grassantem, ac ad eosdem Districtus iteratis vicibus reddeuntem et necdum plene cessantem luem, qua per intermediam annorum sterilitatem respective vero alias innatas Regno huic grandinis, aquarum exundationum, subinde vero extremae siccitatis, nebularum, pruinae, erucarum et locustarum fatalitates, attritis exhaustisque viribus; vel maxime vero, cognita illa universali paratae pecuniae, qua Contributio Regia exolvi debet, rusticus autem laborat penuria, Domini Status et Ordines fundum, ex quo secure et cum stabilitate contributio augeri posset, non invenissent; ac merito Suam Majestatem Sacratissimam deprecari potius debuissent, quam aliquam auctionem promittere potuissent; sub spe nihilominus, et firma fiducia futurorum, per Suam Majestatem Sacratissimam Regno et contribuenti subdito, de Clementia Regia suppeditandorum mediorum, ac in ordine ad humillima postulata Regni elargiendarum favorabilium Resolutionum, consequenter de Regali providentia sublevandorum contribuentium, praeter et ultra id, quod hactenus pro fundo exolutionis Confiniariae Militiae aliisque errogationibus depensum fuit, auctionis titulo 57 Millium florenorum, ea ratione Suae Majestati Sacratissimae offerenda constituerunt, ut ad Normam Regni Hungariae, Contributio haec usque futuram Regni Hungariae et partium eidem annexarum Diaetam, per Subditum dependatur; neque tamen de effectiva praemissae Contributionalis Summae exigibilitate Status et Ordines, sed nec alter pro altero, aut Comitatus pro Comitatu caveant, adeoque ne unus pro alio quoquo modo ad contribuendum adigi possit, cautum esse voluerunt. Quam oblationem suam, simul cum motivis et fundamentalibus rationibus, cumque humillimis Regni postulatis, Suae Majestati Sacratissimae humillime submittendam et repraesentandam determinarunt DD. SS. et OO. Regni; ac ut tanto fundatius, nervosiusque motiva praemissa Suae Majestati Sacratissimae repraesentari, Postulata vero Regni ellaborari valeant, ordinata est Deputatio, sub praesidio Illustrissimi Domini Comitis Joannis Patachics de Zajezda, Suae Majestatis Sacratissimae Camerarij et Inclyti Comitatus Crisiensis Supremi Comitis, eo condepu-

tatis Reverendissimo Domino Michaele Margetich Canonico Zagrabiense et Archi-Diacono, Dominis Regni Vice-Bano Antonio Bedekovich, Regni Protho-Notario Petro Spissich, Ordinariis trium Comitatuum Vice-Comitibus: Zagrabien. Mathias Bornemissa, Varasdinen. Francisco Kanotay, et Crisien. Georgio Petrichevich, ex parte quarti Status Mathia Juraich, Petro Apoka, et qua Actuario Stephano Chernko, Comitatus Varasdinensis Vice-Notario. Quae Deputatio postquam opus suum in publico retulisset, approbatum est, et Repraesentatio conformiter ad Deputationis opinionem ellaborata Suae Majestati Sacratissimae submissa est, tenore sequenti:

Sacratissima! (Titulus.)

Dignabatur Majestas Vestra Sacratissima Benigno suo sub secunda recens evoluti Mensis Januarij Vienna Austriae emanato et homagiali in devotione per Nos accepto rescripto a nobis clementer exposcere, ut accisas attritasque summi aerarij Regij vires pro possibilitatis nostrae ratione promptissimo pecuniario succursu adjuvaremus, ac pro Anno currente Militari in subsidium gravium altissimi aerarij Regij necessitatum, ultra et praeter illud, quod pro fundo intertentionis Confiniariae Banalis Militiae alijsque erogationibus hucusque depensum fuit, Contribuens Regni hujus Croatiae Plebs annuam 150 Millium florenorum quottam contribueret et dependeret. Sane dum Benignae Majestatis Vestrae Sacratissimae propositionis plenae pietatis, plenaeque materni affectus et Regiae in nos propensionis Tenores in Publico legerentur, non potuimus non in profundissima fidelium animorum nostrorum subjectione et perenni gratitudine venerabundi agnoscere, ab exordio Gloriosi Regiminis abunde semper in nos Regnumque hocce testatam clementiam et maternam in salutem populorum sibi subditorum curam attentionemque, quam Majestas Vestra Sacratissima Belli et pacis temporibus luculentis et orbi palam notis exemplis testimonijsque probavit. Ac ideo tam ampla tantae in nos Regnique hujus comoda, Regiaeque Clementiae documenta merito a nobis exposcerent, ut in obsequium et promotionem Altissimi Majestatis Vestrae Sacratissimae servitij omnes conatus viresque nostras pronissimis studijs et alacribus animis offeremus.

Avitam hanc et cum sanguine a majoribus nostris acceptam intemerata fide et fidelitate obsequendi promptitudinem, cum exemplari etiam homagialis obsequij studio erga Majestatem Vestram Sacratissimam ejusque Augustam domum ita testati sumus, ut in adversis quibusvis casibus vel sola homagialis devotionis ratione et Regiae necessitatis magnitudine adducti, amplius etiam, quam per vires licuerit, saepe saepius accedere praestareque cum effectu adlaboraverimus, pronisque studijs et vel recentioribus annis sub tempus attrocis ultimi Borussici Belli et iterata Tyronum militum statutione, et gratuiti aeris parati suppeditatione Regium Majestatis Vestrae Sacratissimae aerarium pro extremo posse nostro sublevare studuerimus. Ipsa illa avita fides fidelitasque nostra hac etiam occasione tanto omnium animos in Clementissimam Principem devotionis ardore accendit, ut non quod vires subditorum, quas profecto attritas tenuesque et impares graviori oneri supportando scimus et videmus; sed tenuitatis nostrae prope obliti, quod insinuatae necessitates Regiae et homagialis pietas nostra in Benignissimam Dominam a nobis exposcunt, spectare sustineamus.

Optandum profecto esset, ut nobis pares cum caeteris haereditarijs Majestatis Vestrae Sacratissimae Provincijs, quibus et solum obtigit felicius, et limites patent latius, et Pecuniae vis major adest, suppeterent vires; zelus noster certo est, fuitque semper promptissimus, et nulli secundus. Verum hic quantum major et ferventior in nobis semper erat, tanto alacrius et pronius urgente quacunque necessitate tenues nostras contribuentisque subditi vires altissimis Majestatis Vestrae Sacratissimae Servitijs et Regijs necessitatibus immolavimus, atque hac ratione effectum esse videmus, ut extremis Viribus et medijs in Majestatis Vestrae Sacratissimae obsequia consecratis, nihil fere, quod pro modernis rerum circumstantijs, per subditum hunc contribuentem addi et augeri possit, Eidem supersit: Sive enim praeteritorum annorum inde ab Anno 1755 continua serie, atque ad eosdem districtus iteratis vicibus reddeuntem, nuncque in quibusdam Regni hujus locis grassantem animalium luem, quae complures Regni partes pene depauperavit; sive intermediam annorum sterilitatem, quae tanto magis, quod solum sterile et varijs vicissitudinibus expositum esset, vel unico Anno interventa, deprimit subditum, et alioquin nec quidem ad quotidiani victus necessitatem fructus sufficientes ferret; sive circulantis massae pecuniariae exiguitatem et aeris alieni, quo subditus omni tertio quarto Anno panem pretio comparare universaliter adactus, gravatus est, quantitatem; sive Vini ac aliorum naturalium, quae parcendo vel ordinario vivendi modo, ab usu suo abstraheret et in pecuniam convertere deberet, quoniam hic unicus dependendae Contributionis eidem hactenus fuisset fundus, pretij vilitatem, imo distractionis apertam et evidentissimam impossibilitatem; sive denique alias fatalitates, quibus Regio haec, montibus circumsepta et intersecta, rapacibus fluminibus et fluvijs exposita, adeo subjecta est, ut jam extrema siccitas fruges pene omnes comburat, jam aquarum exundationes, et in planiori so'o, quod fertilius est, de Anno in Annum inevitabiles nebulae, respective pruina omnia decoquat, respective propter naturalem situm, singulis Annis immitis grandinis intemperies segetes vineasque et agros conquasset, respective vero Locustae et Erucae glandes, gramen herbamque seu absumant, seu veneno afficiant, luemque animalium noviter provocent, spectemus: profecto nullibi sufficiens, ad vitam comode transigendam, ne dicamus lucrandas paratas pecunias, sine quibus Contributio dependi non potest, medium inveniamus.

Clementissima Domina! Regioni huic ita hostico expositae, ut Tyranni hostis rabiei prima victima esse. et primos impetus, aggressiones, facultatumque et fortunarum discrimen sustinere debeat, praeter domesticam consumptionem nullum pene aut vix aliquod est cum extraneis commercium, pecuniae extraneae exiguus aut nullus influxus, hujus autem ipsius exiguae circulantis maximus exitus; ille namque deplorandus status est noster, ut solis victualibus exceptis, quae vel ideo quod exitum nullum habeant, depereunt, et suapte absumuntur, vix aliquid ipse etiam contribuens subditus (rem lineam et corium, quo nuditatem corporis tegit et a frigore defendit excipiamus) corpore gestet, sed ipsam vilem vestem, seu ex Turcia, seu vicinis provincijs illatam, pecunijs e Regno eductis comparat, ac prae inopia et penuria, ad vitam necessariam, misere vivat; tot centena gratuitorum in viarum publicarum subinde in Banalibus etiam Confinijs sitorum Praesidiorum, et adversus hostiles incursiones propugnaculorum in Annis 1764. et 1765. errectionem et reparationem laboratorum exportante millia prae-

statione; fluviorum etiam Szavi et Collapis commeatui fluviali adapertorum repurgatione nondum liberatus, revera ita fatiscit, ut nisi Regia et Clementi Majestatis Vestrae Sacratissimae provisione Regioni huic ea ratione Benigne manus porecta fuerit, ut per Regni productorum, vel maxime vini, quod forte solum et unicum corpori et necessitatibus suis subditus subtrahere, et in fundum contributionis convertere posset, e Regno eductionem, respective cum vicino Carlostadiensi Generalatu, et vicinis haereditarijs provincijs stabilem, securam, eamque a gravibus negotiationis et commercij progressum in fundamento subvertentibus vectigalibus liberam communicationem, manufacturarum introductionem, et fodinarum, vel maxime ferri, quo ipse subditus ad exercendam agriculturam necessario uti, et jam duplicato pretio comparare debet, prospiciatur, contribuentique modus et occasio praebeatur, quo is et paratas pecunias lucrari et industriam suam fructuose augere valeat: Subditus hic non ut naturali Domino et Terrae Principi amplius quid contribuere posset quin potius, ne priorem quidem contributionem, cujus magna pars in restantijs inexoluta haeret, et nec per Executiones continuas incassari valet, ultronee dependere poterit.

Sunt et complura alia, Clementissima Domina! quae miseri Regni hujus et ipsius contribuentis subditi vires seu exhauriunt, seu diminuunt, quae Benignam Maternam et Regiam Majestatis Vestrae Sacratissimae et provisionem et sublevationem merito exposcunt, nempe:

Attenuatis contribuentis viribus proxime accederet adminiculum adhuc magis attenuans easdem vires; graves illae, quae partim in Varasdinensi Generalatu, in Sancto Georgio et Ivanichyensi Praesidio titulo telonialis, in trajectu vero Dernye nauli vectigalis, partim Carlostadij, a victualibus, et Regni productis, vel maxime vero vino exactiones fiunt, et respectu quarum non tantum contribuentis subditi vires enervantium, verum etiam juribus, praerogativis et imunitatibus nostris plurimum praejudicantium, coram Augusto Majestatis Vestrae Sacratissimae Trono, ac dein coram Regia locali Commissione quaesti sumus. Et licet cum praesentia et sub decursu ejusdem Regiae Commissionis tantisper ab exactionibus illis et in specie a vini Mensurae Posoniensis uno cubulo in x[ris] 30 constituta, ac in ponte exigi solita Taxa, Benigna Majestatis Vestrae Sacratissimae per localem Commissionem publicata decisione sublevati fuerimus, recedente Regia locali Commissione praestatio haec subdito onerosissima, mutata quidem exactionis specie et loco, denuo reassumpta est, et sine remissione in locis, ubi ad educilla deponentur, ita exigitur, ut vendenti cum inevitabili defalcatione per ementem vel educilantem imputetur. Profecto cum in Regno hoc major et sensibilior aliquis comeatus, adeoque nec loca consumptionum nominatiora essent, de Clementia et Regia Majestatis Vestrae Sacratissimae Materna provisione sperare licuisset nobis, quod jam hactenus Carlostadium, naturaliter ad rippam Collapis situm, et si non amplo cuidam comercio, negotiationi profecto et comeatui majori expositum, Majestas Vestra Sacratissima in statum liberi et privilegiati Emporialis loci communi negotiantium libero depositorio, et tali, qualem Provincia haec admittit comeatüi, citra tamen eorum et tantorum, quae nunc ibi fiunt vectigalium exactionem, deserviturum Benigne elevare dignata fuisset. Interim, ut praemisimus, cum sensibili animorum nostrorum dolore experimur, quod loco eodem, qui unicus est in Regno hocce majori comeatui et negotiationi tam vicinorum et extraneorum, quam domestici militaris et provincialis populi idoneus,

eae Datiae et vectigalia introducta habeantur, ut contribuens ne quidem Salem usui quotidiano necessarium absque vectigali emere, vinum vero suum, ex quo solo contributionis fundus sperari et expectari debet, non secus, quam cum graviori per viam unam in 30 xris., per aliam vero xris 16 a singulo cubulo, adeoque insimul 46 xros, seclusa et huc non imputata educillantis mercede, gravetur, et proxime ad dimidium, qui in regione hac satis exiguus est, valorem et pretium reducatur. Insuper vero vinorum Dalmaticorum, Venetae Reipublicae Jurisdictioni subjectorum, inductio ita in Generalatum Carlostadiensem hactenus per armorum praefecturam sustinebatur, ut magnam et notabilem hujus circulantis Pecuniae partem aequans, nunquam in Regnum, et inter contribuentes Majestatis Vestrae Sacratissimae subditos redditura evehatur pecunia, et per id circulans Massa sensim exhauriatur. Quod si Majestas Vestra Sacratissima omnem Dalmaticorum vinorum, cum vino alioquin Regnum hoc provisum esset, inductionem clementer prohibere, ac una manipulationem negotij eo deduci facere dignata fuerit, ut vijs Segniam et Liccam ac Corbaviam versus aperiendis, ac ad Statum securi faciliorisque comeatus et transitus ponendis, vina Regni hujus ad eundem Generalatum invehantur, respective vero per ipsos confiniarios negotiantes oneribus sive Clytellarijs Equis efferantur, eveniet et major cum militari illo ejusdem coronae et principis populo communicatio et circulatio pecuniae, contribuentem sublevatura augebitur, consequenter vires populi ad securius et stabilius dependendam Contributionem elevabuntur.

Partes quoque Maritimae cum Segniensi et Noviensi Civitatibus apertis Regni Legibus, jam sub Glorioso etiam Majestatis Vestrae Sacratissimae Regimine conditis, Regni Jurisdictioni subjectae, tantum abest, ut eandem cum obsequio et legali dependentia recognoscerent, quin potius cum derogamine Regni et Banalis Jurisdictionis agnitam Legibus nostris Jurisdictionem recognoscere, ac inter Statum publicum et Dicasteria Majestatis Vestrae Sacratissimae collisiones procurarent, ubi tamen vigor Legum, rectaque politicorum manipulatio exposcerent, partes easdem velut contribuentis subditi membra tum in ordine administrationis Justitiae, cum publicorum onerum portandorum Politicae et Juridicae Regni Jurisdictioni cum effectu subjiciendas esse, ut vel hac etiam ratione amplius et certius commercij ratio promoveri, et contribuentium vires adaugeri possint.

Onera publica, Ipsaque Majestatis Vestrae Sacratissimae Regij aerarij necessitatibus ita exposcentibus augentur, Jurisdictio e converso Politica et in fundis et subditis contribuentibus in dies coarcetur. Excorporationes quippe ad Carlostadium fine dotandi Militis, in Generalatu vero Varasdinensi ultra competentiam Status sui effectivi amplos fundos possidente, ampli et fructiferi oppidi Czirkveno Terreni Annis recentioribus 1767 et 1768 factae, adeo sensibiles sunt nobis et contribuenti plebi, ut nisi de Clementia Majestatis Vestrae Sacratissimae pro futuro praecautae et impeditae fuerint, ea ratione et sensim magna Regni pars, glebaque fertilior, et populus fortior ex contributionis sui in parte in subsistentiam et stabilitatem sufferant.

Dignetur proinde Majestas Vestra Sacratissima jam hactenus ad Carlostadium avulsa et excorporata, ita et oppidum Czirkveno Varasdinensi Generalatui, nec terreni sed nec Personalis sive servientium defectum, quin potjus resultantiam habenti incorporatum, reali aequivalenti Jurisdictioni politicae compen-

sari, suaque via et modo per deputationem modernorum et futurorum onerum eà etiam in parte contribuentes, sub onere fatiscentes, benigne sublevari facere; futuras vero nefors Majestatis Vestrae Sacratissimae proponendas excorporationes a nobis, qui hactenus omne id, quod bini Generalatus et confinia possident, de Bonis et Jurisdictione Regni politica in tutamen et defensionem Sacrae Coronae Publicique defensionem sacrificavimus, clementer avertere, cum secus vel ex hac sola occasione et sensibili fortioris contributionalis fundi diminutione maximam ipsius Contributionis Regiae et diminutionem et insecuritatem sequi necessum sit

Non minorem fundi Contributionalis partem sublevare posset militaris binorum Generalatuum et aliorum Confiniorum Amictus Domi in Regno appromptatio et elaboratio, si videlicet in Regno per Domesticos, qui contribuentes sunt, opifices consuatur, (sic) successive vero ad eum Statum ponatur, ut ex conficiendo in Regno Panno et Materialibus conficiatur. Effectus hujus et in opifices et in roborantes subditos, cum illi manuum labore, hi diversis vecturarum et manualis aeque laboris vijs, majorem deponendae per se contributionis partem mereri possint, promanaturi provideantur, ac ideo

Manufacturae diversae, quas situs Regionis admittit, ut sunt Panificinae, quae vel pro solo confiniario et nationali milite, ac respective domestico contribuente subdito (si etiam nil unquam e Regno efferatur) sufficerent; Fabricae item Coreaceae omnis generis, nec non ferri fodinarum, seu in cursu suo et statu actu existentium seu noviter aperiendorum cultura; si jam ante retroactos multos Annos in Regnum introductae fuissent, Majestas Vestra Sacratissima magnam auctionalis fundi cum augmento virium contribuentium securissimam partem habere posset, praeter enim necessariam Magistrorum et negotiantium consumptionem, quae exhinc necessario sequerentur, ipse contribuens, qua vecturis, qua manuali labore et vel maxime e productorum suorum distractione paratas in Regno circulantes Pecunias mereretur, quae de praesenti magna in parte in Turciam pro ferro, abba alba, rubra et cerulea, Centonibus, Gansapibus, pellibus pillosis et glabris, alijsque materialibus, partim autem in reliquo in vicinas alias Provincias ita plenis canalibus efferebantur et hodie respective efferuntur, ut mirum sit, et nonnisi a sola Dei Benedictione et providentia contribuenti hactenus superfuerit et illa parata Pecunia, qua Regiam Majestatis Vestrae Sacratissimae contributionem dependit.

Nec minus sensibiles nobis sunt circumstantiae illae, quod per unam viam nonnulli in gremio Regni hujus fortius possessionati Regnicolae personales Residentias extra Regnum hocce faciendo, non tantum inter Contribuentes nullam pecuniarum partem profundant, quin potius paratas e Regno pecunias efferendo, circulantis Pecuniae massam diminuant, per aliam vero viam ipsi contribuentes nativi quippe Regni Incolae et subditi per tanta, quae Annis superioribus sterilibus et famelicis partim in Sclavoniam et Regnum Hungariae, partim in Varasdinensem Generalatum profugia, in tantum vires suas sive in Regno remanentium contribuentium attriverint, ut exinde copiosae fundorum desertae publico et Terrae principi exiguum aut penitus nihil fructificaturae, in his proxime ad alterum tantum contributionis Elevationis circumstantijs, certo certius eventurae praevideantur, si parte ab una paratas Pecunias aquirendi media et adminicula subditis de Clementia Majestatis Vestrae Sacratissimae porecta non fuerint, parte

ab altera si apud inferioris Sclavoniae et Regni Hungariae Comitatus, ipsasque Militares praefecturas per Majestatem Vestram Sacratissimam severae prohibitiones et cum effectu provisiones factae non fuerint, non sine fundamento praevidere licet, subditos eosdem ultro domicilia deserturos, ac per id fundos nunc contributionem portantes collapsuros, hocque facto ad ultimam instabilitatem magnam contributionis partem esse ponendam.

Atque ea ratione statum, vires, facultatesque contribuentis subditi in Conscriptionibus caeteroquin individualiter Anno superiore de positivo Benigno Majestatis Vestrae Sacratissimae jussu per Comitatus peractis contentas, per quasvis debitas circumstantias combinando, et ad fundum usque viresque ultimas excutiendo, tametsi quidem ducto ad personale, quod procreationes frugum absumit, calculo, in rei evidentia et conscentijs nostris compererimus, quod contribuens plebs non tantum procreationem frugum vitae suae et domesticae necessitati inevitabiliter competentem et necessariam in gremio Regni non habeat, sed insuper aperto defectu et penuria laboret, ac necessitates suas ex inferioris Sclavoniae, Hungariae, Generalatusque Varasdinensis partibus quottannis supplere cogatur; pro avito nihilominus et inalterabili homagialis fidei et devotionis nostrae zelo, ac semper testata promptitudine, mutuis, ijsque unanimibus studijs et conatibus eam statim et sine prolongatione quapiam alacrius et promptis animis nobiscum inivimus rationem, ut in Materna Clementia et Regia in Nos benignitate confisi, speque indubia futurorum supradeductorum nobis et vel maxime contribuenti subdito de plenitudine potestatis Regiae subministrandorum mediorum, quibus subditus nec fertilitate soli, nec abundantia facultatum provisus, et ideo in pecudibus faciliorum alias dependendae Contributionis fundo spes suas collocare non valens, cumprimis domi in Patria sudore et labore manuum aes paratum in contributionem et aerarium Majestatis Vestrae Sacratissimae conferendum mereri, Vinum dein, unum e productis Regni fundum contributionis, et si quae alia naturalia Terrae quae ducta ab inevitabili necessitate ejusdem abstrahi valeant, in paratam Pecuniam domi vel foris convertere, consequenter necessario augendae in reliquo industriae suae optatos effectus, parati aeris receptione assequi valeat; praeter et ultra illud, quod pro fundo intertentionis Banalis Militiae alijsque nostris Erogationibus in Schemate hic de genu annexo specifice elucescentibus hucusque subministratum fuerat, quinquaginta septem Millia florenorum auctionis titulo per subditum Regni hujus dependendam fine explendae Benignae Majestatis Vestrae Sacratissimae voluntatis fideli obsequio ea homagiali et humillima declaratione de genu offeramus, ut ad normam Regni Hungariae, cujus coronae partem constituimus, contributio haec usque futuram Regni Hungariae partiumque eidem annexarum Diaetam per subditum dependatur, neque nos de effectiva praemissae contributionalis summae exigibilitate, sed nec alter pro altero, aut Comitatus pro Comitatu caveamus, adeoque ne unus pro alio quoquo modo ad contribuendum adigi possit, cautum sit.

Insuper ut Jura, Libertates et praerogativae, ac immunitates Regni, Banalis authoritatis et Regnicolarum semper per apertas Regni Leges et Majestatem quoque Vestram Sacratissimam materne et clementer hactenus praecautae et illaesae conservatae, hac quoque occasione ultro conserventur, onusque hoc ad instar Regni Hungariae tantumodo contribuentes subditos afficiat, qui si (quod doleremus) fatalitatibus temporum pressi aliqua sui in parte, vel toto, successive

onus hoc Contributionale dependere non possent, Majestas Vestra Sacratissima Benigne compati et oneri impares per Regiam ac Maternam providentiam suam sublevare, oneraque Eorum Clementer ita alleviare dignetur, ut una a gratuitis quibusvis laboratoribus et vectoris, vires contribuentium exhaurientibus, pro futuro etiam eliberentur; si quae autem in casibus transenarum, aut Belli temporibus militiae foeni, graminis, straminis, aut aliorum naturalium praestationes necessario administrari deberent, ea omnia in contributionis imputationem et defalcationem assumantur. Oblatum porro hocce nostrum, ad ultimum fundum excussum, viribus profecto modernis contribuentis subditi impar, ast in fiducia Gratiarum Regiarum, et in Regnum hocce suis vijs materne provehendorum commodorum, facilitanda quippe et felicitanda in Regione hac circulationis pecuniae modalitate collocatum, dignetur Majestas Vestra Sacratissima ea Benignitate Regia acceptare, qua alacritate et homagialis obseqvij promptitudine, ut primum Benigna Regia propositione intellecta uno sensu et unanimi opinione, pro avita nostra Benignas Regias Intentiones pro possibilitatis ratione secundandi promptitudine, obtulimus, Benigne in eo conquiescere, et cum jam quartus Anni Militaris Mensis decurreret, et pro prima Maji Anni currentis dimidia contributionis pars anticipato Cassae militari effective dependi deberet, interea vero proportio, ac individuales per Comitatus repartitiones vix institui, nulla autem humana Industria incassari possit, Vestra Majestas Sacratissima initium dependendae hujus contributionis Annum militarem proxime affuturum, sive a 1. Novembris 1770. inchoandum clementer constituere, ac una pro Regali Providentia sua in exolutionem Confiniariae Banalis militiae, in tutamen et defensionem non tantum sui et Sacrae Regni Coronae, sed aliorum Majestatis Vestrae Sacratissimae Regnorum, ac haereditariarum Provinciarum excubantis subsidia et adminicula ex earundem provinciarum, quibus indefessis fatigijs et quotidianis servitijs horum confiniariorum vitae, fortunarum, et quietae mansionis optata praestatur securitas, comertijs et pecuniarijs succursibus subministrentur et dependantur, benigne disponere dignetur Majestas Vestra Sacratissima.

Porro, cum ea semper fuerit Majestatis Vestrae Sacratissimae et Augustae Domus ejusdem in Regnum isthoc et Regnicolas Regia Benignitas et benigna propensio, ut fideles et meritos subditos suos domi et foris distinctis caracterum gradibus praemiare dignati sint; luculenta hujus Regiae et Maternae Majestatis Vestrae Sacratissimae Clementiae Testimonia in viventibus etiam nobis supersunt, atque in homagialis devotionis Cultu profunda cum gratitudine venerabundi recolimus, verum tamen quoniam Regni hujus publica, altissimum Majestatis Vestrae Sacratissimae servitium eidemque annexum Bonum publicum tangentia negotia per Dicasteria Majestatis Vestrae Sacratissimae extra Regnum hoc sita pro re nata tractari et decidi solerent, ut et negotia Regni domesticorum subjectorum intrinsecas Regni circumstantias cognitas habentium pertractationibus et promptis informationibus pro altissimo Majestatis Vestrae Sacratissimae servitij incremento et Patriae felicitate tractari, consequenter ipsa dicasteria in laboribus sublevari, et nationi amplior honor accedere possit, dignetur Majestas Vestra Sacratissima, ad effectum homagialium nostrorum in Generalibus etiam Regni Comitijs propositorum postulatorum, factarumque superinde Regiarum suarum resolutionum, in uberius erga nos Clementiae Regiae testimonium, nostram autem Consolationem, et ad Regiam Cancelariam suam Aulico Hungaricam, et ad alia

politica et juridica dicasteria, Regni hujus subjecta in occursuris vacantijs pro eorundem qualitate et capacitate assummi et accomodari facere, ita et in confinijs in binis Generalatibus, ac Sclavonicis, tam in Militaribus, quam Politico et Juridico Militaribus Officijs praecipuam Regni hujus et Patriae filiorum, ipsius confiniarij Militis indolem magis perspectam habentium, et gravibus sumptibus foris extra Patriam educatorum, capaciumque, ea gratia et benignitate, qua hactenus dignabatur, accomodandorum et promovendorum maternam curam habere, ut hac etiam ratione et Orthodoxa Romano Catholica fides, quae fulcrum et propugnaculum nostrum et Regnorum horum esset, ad effectum tot et tantarum publicarum Constitutionum amplius et conservari et ampliari, Majestatis Vestrae Sacratissimae vero altissimum servitium promoveri valeat.

Denique cum Regionis hujus felicitas vel ea etiam ratione provehenda praevideatur et speretur, quod si exitus Regni productorum et naturalium Vini frugumque cum effectu procuretur, Majestatis Vestrae Sacratissimae de genu humillime supplicamus, dignetur pro materna cura et solicitudine, ac in Nos Regia Clementia sua, aperto jam reseratoque improbo contribuentis Regni hujus Plebis labore, et in id multis gratuitorum laboratorum millibus impensis, aqua sive Savo et Collapi e Banatu Temessiensi, ac inferiori Sclavonia Comercio sicco quoque, sive terra et per axem versus Mare, ac praesertim etiam in Vicinas Carinthiae, Carnioliae et Styriae provincias liberam negotiationem ac comeatum admittere; una vero apud Status Styriae benigne ordinare, ut sua ex parte unam quidem (viam) ex Regni hujus Oppido Crapina per Kollari sic dictum locum, Petovium et Marpurgum ducentem, quae non ita pridem, dum Crapinae statio postalis erat, publico comeatui patebat, sed hic et nunc reparari omissa est, aliam vero Cilleam versus ducentem, — per utrasque Miles etiam Confiniarius, dum velocius per Styriam in Castra ascendere debebat, cum acceleratione altissimi Regij Servitij promovebatur, — reparari et ad practicabilem transituique meliori comodum statum poni procurent, consequenter exemplo nostro, qui per praemissi tutam duriori etiam labore Savi fluminis repurgationem, ipsis aqua viam et comunicationem aperiamus, et vel maxime Vinum, ut quemadmodum nos producta earundem Provinciarum, ferrum, Calcem, robora, Pinea, pannum, Tellam, Pelles, aliaque tanto numero de Anno in Annum recipimus, et vicine cum ijsdem comunicamus, ut non immerito asseverare possimus, Pecunijs e Regno hoc eductis de Anno in Annum magnam Contributionis eorum partem exolvi, vicissim et vicinali obligatione Eaedem Provinciae Vinum, Triticum, aliaque Regni Producta certo aliquo rationabili numero quottannis, ut hac ratione ejusdem Vini adminus mediocritas et aequilibrium pretij conservari possit, secum comunicari et reciproca ratione suas nobiscum Pecunias comunicari sustineant. In quibus ac Majestatis Vestrae Sacratissimae in Nos Materna et Regia Benignitate spes nostras fiduciamque collocantes homagiali in subjectione emorimur.

Dabantur ex Generali Nostra pro 1. et sequentibus Mensis Februarii Varasdini Anno Domini 1770 celebrata Congregatione.

Majestatis Vestrae Sacratissimae

Humillimí perpetuoque fideles subditi N. N.
Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae
Status et Ordines.

## Articulus Sextus.

*De Societate Agriculturae in Regno hoc stabilienda et in effectum deducenda.*

Sua Majestate Sacratissima pro Materna Sua cura et sollicitudine, subjectorum Sibi Populorum felicitatem per quaevis media et adminicula Benigne quaerente, ac ideo exemplo aliarum florentium Provinciarum, in Regnum hoc quoque Societatem Agriculturae introducendam Benigne praecipiente; dispositum est, ut cum jam hactenus in obsequium Benignarum Regiarum intentionum, singuli Comitatus in gremio suo Societates ejusmodi jam praeinstituerint, aptaque subjecta in consortium hujusmodi vocaverint et assumpserint; quod reliquum est, Societatem eandem stabiliter conservent, certis temporibus in unum conveniant, ac quae in Materia agriculturae, meliorandaeque rei aeconomicae pertractaverint, operationum et opinionum suarum de tempore in tempus relationes Regio in Regnis his erecto Consilio faciant; cum porro Societates hae, ut ad debitum florem manipulationemque Negotiorum suorum pertingere valeant, Protectore suo etiam indigeant, eaedem Societates honorem hunc Suae Excellentiae Banali detulerunt et pro Protectore suo denominarunt.

## Articulus Septimus.

*De Cultura apum et apiarij Salario.*

Postquam Sua Majestas Sacratissima pro Materna cura Sua, in commoda subditorum intenta, certum Josephum Legat, ex superiori Carniolia oriundum, alias in cultura apum versatum, fine meliorandae et instruendae apum culturae, motu proprio ordinare et in Regnum mittere dignata fuisset: Domini Status et Ordines Regni, Regiam hanc sollicitudinem venerabundi excipientes determinarunt, ut idem Josephus Legat, pro triennio assumptus, ex Cassa Regni in Annuis florenis 365 exolvendus assumatur, ea ratione, si cum fructu operam suam publico impenderit, et per solertem curam ac industriam suam fructum in publicum, consequenterque contribuentem plebem, promanaturum remonstraverit; Salarium idem ex Cassa Regni habeat, per quartalia anni exolvendus; domesticos vero subditos ex singulis Districtibus per Comitatus et respective Dominia terrestralia submittendos, fundamentaliter in modo tractandi, apesque multiplicandi instruat, ac pro Anno quidem currente, in Comitatu Varasdinensi, in locis ad Varasdinensem Civitatem, ubi copiosiores apes aluntur; successive vero in alijs duobus Comitatibus, si aptus inventus fuerit, operam suam impendat; cui necessaria assistentia per Dominos Comitatuum Vice-Comites et judices praestari debebit; ipse autem a Dominibus Statibus et Ordinibus Regni, ac extra Regni Congregationes et Congressus a Sua Excellentia Banali, qua Praeside Statuum et Ordinum Regni, dependebit; ut tamen publico de experientia modoque rem apiariam tractandi dicti Josephi Legat constet, sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Petri Troili a Sermage, Suae Majestatis Sacratissimae Camerarij, Generalis Campi vigiliarum Praefecti, eo condeputatis Dominis Ordinario Comitatus Crisiensis Vice-Comite Georgio Petrichevich, Civitatis Capronczensis Judice Joanne Svagelly, Comitatus Varasdinensis Perceptore Georgio Horvath, et pro Actuario dicti Comitatus Notario Thadaeo Bedekovich ordinarunt Deputationem, quae per interponenda inter-

rogatorum puncta, ab antelato apiario et Antonio Janda, Principali ejusdem, fundamentalia tractandi apes excipiat momenta; cujus Deputationis opus dein in publico relatum, lectum et aprobatum est, Comitatibus pro congrua Notitia et directione extradandum et per Districtus publicandum, in publicumque divulgandum.

## Articulus Undecimus.

*De Secundario petito et aucto Contributionali quanto.*

Postquam Sua Majestas Sacratissima prompto et alacri Dominorum Statuum et Ordinum in 57 Millium auctionali Quanto, ex ratione gravium altissimi sui Aerarij Regij necessitatum contentari non est dignata; verum sub 12. Mensis Martij denuo annuam 100 Millium florenorum auctionalem quottam a Dominis Statibus et Ordinibus exposcere, unaque ad nonnulla Regni Postulata Benignas Resolutiones Regias impertiri dignata fuisset, Domini Status et Ordines Regni, ut pro omni posse suo Benignas Regias intentiones secundare, Aerarioque Regio succurrere valeant: tametsi quidem in rei evidentia, et suis conscientiis cognoverint, subdito Regni hujus, gravibus miserijs et fatalitatibus depresso, vires praesentes non esse ad amplius contribuendum; quia nihilominus Contributionis ejusdem auctio per Suam Majestatem Sacratissimam gravissimis rationum momentis amplius urgebatur, parte ab altera Domini Status et Ordines in ingenita Majestatis Suae Sacratissimae Clementia et Benignitate, subditum Contribuentem de Regali Providentia sublevatum iri confidissent, ad remonstrandum zelum suum et homagiale obsequium, spe futurorum de Regia Benignitate contribuentibus suppeditandorum adminiculorum, adhuc 13 Millia florenorum priori suo oblato adjicientes, auctionalem summam in 70 Millium florenorum ea ratione constituerunt, et Suae Majestati Sacratissimae obtulerunt: si subditus in Statu erit solvendi; et ut onus fundo non inhaereat; Status et Ordines de exigibilitate non caveant, alter pro altero ad solvendum non adigatur; et denique ut non pro hoc, verum iminente Militari Anno Contributio haec aucta exordium suum capiat. Cum porro noviter Suae Majestati Sacratissimae repraesentandum et Postulata Regni reiteranda fuissent, fine ellaborandorum Motivorum et Repraesentationis, sub praesidio Illustrissimi Domini Comitis Joannis Patachich, Supremi Comitatus Crisiensis Comitis (tit.) Deputatio eadem, quae occasione primae Repraesentationis laborabat, denuo ordinata est, quae opus suum in publico relatum et aprobatum retulit, et Suae Majestati Sacratissimae in subnexa modalitate repraesentatum est, et in eo supplicatum, ut auctae 70 Millium florenorum Summae Solutionis Terminus ita ad futuram Militarem Annum extendatur, ut a 1. Novembri currentis anni 1770 exordium capiat; ad Postulata vero Regni, ut Sua Majestas Sacratissima Benignas Regias Resolutiones Suas, per Dominos Status et Ordines conferentialiter etiam congregandas, excipiendas elargiri dignetur.

## Articulus Decimus Quintus.

*De Commissariatus officio, in Confiniis Regni Banalibus praehabito, Suae Majestati Sacratissimae repraesentando, et Venerabili Capituli Zagrabiensis intuitu Dubiczensis Comandae Instantia recommendanda.*

Dolorose intellexerunt Domini Status et Ordines, quod Aulico-Bellicum Consilium, Comissarium in Confiniis constitutum, ab incassatione emolumentorum,

Diplomatice Regno in subsidium exolutionis Confiniariae Militiae 1750. Anno cessorum, jam a 1. Novembris 1769 impediverit, et quod emolumenta eadem a Status publici administratione ita auferantur, quin vel Statibus et Ordinibus Regni, solito canali suo, aliquid de eo constaret; proinde ut justus hic dolor nervose Suae Majestati Sacratissimae repraesentetur, et administratio emolumentorum restitui petatur; aut si id ex altissime cognitis rationibus Sua Majestas Sacratissima facere non dignaretur, ut adminus emolumenta eadem, in annuis 8 Millibus florenis, quae certo certius Statui Militari inferent, Sua Majestas Sacratissima in Aerarium suum Regium per imputationem in Contributionem assumere dignetur. Nec absimiliter quoniam Venenerabile Capitulum Zagrabiense, de Principe et publico bene meritum, consimili Aulico-Bellici Consilij facto, Comanda Dubiczensi privatum se esse exponeret, ut Instantia ejusdem Venerabilis Capituli, ad Suam Majestatem Sacratissimam pro ponenda Medella directa, nervose recommendetur, determinatum est.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1790. MENSE MAJO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1790. 12. et sequentibus Mensis Maji diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nonagesimo, Die Duodecima Mensis Maji, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto, et primum sub Praesidio Illustrissimi et Reverendissimi Domini Maximiliani Verhovacz, Divina Providentia Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. V. M. de Topuszka, Comitatus Berzencze Supremi ac Perpetui Comitis, velut ad Actum neo-clementer resoluti Excellentissimi Domini Comitis horum Regnorum Bani juxta praescriptam Altissimo Loco Normam peragendae Installationis benigne Delegati Comissarii Regii, ac tandem terminata eadem Installatione sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Erdődy de Monyorokerek, Arcis et Civitatis Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comitis, Suae Maiestatis Sacratissimae Camerarii, Actualis intimi Status Consiliarii, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae celebratae Generalis Congregationis

### Acta et Articuli.

*(Caeteris exmissis.)*

## Articulus Decimus Quintus.

***De relato opere Deputationis in merito elaborandae pro Dominis Ablegatis Diaetalibus Instructionis, Punctorumque ex Parte horum Regnorum in Diaeta pro remedio ponendorum ordinatae.***

### Instructio

**Dominorum Ablegatorum ad Generalem Inclyti Regni Hungariae Partiumque eidem adnexarum pro 6. Junij a. c. indictam Diaetam deputatorum, in Deputatione eatenus Regnicolariter ordinata, elaborata, sequitur in haec verba:**

*(Caeteris exmissis.)*

Duodecimo. Reincorporationem Generalatus Várasdinensis, exhibito etiam in Diaetali Sessione Originali Leopoldino Diplomate, omnimode urgebunt; si tamen id per insperatum effectuari non posset, urgebunt adminus, ut omnes, quae sub Maria Theresia, et etiam Josepho II. quandocunque factae sunt e Statu Provinciali Excorporationes, respectivis suis Politicis Jurisdictionibus quantoócijus vel ideo restituantur, quod Status Militaris per Excorporationes has, quo semper ulterius serpere possit, studiose tantas fecerit Inclavationes, ut jam Comitatus Zagrabiensis a Crisiensi, hic vero a Posegano, imo ipsi Districtus Comitatuum Crisiensis et Veröczensis per terrena Militaria intersecentur.

Decimo Tertio. Et quia Capitulum Chasmense, cujus utilem in praestando fidei dignitatis exercitio operam Status ultro recognoscunt, per occupata a Statu Militari Bona sua injustam fructuum, quos e Bonis suis percipere debuisset, jacturam passum, precariis tantum et exilibus vitae subsidiis subsistit; urgebunt Domini Deputati, ut interea etiam, donec Comissio Incorporatoria finem sortiri possit, Princeps cum hoc Capitulo de aequivalenti interimali tractet, et id, de quo coalitum fuerit, interea donec Bona sua recipient, statim dependi curet.

**Punctorum ex Parte horum Regnorum in Diaeta Regni Hungariae Partiumque eidem annexarum proponendorum, deputationaliter elaboratorum, Tenor sequitur in haec verba: et quidem sequuntur**

### Puncta Constitutionalia.

Cum proinde Status Hungariae, et adnexarum Partium, nunc in ejusmodi casu versetur, censetur:

*(Caeteris exmissis.)*

Secundo. In vicem Consilii Locumtenentialis erigatur sub Praesidio Palatini Senatus Regni, Numerus Senatorum, uti et necessarii Status Subalterni Instructio, formula juramenti, et Salaria determinentur, Individua ex omnibus

quatvor Statibus a proportione Circulorum, et respective Regni Croatiae, pro Hungaria in hac statim Diaeta, pro Croatia vero in celebranda mox Regni Congregatione, liberis Statuum suffragiis eligantur, Officium eorum duret usque futuram Diaetam, tunc aut denuo confirmari, aut immutari possint. Si tamen aliquis Senatorum justam diffidentiae causam praeberet, possit etiam ante Diaetam a Comittentibus suis revocari, uti, et si aliquem mori contingeret, alter eidem etiam intra Diaetam substitui.

Septimo. E converso cum Princeps ipse ab arbitrario Imperio impediatur, nullus etiam Praesidum, id est Palatinus, Cancellarius, aut alter Senatus Regni Praeses, in Croatia Banus, in Comitatibus Supremi Comites, audeant arbitrariam sibi arrogare potestatem, sed Subalternos suos tanquam Individua liberae gentis tractent, et manente ipsis quoad ipsam Manipulationem directione, ad nullam subalternam jurisdictionem audeant proprio nomine, aut inscio sibi subalterno corpore meritoriam aliquam Ordinationem dimittere, sed omnia in pleno pertractentur, et nomine totius Corporis sub reddendae in proximis Comitiis responsionis onere dimittantur.

Decimo Nono. Et pro dislocanda praevio modo Nationali, et pro Confiniaria Regni Militia erigatur Budae Suprema Militaris Curia, e meris nationalibus Hungaris et Croatis consistens, in vicem Consilii Bellici Germanici Viennensis; huic praeficiatur Capitaneus Regni, hic sit una Comembrum Senatus Regni, elaborando Senatoris Regni juramento adstringendus, et ad reddendam de Dispositionibus suis, si in Diaeta ab eodem petatur, rationem obligatus. Militia per Hungariam dislocata, uti et Confiniaria Regi et Nationi Hungariae, Confiniaria vero Croatica Regi, Nationi Croatiae, per hanc S. Regni Hungariae Coronae juramentum dicant; et ideo Banus Croatiae sit praecipuum Curiae hujus Militaris Comembrum. Curia vero haec ad procurandam Militaris Systematis Unitatem, cum Consilio Bellico tantum correspondenter se habeat.

*(Caeteris exmissis.)*

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1791. MENSE JUNIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1791. 7. et sequentibus Mensis Junii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Primo, Septima et sequentibus Mensis Junij diebus, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Erdödy de Monyorokerek, Arcis et Civitatis Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, Eorundemque Regno-

rum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, Camerarii, unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, et Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae celebratae Generalis Congregationis

## Acta et Articuli.

### Articulus Primus.

*De publicatis Benigno Rescripto, prouti et Novissimae Diaetae Articulis, praestitaque per Dominos ad eandem Diaetam ex parte horum Regnorum Ablegatos Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus Relatione.*

*(Caeteris exmissis.)*

Ad 16. Siquidem Domini Ablegati Illustrissimis Dominis SS. et OO. retulissent, quod occasione conditi Articuli 59. De Contributione Regni Croatiae et trium Superioris Sclavoniae Comitatuum, semper in Diaeta, separatim tamen a Contributione Regni Hungariae pertractanda, obtineri non potuerit renovatio veterum Legum de solvendo Hungarici subsidii dimidio, eo, quod Leges illas a tempore, quo Status Sclavoniae Contributionem suam ab Hungarica separarunt, hancque sibi soli imponere coeperunt, evanuisse, Status Hungariae sustinuerint; hinc Illustrissimi Domini SS. et OO. praecitatum Articulum 59. eo sensu futuris quibusvis temporibus sumendum esse decreverunt, quod in re Contributionis Regni Croatiae et trium Superioris Sclavoniae Comitatuum in Diaeta ex parte Statuum Regni Croatiae imediate cum Sua Majestate Regia in medium consuletur, ac proinde Ablegati Regni, ad Comitia exmittendi, eo specialiter instruendi venient, ut hoc intellectu neque secus in conformitate etiam praeexistentium tanquam in ultima hac Diaeta neutiquam abrogatarum, de Contributione horum Regnorum sonantium Legum, negotium Contributionis pertractent.

Ad 34. Circa introducendum Linguae Hungaricae in manipulatione omnium Dicasteriorum usum; cum per Articulum 16. dispositum sit, ut Stylus Curialis Hungaricus in Gymnasiis, Academiis et Universitate Hungarica medio peculiaris Professoris tradatur, jus autem horum Regnorum ad Politica Hungariae Dicasteria jam Legibus Publicis stabilitum sit, Inclyti Domini SS. et OO. eam occasione celebrandae Regnicolaris in Literariis Commissionis faciendam esse propositionem concluserunt, ut in hujati Academia Professor Idiomatis Hungarici ex fundo Studiorum constituatur; una autem, quia Idiomatis Illyrici summa necessitas esset, tum, quod hujus Idiomatis Homines non tantum in his Regnis, sed et ipso Regno Hungariae infinito numero continerentur, cum vero, quod Domini Hungari in hujatibus Confiniis accomodari possint ac debeant, in his autem Idiomatis Illyrici potissimus usus sit, idem Idioma Illyricum in omnibus Gymnasiis, Academiis, ac ipsa etiam Universitate tradatur.

Ad 45. Quoniam Sua Majestas per Benignam suam Resolutionem erga propositum in eo Articulum, ut Flumen immediate Regno Hungariae incorporetur, clementer declarare dignata sit, quod antequam decretoria resolutio superinde eddatur, et concernentes Germanicas Provincias, et ipsum S. R. Imperium eatenus audire velit, Illustrissimi proinde Domini SS. et OO. ea ipsa fundamenta, quae jam hoc in passu per Dominos Regnicolares Deputatos proposita sunt, Suae Majestati Sacratissimae denuo humillime repraesentanda ordinarunt, quo Sua Majestas Sacratissima Urbem et Portum Fluminensem immediate Regno Croatiae, mediate vero per hanc S. Regni Hungariae Coronae benigne incorporare; quod si autem id impetrari non posset, totum illum Districtum, qui usque fluvium Fiumare protenditur, quive ex indubitata Regni Croatiae Jurisdictione Jurisdictioni Gubernii Fluminensis ante paucos annos subjectus exstitit, a Jurisdictione Gubernii Fluminensis eximere, atque pristinae Regni Croatiae Jurisdictioni, errecto Buccari distincto Capitaneatu, restituere dignetur.

Ad 47. Quoad jus Statuum Candidatos pro Dignitate Banali proponendi Inclyti Domini SS. et OO. reservarunt sibi facultatem postulatum isthoc in proximis Generalibus Comitiis reiterandi.

*(Caeteris exmissis.)*

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1792. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1792, 20. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Secundo, Vigesima et sequentibus Mensis Aprilis diebus in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Erdődy de Monyorokerek, Arcis et Civitatis Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, Camerarii, Unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, et Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae celebratae Congregationis Generalis

### Acta et Articuli.

*(Caeteris exmissis.)*

## Articulus Sextus.

*De Relatis Deputationis, Articulo Primo Ordinatae, Actis.*

Deputatio Articulo Primo praesentis Congressus, fine elaborandae pro Dominis ad Generalia Regni Hungariae Comitia Nomine horum Regnorum exmittendis Ablegatis, Instructionis, eorumque, quae in iisdem Comitiis ex parte horum Regnorum proponenda et pertractanda sunt, ordinata, posteaquam opus suum retulisset, Status et Ordines Idem ea ratione approbarunt, ut 1. Punctum 8. operis Deputationalis quoad Testimonium Comitatus in Causis Episcopalium et Capitularium tantum Colonorum, non autem Praedialium, quoniam hi in Conformitate Donatialium suarum consveto Judicatui subesse tenerentur, deinceps adhibendum, in forma duntaxat Projecti in Commissione, in Juridicis Diaetaliter Ordinata, per Dominum ad eandem Commissionem Nominatum Deputatum proponatur. 2. Ut relate, in Repraesentatione Puncto 1. Operis Deputationalis proposita Studiorum quoque Fundi, haec Regna respicientis, a Fundo Studiorum Hungarico separatio demisse petatur; in reliquo autem, ut modalitate praevia approbata Deputationis Acta Dominis quidem ad imminentem Diaetam exmittendis Ablegatis per extensum, Dominis autem ad Commissiones per Articulum 67. Ultimae Diaetae Ordinatas Nominatis Deputatis extractive, in tantum nimirum, in quantum quemlibet aliqua objecta respiciunt, extradentur, Status et Ordines disposuerunt.

## OPUS DEPUTATIONIS

### Articulo Primo Commemoratae.

Anno Domini 1792. Die vero 21. et subsequis Mensis Aprilis, sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Nicolai Skerlecz de Lomnicza (Titt.) Inclyti Comitatus Zagrabiensis Supremi Comitis, celebratae Regnicolaris Deputationis Acta.

### Relate ad Generalem eorundem Dominorum Ablegatorum Instructionem.

(*Caeteris exmissis.*)

4. Illud ex Natura Ablegationis profluit, ut Jussa committentium effectui mancipentur. Solet tamen evenire, ut, cum Diaetales Conventus in longius protrahantur, rerum Circumstantiae interea mutentur, quin et saepe adeo urgentes evadant, ut Instructiones, seu in parte, seu in toto mutationem exigere videantur. Domini itaque Regnorum horum Ablegati sese Punctis Instructionalibus sibi Regnicolariter extradandis exacte conformabunt; ac quidem in iis, quae Hungariam et Regna haec communiter respiciunt, Pluralitatis deciso acquiescent; ea vero, quae Regna haec privative, praesertim vero Municipalitates concernunt, ad Tenorem Instructionis proponent, ac omni studio sustinebunt, imo, si nefors talia contra Pluralitatem Votorum pervincere non possent, Protestationem, seu verbalem, seu scriptam, interponent, eamque pro futura Regnorum horum Cautela actis Diaetalibus inseri procurabunt. Domini itaque Ablegati, vel eo etiam fine,

ut in criticis ejusmodi circumstantiis de potioritate sensus Comitatuum Croaticorum constare possit, de quibusvis in Diaeta agendis eosdem Comitatus edocebunt, quorum Reflexiones, posteaquam ad Comitem Banum transmissae, ac in solita Conferentia Banali assumptae fuerint, faciendo inibi ad Circumstantias Temporum accomodato concluso, sese plene conformabunt; ut tamen respectivi Comitatus informentur, qualiter suppletoriae eorundem Reflexiones, et respective postulata, in praecitatis Banalibus Conferentiis assumta et pertractata sint, Acta ejusmodi Conferentiarum, in celebranda cum fine singulae Diaetae Generali Regnorum horum Congregatione per extensum referentur.

## Articulus Nonus.

*De Statuto quoad illos, qui ad Generales horum Regnorum Congressus invitati, nec per se, neque vero Mandatarium suum comparent, condito Suae Majestati Sacratissimae pro Benigna Ratificatione submittendo.*

Cum plurimi Dominorum Supremorum Comitum, Magnatum et Nobilium ad Generales horum Regnorum Congregationes invitati, nec per se, nec per Mandatarios suos, in obversum Municipalium horum Regnorum Legum, Benignis Regiis Confirmationibus roboratarum, comparare observarentur: ex eo, ut rectus, quem administratio Publica deposcit, introducatur, et Condignus Publicis Congressibus respectus procuretur, Status et Ordines praesenti Statuto mediante decreverunt: ut quivis per speciales Comitis Bani Litteras evocandus, ad triduum post praefixum pro Generali Congregatione diem expectetur, intra quem Terminum non comparens, aut hominem suum non mittens, neque sufficientem non comparitionis rationem assignans, in poena Arliculi 1. Ulladislai Decreti 3., Actore Advocato Pauperum, penes Tabulam Banalem constituto, per eandem Tabulam Banalem, salva extra Dominium Appellata, convincatur. Subsecuta porro convictione et sententia praescripta exequutionis via in effectum deducta, Fundus in executionem desummendus, exactore Regni actu non existente, Generali Comitatus Zagrabiensis Perceptori, per hunc separatim a Cassa Comitatus Manipulandus, inque usus Regni Publicos, juxta accipiendos a Statibus et Ordinibus Regni Ordines, et eidem ejectandam fatigio ipsius commensuratam remunerationem, errogandus resignetur. Ut autem ad effectum statuti praesentis efficaciter procedi possit, idem Suae Majestati Sacratissimae de genu substernendum, suamque Majestatem Sacratissimam pro Benigna illius Confirmatione demisse exorandam Status et Ordines disposuerunt.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1792. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis, A. 1792. 12. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Secundo, Undecima et sequentibus Mensis Augusti Diebus in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensi, ex edicto, et sub Praesidio Excellentissimi et Illustrissimi Domini Comitis Joannis Erdődy de Monyorokerek, Arcis et Civitatis Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Comitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, Camerarii, Unius Legionis Equestris Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, et Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, celebratae Generalis Congregationis

### Acta et Articuli.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Tertius.

***De facta Benigni Rescripti, quoad clementer nominatos pro Investigatione Quaerimoniarum Liberae et Regiae Civitatis Segniensis e Statu Politico et Militari Commissarios, emanati Publicatione.***

Lectum et Publicatum est Benignum Suae Majestatis Sacratissimae ad Suam Excellentiam Banalem sub 5. Martii Anni labentis emanatum Rescriptum, contextu cujus erga humillimam Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum horum Regnorum, de procurando Articulorum 60., 62. et 63. in Diaeta Anni 1791. Conditorum effectu, sub 7. Junii Anni ejusdem 1791. Suae Majestati Sacratissimae Caesareo Regiae submissam Repraesentationem, Altetitulatam Suam Majestatem Sacratissimam piissimae Memoriae Caesareo-Regiam, ex Individuis per Inclytos Dominos Status et Ordines Propositis, Dominum Comitem Petrum Joannem Nepomucenum Sermage, Suae Majestatis Sacratissimae Camerarium et Tabulae Banalis Assessorem, Dominos item Consiliarium Mathiam Bornemisza,

Joannem Jurinich Comitatus Varasdinensis Vice-Comitem et Stephanum Koretich Tabulae Regni Judiciariae Assessorem, ex Parte Status Politici, ex Parte vero Status Militaris, Dominum Generalem Campi Vigiliarum Praefectum et Judicii Delegati Militaris in Generalatu Carlostadiensi Praesidem Franciscum a Paulich, Colonellum item et Commendantem Confiniarii Regiminis Szlunensis Liberum Baronem Adamum a Bajalich, et Supremum Vigiliarum Praefectum Confiniarii Regiminis Ogulinensis Liberum Baronem Josephum Portner, pro Comissariis Regiis ea ratione denominare clementer dignatam fuisse, ut ad effectum Articuli 60. ejusdem Diaetae per mixtam, e Statu Militari et Politico Commissionem quaerelae Liberae et Regiae Civitatis Segniensis, circa Tenuta seu Beneficia ejusdem per Statum Militarem occupata, positae, in pertractationem assummantur, Objectum vero Plagae inter viam Josephinam et Carolinam sitae Jurisdictioni Politicae resignandae, prouti et meritum reincorporandi Generalatus Varasdinensis pro hic et nunc in suspenso relinquatur, Sua Majestas Sacratissima actu felicissime regnans Suae Excellentiae Banali pro notitia et directione, ac successiva Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum edoctione clementer significare, ac una committere dignata est, ut praerecensita Individua de facta sui pro Parte Status Politici denominatione Eadem Sua Excellentia Banalis certiora reddat, circa Locum porro et Terminum inchoandae Comissionis hujus mixtae, pro pertractatione duntaxat, ut praemissum est, querellarum Liberae et Regiae Civitatis Segniensis benigne resolutae, requisita, cum Suprema Armorum Praefectura, sua via eatenus Benignos Ordines acceptura, cointelligentiam foveat, atque dein super defigendo Comissionis hujus Loco et Termino supra nominatos Commissarios edoceat, unaque eos eo inviet, ut conficiendum super operationibus suis mutuum Protocollum successive Altissimae Inspectioni et ulteriori Benignae Decisioni medio Suae Excellentiae Banalis submittant. Pro cujusmodi Benigna Suae Majestatis Sacratissimae Resolutione altefatae Suae Majestati Sacratissimae humillimas gratias agendas, unaque Suam Majestatem Sacratissimam homagiali cum subjectione in eo exorandam Inclyti Domini Status et Ordines decreverunt, ut cum parte ex una per eandem Benignam Resolutionem ordinata e Statu Militari et Politico Commissio eo tantum instructa esse videretur, ut eas duntaxat querellas, quae circa Tenuta seu Beneficia Civitatis Segniensis subversantur, in pertractationem assumant; ad procurandum vero Articuli 60. 1791, qui pariter ad effectum praeexistentium Legum, signanter Articulorum 56. 1741., 128. 1715. conditus esse ex claro suo contextu deducitur, celeriorem effectum, necessarium foret, ut priusquam querellae de Tenutis seu Beneficiis Civitatis Segniensis, per Statum Militarem occupatis, tanquam accessorium assumantur, de ipso principali merito, Juribus nimirum, Privilegiis, in integrum horum repositione, atque adeo a Militari Jurisdictione exemptione Liberae et Regiae Civitatis Segniensis pertractatio per mixtam Commissionem instituatur. Parte autem ex alia Dominus Generalis Campi Vigiliarum Praefectus a Paulich, alia Altissimo Loco ordinata Commissione occupatus, ad Commissionem respectu Civitatis Segniensis ordinatam comparere nequiret, Sua Majestas Sacratissima eam mixtae Commissioni Instructionem elargiri dignetur, ut Commissio mixta sine ulla restrictione, non tantum in querellas de Tenutis sive Beneficiis proponendas, sed et de Juribus, Privilegiis, in integrum horum repositione, consequenter a Jurisdictione Militari exemptione Civitatis Segniensis assumere et pertractare; dicta autem Civitas tales plena cum

libertate proponere queat. Quoad autem Dominum Generalem Campi Vigiliarum Praefectum a Paulich clementer providere, ut propter hujus absentiam mixta Commissio Operationes suas differre non cogatur, verum his quo ocyus manum admovere possit, sicque tandem fine querimoniis Civitatis Segniensis imposito, tot tantarumque Regni Legum effectus procuretur.

## Articulus Quartus.

*De Benigno Rescripto intuitu 20 Millium florenorum, ex annua trium Superioris Slavoniae Comitatuum Contributione pro Scholis Nationalibus, Nosocomiis et Orphanis Benigne resolutorum emanato.*

Lectum et Publicatum est Benignum Suae Majestatis Sacratissimae sub 18. Mensis Junij Anni labentis ad Suam Excellentiam Banalem emanatum rescriptum, quo mediante altefata Sua Majestas Sacratissima ad demissas Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum sub 7. Junij Anni praeteriti 1791. et 20. Aprilis Anni currentis intuitu 20000 florenorum summae, quae occasione adauctae Anno 1770 trium Superioris Sclavoniae Comitatuum, Zagrabiensis quippe, Varasdinensis et Crisiensis, Contributionis, ex pientissima gloriosae reminiscentiae Imperatricis et Reginae Apostolicae Mariae Theresiae liberalitate, apud Cameram per aliquot Annos tam diu ellocanda disposita fuit, donec ex illa Capitale ejusmodi confletur, ex cujus Interusurio necessitatibus praefatorum Comitatuum quoad Scholas Nationales, Nosocomia et Orphanos subveniri possit, Suae Majestati Sacratissimae submissas Repraesentationes, ut votis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum satisfiat, Connotationes per Rationariam Aulicam genuine elaboratas, e quibus summam Capitalis successive conflati, potius adauctam, quam imminutam, ipsas autem erogationes conformiter ad scopum per Pientissimam Fundatricem defixum, omnino factas luculenter patet, transmittendo clementer significat, semet Consilio Regio Hungarico clementer injunxisse, ut ad facilius perficiendum, an, et qualis in futurum pro Scholarum Nationalium, Nosocomiorum Fundo utilior fieri valeat Provisio, ex Fundo pro triplici hac destinatione hactenus promiscue manipulato, unicuique ratam aequalem cum 80206 fl. 40 xr. excindi, ac in Cassam pro una quavis separati Fundi destinatione tenendam administari faciat, praeterea autem in id sollicite incumbat, ut 2000 fl. Textori et Civi Leuchoviensi Andreae Czisch in promotionem Fabricae, neutiquam ex Cassa Commerciali, verum ex Provinciali Croatica, annue 3572 fl. 45 xr. faciente, assignati sunt, suo tempore rite repersolvantur. Prout autem illud non verificatur, quod Gubernio Fluminensi annue 1500 fl. subministrati sint, ita extra omne dubium esse, quod quantum pro Scholis Nationalibus destinatum tertiam partem Fundi totius proventuum non excesserit, siquidem 1661 flor. 17 xr., quos Fundus Convictualis Zagrabiensis pro Stipendiis Studiosorum Nationis Croaticae percepit, adhuc ante Convictuum sublationem ex tertialitate proventuum, pro Orphanali Fundo destinata, depensi habentur, quos proinde ulterius etiam ex hoc Fundo dependi Sua Majestas Sacratissima Benigne vult, insuper jubendo: ut Salaria pro Ludi Magistris Veröczensi et Posegano, in 50 et respective 200 florenis defixa, ad Fundum Studiorum generaliter destinatum

transferantur. Cum autem per hanc Translationem Fundus ille Nationalium Scholarum, in perceptione 3625 flor. 33 ⅓ xr. consistens, per errogationem 3662 fl. 20 xr. 36 florenos 46 ½ xr. ultra suos ordinarios proventus expendere deberet, hoc quoque supererrogatum securitatem suam in Universali Studiorum Fundo radicandum nanciscatur. Caeterum Petitum Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum illud, ut nimirum Proventus Fundorum praeattactorum tribus Superioris Sclavoniae Comitatibus secundum Contributionis proportionem distribuantur, Locum habere non posse; quia voluntati et menti piissimae Fundatricis quoad horum Proventuum Administrationem, Manipulationem, et ordinatam Manipulationem non congruit. Posteaquam vero Fundi praefati ad talem summam excreverint, ut exinde Dispositiones in publicam utilitatem dimanantes fieri valeant, Inclyti Domini Status et Ordines Projectum circa qualiter et convenienter dispensandos impendendosque annuos proventus, reflexe ad onera Scholarum Fundo jam inhaerentia, et Classem Populi Contribuentis, efformaturi, Consilioque Regio Locumtenentiali, cui de Benigna hac ordinatione edocto una tam circa restantium Interusuriorum, pro casu necessitatis etiam Judicialiter fiendam Incassationem, quam et circa Statum Cassae Suae Excellentiae Banali cum fine cujusvis Anni Militaris communicandum, necessaria Benigne committit, Suae Majestati Sacratissimae subseque substernendum transposituri sunt. Cum autem ad id, ut in merito hoc fundati quid constitui possit, anteactorum Combinatio necessaria esset, proinde Inclyti Domini Status et Ordines Deputationem sub Praesidio Suae Excellentiae Domini Inclyti Comitatus Zagrabiensis Supremi Comitis Nicolai Skerlecz de Lomnicza, condeputatis eo Illustrissimo Domino Comite Petro Joanne Nepomuceno Sermage, Suae Majestatis Sacratissimae Camerario et Inclytae Banalis Tabulae Assessore, Reverendissimo Domino Canonico Zagrabiensi Emerico Vory, Dominis Francisco Tisztapataky, praefatae Inclytae Tabulae Banalis, Thadaeo Bedekovich, Suae Majestatis Sacratissimae Consiliariis, et Stephano Koretich, Inclytae Tabulae Regni Judiciariae Assessoribus, Domino Josepho Ferbarich, Civitatis Crisiensis Judice, et pro Actuario Domino Stephano Pomper constituto, ordinarunt fine eo, ut Combinatis omnibus ad idem meritum deservientibus actis, opinionem suam depromat.

## Articulus Octavus.

***De humillima Repraesentatione, pro Benigna Confirmatione Statuti Regnicolaris adversus eos, qui se a Generalibus horum Regnorum Congressibus absque ulla ratione absentant, conditi, apud Suam Majestatem Sacratissimam reiteranda.***

Ex perlectis hac occasione Credentionalibus Litteris postquam Inclyti Domini Status et Ordines observassent, quod non tantum nonnulli Domini Supremi Comites, Magnates et Nobiles, sed et plane unus Comitatus ad hanc Congregationem invitati sese simpliciter absentaverint, quin vel aliquam absentiae suae rationem assignassent, Suam Majestatem Sacratissimam denuo humillime exorandam decreverunt, quatenus Statutum, per Inclytos Dominos Status et Ordines in Generali eorum 20. et sequentibus Mensis Aprilis Anni labentis Diebus celebrata Congregatione, adversus eos, qui se a Generalibus horum Regnorum Congregationibus absque ulla ratione absentant, conditum Benigne confirmare dignetur.

## Articulus Decimus Quartus.

*De mittenda Suae Majestati Sacratissimae in eo humillima Repraesentatione, ut Benignae Resolutiones Regiae ad demissas Statuum et Ordinum Repraesentationes eddendae iisdem Statibus et Ordinibus immediate per Benigna Rescripta Notae reddantur.*

Quoniam Inclyti Domini Status et Ordines horum Regnorum id observassent, quod ad demissas eorum ad Suam Majestatem Sacratissimam factas Repraesentationes edditae Resolutiones per Rescripta non immediate ad eosdem, sed ad Suam Excellentiam Banalem directa, aut vero per Praesidiales Suae Excellentiae Domini Comitis Cancellarii Litteras ad Suam Excellentiam Banalem exaratas Notae reddantur, Inclyti autem Status et Ordines hactenus semper Benignas Resolutiones ad demissas suas Repraesentationes in Benignis Augustae Aulae ad eosdem Inclytos Dominos Status et Ordines expeditis Rescriptis acepissent: ex eo altefatam Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam determinarunt, quatenus in futurum Benignas Suas Resolutiones ad humillimas Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Repraesentationes eddendas immediate iisdem per Benigna sua Rescripta Notas clementer reddere dignetur.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1802. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, Anno 1802. 7. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Secundo, die 7. et sequentibus Mensis Aprilis, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto, et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Joannis Erdödy de Monyorokerek, Arcis et Comitatus Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Inclyti Comitatus Varasdinensis Perpetui Supremi Comitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae Regiae et Apostolicae Majestatis Camerarii et Actualis Intimi Status Consiliarii, Generalis Equitatus, Unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Banalium Colonelli, et Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae celebratae Generalis Congregationis

### Acta et Articuli.

*(Caeteris exmissis.)*

**Puncta Instructionis Regnicolaris circa Gravamina.**

*(Caeteris exmissis.)*

6. Quoniam sub glorioso Suae Majestatis Regimine Dalmatia, per Rempublicam prius Venetam possessa, revindicata foret, et nunc ad Sacram Regni Hungariae Coronam pro Tenore Juramenti Inaugurationalis, a Sua Majestate Sacratissima nuncupati, redire deberet: Domini Ablegati omni conatu adhibito agent, ut integrans haec Regnorum Pars iisdem Jure postliminio sub legali ab Authoritate Banali dependentia reapplicetur, sicque Sacrae Regni Hungariae Coronae reuniatur.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1805. MENSE NOVEMBRI. VARASDINI.

*Articulus Generalis, A. 1805. 28. et sequentibus Mensis Novembris diebus, Varasdini, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Quinto, die vero 28. et sequentibus Mensis Novembris, sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Joannis Erdödy de Monyorokerek Arcis Varasdinensis et Montis Claudii haereditarij Capitanei, Montis Claudii et Comitatus Varasdinensis Perpetui Supremi Comitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, Camerarii, Generalis Equitatus unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum praeterea pedestrium Banalium Regiminum Colonelli et Tabulae Banalis Praesidis, celebratae Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Generalis Congregationis

### Acta.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Quartus.

*De Sede Dominis Regni Vice-Capitaneis in Regni Congregatione assignatâ.*

Licet modernus Dominus Regni Vice-Capitaneus, quamcunque Sedem capiat, velut de Principe et Patria optime meritus, nullum honoris et publicae

aestimationis augmentum abinde praestolari possit, conveniens tamen esse existimarunt Domini Status et Ordines, ut Dignitati Regni Vice-Capitaneorum, qui saepius pro Salute Patriae vitam suam exponerent, et rebus ita ferentibus in negotiis Insurectionalibus cum Statibus et Ordinibus conferre deberent, competens Sessio in Regni Eorundem Congregationibus in dextra Parte statim post Episcopos assignetur.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1807. MENSE MARTIO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, A. 1807. 16. et 17. Mensis Martii diebus, Zagrabiae, celebratae Deputationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Septimo, die vero 16. et 17. Martij sub Praesidio Excellentissimi, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Maximiliani Verhovacz, Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. M. V. de Topuszka, Sacratissimae Caesareae Regiae et Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii et Inclyti Comitatus de Berzencze Supremi ac Perpetui Comitis, in merito elaborandae pro Dominis Regnorum horum ad Generalia Regni Hungariae Comitia, in 5. Aprilis Anno currenti praefixa, Ablegatis, Instructionis celebratae Deputationis.

(*Caeteris exmissis*)

§. 11. Puncta Instructionis Regnicolaris quoad Gravamina.

(*Caeteris exmissis*)

5. Spes adhuc affulgere videtur, ut ipsa Pacis Consilia relate ad Dalmatiam Jure postliminio recuperandam felici successu coronentur — in hoc casu Domini Nuncii Suam Majestatem Sacratissimam ex Comitiis exorandam proponent, ut Socium hoc Regnum, a Banali Auctoritate avulsum, eidem rursus subjiciatur, hocque vinculo Sacrae Coronae reuniatur.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1808. MENSE FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1808., die vero 29. Februarii et sequentibus Martii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Octavo, die vero Vigesima Nona Februarii et sequentibus Martii diebus, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensi, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Ignatii Gyulay de Maros-Németh et Nadaska, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum in Confiniis Collapianis et Vunnanis Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, et Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, Insignis Ordinis Militaris Maria-Theresiani Commendatoris, unius Regiminis Pedestris Hungarici, duorum praeterea Pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii, et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, celebratae Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Generalis Congregationis

### Acta et Articuli.

(*Caeteris exmissis.*)

### Articulus Octavus.

***De Competente Sede Gubernatori Fluminensi et Ablegatis Civitatis ejusdem in Regni Congregationibus assignata.***

Ex incidenti, quod medio Articuli 4. Novissimae Diaetae Civitas Fluminensis cum Portu, per Augustissimam Imperatricem et Reginam Mariam Theresiam peculiari Diplomate jam Regno incorporata, ad idem Regnum pertinere declaretur. Cum per provocatum in Articulo Benignum Diploma et Rescriptum, ab eadem Immortali Imperatrice et Regina ad Regnorum horum Status et Ordines sub 5. Novembris 1777. dimissum, praelibata Civitas immediate Regno Croatiae incorporata et praeexistenti Severinensi Comitatui ingremiata sit: Civitatem et Portum Fluminensem pro integrante Regni hujus parte considerant Inclyti Status et Ordines, hacque Consideratione ducti Excellentissimo Domino Gubernatori Sedem in Regni Congregationibus post Supremos Comites, ejusdem vero Civitatis Ablegatis inter Liberas Regiasque Civitates Sedem et Votum tribuerunt, Excellentissimo Domino Comite Bano interpellato, ut Invitatorias pro futuris Regni Congregationibus tam ad Excellentissimum Dominum Gubernatorem, quam et praedictam Civitatem dimittere dignetur; Suae Majestati Sacratissimae, quod per Civitatis et Portus Fluminensis Inarticulationem Beneficii per Immortalis

Memoriae Augustissimam aviam suam Regno exhibiti Complimentum Benigne procurare dignata sit, humillimas grates agendas Status et Ordines decreverunt.

Eadem occasione ad effectum Articuli 27. postremorum Comitiorum Ablegatis Civitatis Buccaranae Inclyti Domini Status et Ordines Sessionem et Votum inter Liberas Regiasque Civitates assignarunt. Petitum vero per Dominos Ablegatos ejusdem Civitatis propositum, ut Iisdem qua Capitaneatum Buccaraneum Repraesentantibus Sessio ante reliquas Liberas Regiasque Civitates tribuatur, ad futura Regni Comitia Inclyti Domini Status et Ordines relegarunt.

## Articulus Nonus.

*De Individuis ex Regnis his penes Excelsam Tabulam Septemviralem accommodandis.*

In consequentiam Articuli 9. Novissimae Diaetae, quo mediante disponitur, ut Causae e Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae in via Gradualis Appellatae ad Tabulam Regiam Judiciariam, et abinde ad Septemviratum deductae, dehinc directe ad Excelsam Tabulam Septemviralem appellentur, Suae Majestati Sacratissimae Status et Ordines Regnorum horum supplicuerunt, ut penes praelaudatum Superrevisorium Forum Individua ex his quoque Regnis Benigne accommodare dignetur.

## Articulus Vigesimus Tertius.

*De Sede Regni Vice-Capitaneo absque omni Praepositi Majoris Zagrabiensis, una Auranae Prioris, praejudicio in Congregationibus Regni assignata.*

Erga factam ab Illustrissimo Domino Episcopo et Praeposito Majori Raffay Remonstrationem, ne Articulus Regni, in Generali Inclytorum Statuum et Ordinum Congregatione 28. Novembris 1805. conditus, quo mediante Vice-Capitaneo Regni immediate post Episcopos Sedes in Regni Congregationibus tribuitur, Praepositis Zagrabiensibus, quibus ex dispositione Articuli 61. 1625. in Comitiis Sessio in Tabula Excelsorum Procerum competit, et qui propter Prioratum Auranae, Praepositurae Majori Zagrabiensi in perpetuum unitum, qua Priores Auranae nutu Partis 2. Tituli 54. Praelatis et Baronibus aequiparantur, praejudicet, Inclyti Domini Status et Ordines declararunt, quod Sedes Regni Vice-Capitaneo absque omni Praepositi Zagrabiensis, simul Prioris Auranae, praejudicio in Congregationibus Regni assignata sit.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1809. MENSIBUS JANUARIO & FEBRUARIO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1809. 12. et sequentibus Mensis Januarii et Februarii diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Nono. Die vero 12. et sequentibus Januarii et Februarii diebus in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Ignatii Gyulay de Maros-Németh et Nadaska, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Vunnanorum et Colapianorum Generalis Capitanei, Insignis Ordinis Militaris Maria-Theresiani Commendatoris, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Camerarii et Actualis Intimi Status Consiliarii, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, duorum Confiniariorum Regiminum Banalium, unius praeterea Pedestris Legionis Militiae Hungaricae Proprietarii, et Tabulae Banalis Praesidis, celebratae Generalis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Congregationis

### Acta et Articuli.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Secundus.

*De Generali Campi Mareschalli Locumtenente Barone Vincentio Knesevich in Regnorum horum Vice-Capitaneum denominato.*

Quemadmodum Excellentissimus Dominus Comes Banus in primo Banalis Dignitatis aditu, dum Officium Regnorum horum Vice-Capitanei per resignationem Illustrissimi Domini Joannis Jellachich de Buzin, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, vacans effectum est, spondere dignabatur, quod ut primum res et tempus postulaverit, pro Jure Dignitati Suae Banali competente de eo provisurus sit, ut per Individui requisitis qualitatibus insigniti denominationem charae Patriae servitio et honori conspicui hujus Officii plene consulatur; ita majori redintegrandi Officii hujus necessitate in modernis temporis adjunctis, dum Insurrectio pro efficaci Regni defensione organisatur, ac scopo hoc lustrari et in armis exerceri debet, enata, Excellentissimus Dominus Comes Banus in Regnorum horum Vice-Capitaneum Illustrissimum Dominum Liberum Baronem Vincentium Knesevich, Inclyti Ordinis Militaris Theresiani Equitem et Sacratissimae Regiae et Apostolicae Majestatis Generalem Campi Mareschalli Locumtenentem, ex Consideratione conspicuorum

Meritorum in Altissimo Servitio sibi comparatorum denominare dignatus est: qui alacre studium suum summo Terrae Principi et Patriae servitio residuos vitae suae dies conseruandi professus, Officii Juramentum deposuit in haec verba: Ego Baro Vicentius Knesevich Juro per Deum Vivum, B. V. M., Omnes Sanctos et Electos Dei, quod Ego, qua per Excellentissimum Dominum Comitem Banum in Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Vice-Capitaneum denominatus, me in omnibus, quae ad hocce mihi Collatum Officium pertinent, Legibus et approbatis Regnorum horum Consvetudinibus adamussim conformabo; Quosvis in negotio Insurectionis mihi per Excellentissimum Dominum Supremum Regni Capitaneum intimandos Ordines fideliter exequar; arma non dehonestabo, nec adstantem, quisquis is fuerit, socium relinquam; pugnabo pro aris et focis solus, et cum multis. Patriam nec turbabo, nec prodam, fidelitatem Regi et Regno servabo perpetuam, receptis Consvetudinibus parebo, et quascunque alias Rex cum Statibus Regni statuerit, tuebor solus, et cum multis; sic me DEUS adjuvet et Omnes Sancti.

Post cujusmodi Juramenti depositionem neodenominato Domino Regni Vice-Capitaneo competentem officio post Praepositum Zagrabiensem et Priorem Auranae Sedem capiente, Status et Ordines Suae Majestati Sacratissimae humillime supplicandum decreverunt, ut cum a tempore adauctae Anno 1770 in Superioribus Slavoniae Comitatibus Contributionis pro Salario Vice-Capitanei singulis Annis in Altissimum Aerarium floreni 1000 influant, Salarium hoc Sua Majestas Sacratissima tam neodenominato Regni Vice-Capitaneo, a die depositi Juramenti, 17. videlicet Januarii, quam et futuris in Officio Successoribus Benigne resolvere dignaretur.

## Articulus Quartus.

*De Sessione et Voto Gubernatori Fluminensi et Ablegatis Civitatis ejusdem in Generali Regnorum horum Congregatione tribuenda.*

Cum Sua Majestas Sacratissima medio Benigni ddo. 19. Augusti A. P. Nro. 8751. editi Rescripti Regii Clementer admittere dignata sit, ut Portu et Civitate Fluminensi Regno Hungariae tenore Articuli 4. 1807, provocative ad Diploma Theresianum, incorporata, ac una Statibus ejusdem Regni et Partium adnexarum adnumerata existente, Gubernatori Fluminensi et Littoralis Hungarici, prout et Ablegatis Civitatis Fluminensis etiam in Generali Regnorum horum Congregatione in sequelam praecitati Articuli, Civitati vero Buccaranae in sequelam Articuli 27. ejusdem Diaetae Sessio et Votum tribuatur: pro Benigna hac Resolutione Status et Ordines Suae Majestati Sacratissimae humillimas grates agendas concluserunt, et in Conformitate ejusdem Gubernatori Fluminensi et Ablegatis Sessionem et Votum assignarunt, Sua Banali Excellentia interpellata, ut eosdem ad Generales Regnorum horum Congregationes in futurum semper invitare dignetur.

## Articulus Octavus.

*De Oblationibus pro Accademia Militari Ludovicea factis.*

Excellentissimus Dominus Comes Banus Commemoravit, quod occasione illa, dum Status et Ordines Diaetaliter Congregati pro erigenda in Regno Accademia Militari ad perennandam Munificentiae Augustissimae Dominae Memoriam Augusto Nomine Ejusdem insignita liberas Oblationes fecerunt, ex parte Regnorum horum declaratum fuerit: Objectum conferendorum pro Instituto adeo utili et necessario per horum quoque Regnorum Status et Ordines oblatorum sub Generali eorundem Regnorum Congregatione in deliberationem assummendum esse. Erga quam a sua Excellentia Banali factam Propositionem pro praedicta Accademia Militari Ludovicea liberae oblationes, praeter oblata sub postremis Comitiis per Regnicolas ex Regnis his facta, et in Articulo Diaetali recensita, sequenti serie factae sunt.

| | Flor. |
|---|---|
| Excellentissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis Maximilianus Verhovacz ad summam florenorum 12 Millium sub Comitiis oblatam ita addidit . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 3000 |
| Ut cum Illustrissimus Dominus Episcopus Pharensis et Praepositus Emericus Raffay suo et Ven. Capituli Zagrabiensis nomine offerat a componenda praevio modo 10 Millium florenorum Summa insimul Jus Praesentae alternative habeant. | 5000 |
| Illustrissimus Dominus Comes Patachich Bartholomaeus, Comitatus Posegani Supremus Comes, ad appromissa sub Comitiis 4000. fl. addit | 6000 |
| Illustrissimus Dominus Comes Fridericus Pattachich . . . . . . | 10000 |
| uterque Jure Praesentae pro Familia sua reservato. | |
| Illustrissimus Dominus Baro Nicolaus Peharnik . . . . . . . . | 1000 |
| Illustrissimus Dominus Joannes Jellachich de Buzin, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Generalis Campi Mareschalli Locumtenens et unius Pedestris Regiminis Hungarici Proprietarius . . . . . . . . . . . . . . . . . | 5000 |
| Reverendissimus Dominus Ignatius Jellachich, Cathedralis Ecclesiae Zagrabiensis Cantor et Canonicus . . . . . . . . . . . | 1000 |
| Dominus Vincentius Jellachich de Buzin, praeexistens Insurectionalis Militiae Supremus Vigiliarum Magister . . . . . . . . . | 2000 |
| Dominus Joannes Nepomucenus Jellachich, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Capitaneus . . . . . . . . | 1000 |
| Dominus Stephanus Ignatius Jellachich de Buzin, Inclyti Comitatus Zagrabiensis Honorarius Vice-Notarius . . . . . . . . . . | 1000 |
| Jure Praesentae a summa florenorum 10 Millium praevio modo composita Familiae Jellachich competente. | |
| Illustrissimus Dominus Comes Joannes Draskovich de Trakostyan, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Camerarius . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . | 10000 |
| pariter cum Jure Praesentae. | |
| Dominus Sylvester Bubanovich, Episcopus Crisiensis . . . . . | 1000 |

De quibus oblatis Suae Celsitudini Caesareo Regiae Serenissimo Domino Archi-Duci Regni Palatino demissam Relationem faciendam Status et Ordines concluserunt; et cum spe firma ducantur, plures adhuc futuros, qui Patrioticum Offerentium Studium imitabuntur, inviatae sunt Regnorum horum Jurisdictiones, ut subseque in sui Gremio faciendas Oblationes Excellentissimo Domini Comiti Bano fine praestandae de his quoque Suae Celsitudini Caesareo-Regiae Informationis referant.

## Articulus Nonus.

*De Facta Suae Majestati Sacratissimae quoad quaerimonias Civitatis Segniensis Remonstratione.*

Singularis Studii, quo Excellentissimus Dominus Comes Banus ducitur, ut Regna haec, singulae eorundem integrantes Partes in Jurium, Libertatum et Privilegiorum Suorum usu illaesae conserventur, Status et Ordines novum documentum acceperunt, dum ex iis, quae in Conferentiis Banalibus sub decursu Comitiorum celebratis acta sunt, intellexerunt, quod Excellentissimus Dominus Comes Banus erga quaerimoniam a Civitate Segniensi medio Ablegati sui in eo positam, quod praefata Civitas ad errigendam in sui Gremio Norma pro Haereditariis Caesareo-Regiis Germanicis Ditionibus et Militaribus Communitatibus per Benignas Patentales defixa pro tutanda interna Securitate Urbanam Militiam per Supremam Armorum Praefecturam Varasdino Carlostadiensem in sequelam Ordinum a Consilio Aulae Bellico dimissorum adstringatur, quodve praelibata Armorum Praefectura Jurisdictionis in Civitatem Segniensem usurpationem Motivo, quasi Civitati Segniensi qualitas Liberae Regiaeque Civitatis, nonnisi salva Jurisdictione Militari impertita foret, et eadem Civitas integrantem Confiniorum territorialem partem constitueret, sustinere contendat, in conformitate conclusi Conferentialis, suam Celsitudinem Caesareo Regiam Serenissimum Dominum Archi-Ducem Regni Palatinum exoraverit, ut cum nulla Postulata et Gravamina propter temporis arctitudinem in diaetalem pertractationem assummantur, adeoque gravamen quoque Civitatis Segniensis in Comitiis proponi non possit, quaerimoniae Civitatis Segniensis efficax et praesentaneum Remedium Benigna Interpositione sua procurare dignaretur.

Quantumvis in tantae intermediationis sequelam clementissima Suae Majestatis Sacratissimae assecuratio ratione ferendae medellae subsecuta fuerit; cum tamen Status et Ordines ex Novis Civitatis Segniensis Remonstrationibus observent, quod Commendans Militaris Segniae constitutus Magistratum ejatis Civitatis propter non communicatam Instructionem, quam Ablegatis suis Diaetalibus transmisit, in sequelam Ordinum a praelibata Armorum Praefectura acceptorum a Salariis suspendere, ternis Magistratualibus Individuis poenam Aresti in Castello subeundi irrogare, modalitatem, qua Ablegatos elligere, et Instructionem pro iisdem ellaborare debeat, praescribere, et exmissionem eorundem praepedire sustinuerit, quod Excellentissimi Domini Comitis Bani et Excelsae quoque Cancellariae Hungaricae Interpositio medio Praesidialium Excellentissimi Domini Comitis Cancellarii ddo. 15. Januarii a. c. dimissarum insinuata successum tanto

minus habuisse videatur, quod Ablegati Civitatis Segniensis ad hunc esto diutius perdurantem Generalem Congressum non comparuerint; omnes hos in Antiquissimorum Civitatis Segniensis Jurium et Privilegiorum Laesionem et Convulsionem tendentes Jurisdictionis Militaris Ausus Suae Majestati Sacratissimae humillime remonstrandos, et pro ponendo contra hos efficaci remedio Status et Ordines Suam Majestatem Sacratissimam in humilitate exorandam concluserunt, ut fatam Civitatem ad effectum Articuli 11. 1802. et in hoc provocatorum Articulorum in usum Jurium et Privilegiorum suorum reponere, ac in tali clementer conservare dignaretur. In horum nexu data est Domino Regni Protonotario incumbentia, ut Acta Congregationis hujus, in quantum Civitatem quoque Segniensem concernerent, eidem sub Authentico transmitantur.

### Articulus Decimus Septimus.

*De Publicatis infrasertis super Collatione Baronatus Benigno Dipplomate et Benignis Armalibus Litteris.*

Lectum et publicatum fuit Benignum Baronatus Dipploma pro Magnifico Francisco Jellachich de Buzin, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Generali Campi Mareschalli Locumtenente, Inclyti Ordinis Militaris Theresiani Equite, et unius Pedestris Legionis Hungaricae Proprietario, et filiis ejusdem Josepho, Georgio et Antonio, nec non filia Caecilia, ex Magnifica Anna Baronissa de Portner susceptis, Viennae Austriae 1. Julii 1808 emanatum.

*(Caeteris exmissis.)*

Originale in Archivo Regni Croatiae.

---

## 1825. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, Anno 1825. 22. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Vigesimo Quinto, 22. et sequentibus Augusti diebus, in Libera Regiaque Civitate Zagrabiensi, ex Edicto, et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comitis Ignatii Gyulay de Maros-Németh et Nadaska, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Vunnanorum et Collapianorum Generalis Capitanei, Inclytorum Ordinum Leopoldini, Alexandri Nevszky Russici, Aquilae Rubrae Borussici, Maximiliani Josephi Bavarici Magnae Crucis Equitis, Militaris vero Maria-Theresiani Commendatoris, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Camerarii et Actualis Intimi Status, ac ad Excelsum Consilium Regium Locumtenentiale Hungaricum Consiliarii, Generalis Rei Tormentariae et

**Supremi Armorum Caesareo-Regiorum per Regnum Bohemiae Praefecti, unius Legionis Pedestris Hungaricae, et duorum Regiminum Confiniariorum Banalium Proprietarii, et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, Generalis Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae celebratae Congregationis**

## Acta et Articuli.

(*Caeteris exmissis*)

## Articulus Secundus.

***De Benigno Rescripto quoad Clementissimam Trans-Savanarum Partium et Litoralis Hungarici reincorporationem emanato.***

Communicavit Statibus et Ordinibus Regnorum horum Excellentissimus Dominus Comes Banus Benignum Vienna Austriae sub 5. Julii 1822., Nro. 8674. dimissum Rescriptum, quo mediante Sua Majestas Sacratissima cum Benignissima Declaratione illa, quod Paterno Cordi suo nihil gratius, nihil jucundius accidere queat, quam si fidelium subditorum suorum votis respondere valeat, Supremi nihilominus Regii muneris sui ratio exigat, ut in adhibendis quibusvis mediis ipsa quoque temporis momenta deligat, juxta Paternum animi sui sensum et Providentiam plurimum conferre queuntia, ut Benignae in communem felicitatem continuo et exclusive directae Intentiones effectum sortiantur, illas suis Locis factas Benignas dispositiones, ut Partes Trans-Savanae et Litoralis Hungarici, ante Gallorum invasionem ad percarum suum Hungariae Regnum spectantes, restituantur eidemque reincorporentur, Excellentissimo Domino Comiti Bano clementer insinuare dignabatur.

Cujus Benigni Rescripti tenoribus intra unanimes communis gaudii homagialisque erga Regem et Dominum Clementissimum devotionis et gratitudinis repetitas contestationes publicatis: in eorum nexu retulit Statibus et Ordinibus Sua Excellentia Banalis, quod ad exemplum aliarum Regni Jurisdictionum ex hoc incidenti solennes pro humillima gratiarum actione Deputationes de sui medio ad altissimum Thronum ablegantium devotioni et dignitati Regnorum horum conforme reputaverit, ut sensa homagialis gratitudinis et devotionis Suae Majestati Sacratissimae pro summo hoc Justitiae et Benignitatis monumento debitae per solennem ex Illustribus Regnorum horum Primoribus et Deputatis singularum Jurisdictionum componendam coram altissimo Throno declarentur — retulit denique seriem et modalitatem, qua Regnicolaris Deputatio haec Primoribus Regnorum horum et singulis Jurisdictionibus praeexposita Suae Excellentiae Banalis desideria secundantibus coadunata, post impetratum praevie Benignum indultum et obtentam medio gratiosarum Celsissimi Domini Principis Cancellarii Praesidialium sub 26. Septembris 1822., Nro. 124. exaratarum Inviationem, fine hoc Veronam profecta, hocce homagialis devotionis et gratitudinis tributum persolverit — quanta cum altissimae Gratiae et Benignitatis testificatione per Suas Majestates Sacratissimas, quam honorifice per Summos Europae Principes Congressui intervenientes suscepta fuerit; quam Relationem Status et Ordines pro amaeno et sola-

tioso notitiae statu acceperunt et Suae Excellentiae Banali, sub cujus duntaxat Manuductione Regnicolaris Deputatio haec provincia eidem attributa *) modo Regnis his tam honorifico defungi potuit, intimam gratitudinem suam contestati sunt.

*(Caeteris exmissis.)*

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

## 1836. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

*Articulus Generalis, A. 1836. 4. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Trigesimo Sexto, die 4. et sequentibus Mensis Augusti diebus in Libera Regiaque Civitate Zagrabiensi, ex Edicto et sub praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Liberi Baronis Francisci Vlassich Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum item Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae Regiae et Apostolicae Maiestatis Actualis Intimi Status prout et Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Consiliarii, Insig. Ordinum Leopoldi Magnae Crucis, prout et Militaris Mariae Theresiae Equitis, Generalis Campi Mareschalli Locumtenentis, unius Legionis Uhlanorum nomen Principis Schvarczenberg gerentis proprietarii Colonelli, Supremi Armorum Caesareo Regiorum per Regnum Croatiae Praefecti, Inclyti Comitatus Zagrabiensis supremi Comitis et Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, Generalis Inclytorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae celebratae Congregationis

### Acta et Articuli.

### Articulus Primus.

***De Relatione per Dominos Regnorum horum Ablegatos ad Generalia Regni Hungariae et Partium Adnexarum Comitia, in diem 16. Decembris 1832. exmissos, praestita et Articulis Legum in iisdem Comitiis latarum publicatis.***

Pro accipiendis providis in publicam Rem consultationibus implorata praeprimis in Parochiali Ecclesia S. Marci piis praecibus Divini numinis ope, Excellentissimus ac Illustrissimus Dominus L. B. Banus in medium Statuum et Ordinum in Palatio Curiae Comitatensis congregatorum adveniens, habito rerum et temporum

*) Huic sollenni Regnicolari Deputationi interfuerunt quoque DD. Andreas Adamić, Scarpa et Massart, Fluminensis Civitatis Deputati.

adjunctis accomodo sermone exposuit, quantis quamve frequentibus sub novissimis diuturnis Generalibus Regni Hungariae Partiumque Adnexarum Comitiis, Jura et Statuta, quae basim et fundamentum Constitutionis horum Regnorum efficiunt, agitata fuerint procellis. Eadem nihilominus Altissimo Suae Majestatis Sacratissimae Praesidio pro ingenito sibi Justitiae Studio, altissimaque erga fidelissima Regna haec propensione, cumque plenario Simbolo illius „Recta tueri“ implemento, non solum salva et intacta conservata, verum etiam uberius explicita et confirmata haberi ob oculos posuit, in publicis deliberationibus vitari debere sollicite illa, quae ingratis discussionibus et perturbationi praevigentis inter partes Regnorum horum integrantes harmoniae ansam dare possent, memoresque esse oportere Status et Ordines sciti illius in historia orbis axiomatis: Concordia parvae res crescunt, discordia vero maximae dilabuntur.

Quem sermonem in spiritu sinceri Amoris, quo Excellentissimus Dominus L. B. Banus in Regna haec et politicam Eorundem consistentiam fertur, prolatum, Status et Ordines reciprocae venerationis et gratitudinis contestatione exceperunt, communia vero animorum sensa facundissimus eorundem Interpres Excellentissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis Alexander Alagovich concinno Sermone uberius explicuit et declaravit, qui Sermones secundum unanime Statuum et Ordinum postulatum per extensum Protocollo inserti sunt, et dispositum, ut imprimantur. Tenores eorum sunt sequentes:

Sermones occasione Generalis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Congregationis post Regni Hungariae Partiumque Adnexarum Comitia, de benigno annutu Regio pro die 4. et sequentibus Mensis Augusti Anni 1836. indictae et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini L. B. Francisci Vlassich Zagrabiae celebratae habiti.

Allocutio Suae Excellentiae Banalis ad Dominos Status et Ordines Regni, dum Congregationem aperuit, habita. Inclyti Domini Regni Status et Ordines!

„Quatvor ferre anni evoluti sunt ab eo tempore, quo honor mihi postrema vice obtigerat, Inclytos DD. SS. et OO. hoc loco Generaliter congregatos venerandi, scopo concertandi de mediis, quibus salva Constitutionis a Majoribus Nostris haereditatae Compage, bonum commune promoveretur. Conclusa quae eotum in spiritu veri Patriae amoris fecimus, praebuerunt Dominis Regnorum horum ad Comitia haud pridem conclusa Ablegatis normam et cynosuram ratione ibidem actorum; jamque ex ipsorum Relatione nunc praestanda intellecturi sunt Domini SS. et OO., quam apprime iidem Domini Ablegati honorificae missioni suae, atque fiduciae, quam Inclyti Domini SS. et OO. totaque Chara Patria in ipsis locaverat, responderint.

Dignabuntur ex eadem Relatione perspicere, quantis quamve frequenter repetitis impetitionibus Jura Regnorum horum Municipalia, quae quilibet nostrum pro sanctis et inviolabilibus reputare debet, exposita fuerint! Cognoscent una, quam ardua fuerit bis in Circumstantiis Dominorum Regni Ablegatorum situatio, non minus atque mea ipsius, qui ab eo inde tempore, quo Banali dignitate fungendi honorem habeo, aliam non nosco Patriam quam Regna haec, quibus me praefectum esse glorior. Attamen sollicitudo et perplexitas situationis nostrae tunc primum supremum culminationis gradum attigisse videbatur, quando inscrutabili Divinae Providentiae Judicio Sua Sacratissima Majestas immortalis memoriae Imperator et Rex Augustissimus Dominus Dominus Franciscus Primus, nobis

ereptus et ad aeternitatem evocatus est; ille, qui sapientia et amore, omnes sceptro suo parentes Populos suorum instar liberorum rexit, qui Regna haec velut Coronae Suae gemmas reputavit, mihique iteratis vicibus solatiosam assecurationem, verbum Suum Regium in eo reddidit, se Regnis his omni tempore Supremum suum patrocinium largiturum, neque vero eadem in justis Juribus suis unquam et minimum detrimentum pati admissurum esse.

Jam vero sicuti nos Inclyti DD. SS. et OO.! Totum nostrum amorem subditalem, nostram homagialem devotionem et adhaesionem ab immortalis memoriae Genitore ad Augustum Coronarum suarum haeredem transtulimus, ita felicem omnino me reputo, quod in primo hocce Congressu, quem a tempore aditi per Suam Sacratissimam Majestatem Dominum Dominum Ferdinandum hujus nominis V. Regem Hungariae Augusti Regiminis celebramus, Inclytos DD. SS. et OO. certos reddere valeam, Eundem Augustissimum Dominum haud minus esse Regnis his clementer propensum, Iis pariter altissimam suam protectionem largiri velle, denique ipsissimis Regiminis Principiis animatum, quibus hactenus felicitas Populorum Monarchiam Austriacam constituentium, in quibus temporum vicissitudinibus atque procells inconcussa permansit, municipalem quoque horum Regnorum consistentiam, prout id occasione faustissimae Inaugurationis suae sacro sancte spopondit, sartam tectamque servare ac manutenere haud intermissurum, si tantum nos ipsi praetiosa haec Jura, Privilegia et Immunitates nostras, penes quae majores nostri inde ab antiquissimis temporibus, nosque ipsi semper contenti et felices perstitimus, quopiam facto nostro Crisi non exposuerimus.

Ast Inclytis Dominis Statibus et Ordinibus et cuivis probo Regnorum horum Filio congenitus Patriae amor non sinit de nobis ejusmodi incuriam, aut contrectationem Sanctissimorum in Regnis his Institutorum praemetui, eoque minus, dum ipsa etiam Resultata novissime conclusorum Comitiorum Regni evidentissimum praebent testimonium, quam firma cum fiducia, tranquilloque animo nos nosmet potentissimo Suae Majestatis Sacratissimae praesidio totos committere valeamus.

Mox Legum Articuli, qui in fine proxime praeteritorum Comitiorum Regiam Sanctionem receperunt, quorumve fidelis observantia nobis sacrae obligationis ergo futura est, publicabuntur et Inclyti DD. SS. et OO. capacitari dignabuntur, quod Municipalitas Regnorum horum politicam nostram consistentiam efficiens, non obstantibus gravibus impetitionibus, in sua integritate conservata, imo magis ac unquam firmata sit, dum e dissidentium opinionum certamine illaesa excessit.

Tenemur vero eapropter proprimis ima tenerimaque gratitudine Suae Majestati Sacratissimae, cujus potentissimae protectioni fortunam hanc plurimum in acceptis referre debemus, altefata enim Regia Majestas occasione hac, dum causa Regnorum sorum tantopere impetebatur, luce meridiana clarius testari dignata est, quam seria Ejusdem altissima voluntas sit: Symbolum „recta tueri“ etiam practice in vigorem ponendi. Superi servent Suam Majestatem Sacratissimam pro bono fidelium suorum Subditorum, seros in annos!

Non minus et benevolentia Excelsae Procerum Tabulae decursu Comitiorum, Regnis his contestata, omnem gratitudinem nostram optimo Jure sibi vendicat. Non possum non cum solatio reminisci, quod in ordine non solum sacrorum antistitum, sed etiam summorum saecularium Regni Dignitariorum, lega-

litas politicae Municipalis Regnorum horum consistentiae et justitia postulatorum nostrorum, in quavis occurrente quaestionis alicujus pertractatione, cum perfectissima impartialitate et aequitatis studio, fuerint recognita, quodve hac ratione nos, ubi secus repraesentantes nostri spectata numeri ipsorum exiguitate impares fuissent, se contra tam magnum reliquorum Statuum et Ordinum Diaetaliter congregatorum, praepondium sustinendo, sub Aegide sublimiorum horum Intelligentiarum versati, inter consumatissimos Regni Hungariae Primores tales nacti fuerimus deffensores, qui justam Causam nostram cum omni Zeli fervore optimoque etiam cum successu evicerunt.

Praecipuos ex his summo cum honore nominare obstringor: Excellentissimos viros Dominos quippe Dioecesanos, Liberum Baronem Ignatium Szepessy Quinque-Ecclesiensem, et Josephum Kopacsy Vesprimiensem Episcopos, item Comites Fidelem Palffy tunc temporis Tavernicum, jam vero desideratissimum Cancellarium Regium hungarico Aulicum; — atque Joannem Keglevich, Comitatus Barsiensis Supremum Comitem. — Sunt hi vere Amici et fautores nostri, quorum gratissimam memoriam nos in aeternum conservare oportet.

Ad felix negotiorum nostrorum resultatum procul dubio non parum contulit indefessa opera et constans perseverantia Dominorum Regni Ablegatorum, qui non obstante situationis suae difficultate, ad quam multocies conjiciebantur et in qua etiam personalibus, summe ingratis collisionibus involvebantur, nunquam tamen ab animi firmitate et moderamine, quae iisdem pro norma comportationis praestituta fuere, se vel latum unguem dimoveri passi sunt, quapropter etiam jure sibi demeruerunt meam atque totius Patriae perennem gratitudinem.

Omni vero laudum encomio majores esse judico: Excellentissimos atque Illustrissimos viros, Dominos Compopulares nostros, tam illos, quos hic praesentes veneramur, quam etiam absentes. — Hi nullo non tempore sapientissime res nostras moderati sunt, partim vero eas suis locis efficaciter commendare, denique Dominos Regni Ablegatos suppletorie instruere, animare, fovereque, non destiterunt, — summum, quod tantis meritis inest pretium, sentire magis, ac digne verbis exprimmere fas est. — Sentimus profecto id intime, quod ipsum et grata posteritas fatebitur.

Quod itaque reliquum est Inclyti DD. SS. et OO.! eadem animi tranquillitate et moderatione, qua dignitati Nationis conformiter nuper in Regni Comitiis avita Jura nostra Municipalia propugnavimus, eorundemque ulteriorem permansionem evicimus, consultemus etiam nunc sua serie super illis objectis, quae jam praevie in Invitatoriis meis uberius designandi honorem habui. — Vitemus, in vero Patriae amore oro obtestorque omnes et singulos, vitemus inquam sollicite, quidquid ingratis discussionibus et perturbationi vigentis inter integrantes Regnorum horum partes harmoniae ansam dare posset. — Simus memores triti illius in historia Orbis Axiomatis: Concordia res parvae crescunt, discordia magnae dilabuntur — Matura consideratio illius, quod nos tria Regna praesentemus, debet quosvis secundos et partiales respectus dimovere. Salus Patriae Suprema Lex esto. — Etsi tenua videantur esse Regna haec in comparatione cum reliquo Corpore Monarchiae Austriacae, eo non obstante possumus jure gloriari Nationalitate nostra, si ea, uti hactenus, ita deinceps quoque nos dignos exhibuerimus. Habemus sub occulis exemplum, quod pectora nostra vivide penetrare debet, unius partis Compopularium Nostrorum videlicet Confiniariorum, qui seu

intra Lares Patrios considerentur eximium harmoniae et tranquillitatis domesticae activitatis et industriae obsequii et humanitatis paradigma exhibent, seu vero jussu suae Majestatis Sacratissimae victricia Arma in longinquas Europae partes perferant, ubivis Nationum et locorum tanta cum laude suique distinctione agere sueverunt, ut non minus heroica virtute, quam cultura sua Civili communem amorem et aestimationem sibi conciliarint, desideriumque sui reliquerint, ac taliter nomini Nationis nostrae, caracterem celebritatis et gloriae in exteris quoque oris impresserint. Quamobrem interest, ut, quemadmodum illi, et nos unius eiusdem Patriae filii sumus, in puncto Nationalitatis nostrae illibate servandae, inque sua vetusta dignitate et gloria manutenendae nostris studiis aemulemur, uniformiterque sentiamus et agamus etiam.

Restat jam nunc, ut sermonem meum finiam et Dominos Regni Ablegatos ad Relationem suam legendam provocem.

„Dictio Responsoria nomine Statuum et Ordinum Regni per Excellentissimum Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Alexandrum Alagovich, Episcopum Zagrabiensem Abbatem B. M. V. de Topuska, Inclyti Comitatus de Berzencze Supremum ac perpetuum Comitem S. C. et R. A. M. Actualem Intimum Status Consiliarium, nec non Excelsi in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Banalis officii Regium Locumtenentem pronunciata.

Excellentissime ac Illustrissime Domine Baro Bane!

Indulgeat mihi, oro, Excellentia Vestra, ut antequam honorificum, ad quod provocantur officium Domini Ablegati a Generalibus Comitiis reduces accipiant, in hanc suavissimam Dictionem, qua nos ad nostram hanc Generalem Congregationem confluentes peramanter adsalutare dignabatur, tam mea, quam, uti confido, Excelsorum Procerum et Inclytorum SS. et OO. sensa paucis explicem.

Congregationes Regnorum horum quae in adaequata Jurium paritate Regni Hungariae **Socia** a Seculis appellantur, jam olim erant, quasi quaedam Festa Nationis, quibus florentissima Nobilitas nostra praemisso Cultu Divino publico ad promovenda Nationis decora et emolumenta priscum unionis et Amicitiae foedus inter se quasi junctis dexteris renovabat. Consignatae sunt illae in analibus nostris tanquam totidem Nationalis virtutis et consistentiae, nulli praeter Coronatum Augustum Regis Apostolici Caput dominationi obnoxiae illustria monumenta.

Itaque ad hanc festam Patriae nostrae diem — nos quoque ovantes concurrimus, et invocato jam illius Numine a quo bona cuncta procedunt, sub glorioso Excellentiae Vestrae Praesidio, fraternae dilectionis Gentique huic ad omne praeclarum opus et gloriam Nationalem congenitae aemulationis vincula more institutoque Majorum arctius adstricturi.

Gaudium hoc increscit in eo gradu, in quo decrevit solicitudo nobis tunc injecta, cum nuper formidare caeperamus, ne Excellentiam Vestram novercantibus circumstantiis ab hac excelsa Banali Sede recedentem lugere debeamus, quod equidem nobis non potuisset non incredibilem afferre maerorem et consternationem. Sive enim sublimes Excellentiae Vestrae animi dotes, seu strenuos per tempus, quo Regnis his sapientissime praeest, in eorum decus et com-

moda impensos conatus, seu amorem Patriae hujus extra quam se aliam non noscere paulo ante ad communem plausum nostrum enunciavit, consideremus, absque ulla haesitatione agnoscere nos debere confidemur, Excellentiam Vestram inter celeberrimos quosvis Regnorum horum Banos et nunc principem tenere locum, et deinceps eo semper loco cum magna nominis sui gloria et sincero popularium suorum amore censendam. Ideo Excellentiam Vestram in hoc excelso Banali subsellio porro quoque cum exultatione suspicimus, gratulamurque etiam et ad communem Regnorum horum gloriam referimus, quod Sua Majestas Sacratissima heroicum Excellentiae Vestrae pectus, in quo tot eximia laudis et prosperitatis nostrae pignora cubant, Magna hac Cruce Insignis Ordinis Leopoldi Imperatoris in publicum altissimae Complacentiae testimonium clementer exornare dignata sit.

Annunciare nobis porro dignabatur Excellentia Vestra, ex Relatione circa decursum praeteritae Regni Hungariae Diaetae per Dominos Regni hujus Ablegatos praestanda, nos cognituros esse gravissimos illos insultus, quibus vetusta Municipii nostri Statuta, quae quilibet nostrum, cui Amor Patriae suae cordi est, pro Sanctis et inviolabilibus reputare debet, impetebantur; una vero nos intellecturos, quod jam antea laetis nunciis accepimus, omnia illa pericula denati Augustissimi Imperatoris et Regis nostri Francisci, tum vero etiam in sapientissimo Patris Systemate nunc feliciter regnantis Ferdinandi clementissima protectione; item dignissimorum Ablegatorum Nostrorum sapientia, fortitudine et constantia; nec non praesidio quod in praestantissimis Ecclesiae Hungaricae Praesulibus, et Summis Regni Hungariae Saecularibus Dignitariis nancisci nobis licuit, feliciter propulsata et praetiosam Patrum nostrorum haereditatem nobis adusque in primaeva integritate conservatam esse.

Quo nomine quidem et sacros denati Augustissimi Domini Nostri Magnique Populorum suorum Patris cineris pie veneramur et Suae Sacratissimae Majestati, Clementissimo Domino nostro Ferdinando ad priscam semperque intemeratam fidem et homagialem subjectionem nostram novo nos gratitudinis argumento obstrictos profitemur.

Quod attinet dignissimos Regni hujus Ablegatos in Palestra illius contentionibus summa cum laude pro rebus nostris versatos; eos nunc in corona nostra cum dulcissima muneris sui egregie expleti satisfactione praesentes fraterne amplectimur cupimusque, ut nomina illorum Cordibus Nostris alioquin impressa, Actis etiam publicis inserta, ad gratam posterorum nostrorum memoriam transmittantur.

Illud demum, quod dignissimi Hungariae Antistites et Dignitarii, quos Excellentia Vestra nominare dignabatur, aliique complures eximii Proceres optimam causam nostram aequanimitate, Zelo et sapientia sua defenderint et salvam servaverint, tam ingenti in Patriam nostram merito factum est; ut ad piam nationis nostrae memoriam omnibus illis praesidiis conservari mereretur, quibus illustres quilibet eventus oblivioni mortalium eripi solent temporumque edacitati. Interim nos omnibus Materialibus Colossis perennius, Ipsisque fortasse carius monumentum erigendum existimamus, si constituerimus, ut praeclara virorum horum memoria publicis Tabulariis nostris inferatur; quo sanctum ejus recolendae officium instar haereditariae in eos observantiae a Patribus ad Filios continuo devolvatur, ut et illi intelligant suam istam profusam in nos benevolentiam non

eos ingratis impendisse et nostri seri etiam pronepotes illustria haec nomina cum veneratione pronuncient; exemploque illorum, qui tam sublimi Judicio, tantoque animi robore alienam causam propugnabant ad suam fortiter tuendam provocentur.

Sed ne diutius morer instantem negotiorum cursum, unum tantum adhuc illud commemoro, quod Excellentia Vestra de concordia animorum et sincero Nationalitatis nostrae conservandae studio in medium proferre dignabatur. Omnes sane nos, qui Regnis his perennem in propriis elementis suis vitam asserere volumus, aequaliter sentimus, quam necessaria sit nobis voluntatum unio, et sepositis quibusvis privatis studiis atque affectibus, ad firmandas priscas consistentiae nostrae Nationalis bases generosa contentio. Neminem nostrum latet quosvis populos Gentesque in foederibus et amicitiis exteris frustra quaerere praesidium, si domi animorum consensio et stabilis in eminentem boni communis scopum concordia non vigeat. Ideo in concordiam hanc omnes propendemus, omnes eam confirmatam, et si forte aliqua in parte labefactata fuisset restauratam exanimo optamus. Quamdiu enim Regna haec inter se unita sunt, nihil unquam de eorum Nationali robore et dignitate decedet. Regna, dico. quae licet opibus, comercio et amplitudine a multis aliis superentur, divitiis tamen mentis et fortissimi, ac nobilissimi animi, — virtute bellica — et acrum praeclare gestarum gloria se clarissimis quibusvis Nationibus jure comparari posse, imo et debere constanter probaverunt.

Itaque hodierna die Excellentiae Vestrae, quam pro gloria gentis nostrae Deus optimus maximus diu incolumem praestare dignetur et excelso huic Banali subsellio circumfusi, sub vexillo charae Patriae nostrae, sanctum unionis pactum renovamus, et consiliis, conatibus, studiisque nostris eo nos conniti velle vovemus, ut stet inconcussa et antenatorum nostrorum sapientiae veneratio et Regnorum horum vetusta dignitas. Atque ut pignora felicitatis et gloriae Nationalis a majoribus accepta, sine detrimento ad nostros posteros transfundantur."

Lecta est dein Relatio quam Domini Regnorum horum Ablegati ad postrema generalia Regni Hungariae et partium adnexarum Comitia exmissi: Antonius Kukuljevich S. C. R. et A. M. Consiliarius et Tabulae Banalis Assessor, Joannes Comes Draskovich S. C. R. et A. M. Camerarius, nec non Hermannus Busan Comitatus Zagrabiensis Substitutus Vice-Comes de iis, quae sub decursu eorundem Comitiorum acta et pertractata fuerunt, praestiterunt. haec eadem Relatio Synopticum et adaequatum negotiorum Diaetalium conspectum exhibet et testimonio est, quod DD. Ablegati Instructionem Regnicolarem, et quas pro circumstantiarum exigentia in supplementum hujus e Conferentia Banali acceperunt ulteriores inviationes fideliter observaverint, delataque Ablegationis provincia praeclare defuncti sint, quamobrem Status et Ordines iisdem complacentiam, et de Patria bene meritis gratitudinem contestati sunt; Excellentissimo vero L. Baroni Bano ob id, quod nunquam obliterandae memoriae sponsionem verbo factam et Articulo 3. Generalis Congregationis 11. Novembris 1832. inactatam, re quoque, facto et opere confirmare et explere dignatus sit, et semet novae huic Patriae ex toto devovendo, tenacissimus Regnorum horum Jurium custos fuerit, prout et Excellentissimo Domino Episcopo Zagrabiensi Alexandro Alagovich et Illustrissimo Domino Episcopo Segniensi Emerico Osegovich, qui, quantum per alia negotia illis licuit ibi manere, ad conservationem jurium secundandaque Regnicolarum sensa assiduo cooperabantur, nec non et peculiariter Excellentis-

simo Domino L. Baroni Ludovico Bedekovich de Komor, Comitatus Crisiensis Supremo Comiti qui sub toto Comitiorum cursu ac tempore potissimum illo, quo Excellentissimum Dominum L. B. Banum Altissimi Servitii ratio alibi deposcebat, non tantum in conferentiis suo sub praesidio servatis, et consultationibus habitis sapienti Consilio suo Regni Ablegatis praesto fuit, sed et in Tabula Procerum mira cum facundia et dexteritate res patrias omni occasione, insigniter et ad invidiam Adversariorum tuitus fuit, singularis gratitudinis sensa se obstrictos esse profitentur Status et Ordines, praetiosissimos dignissimorum Compopularium conatus, fatigia et operam pro grata posterorum memoria praesentibus actis recolentes, omni demum laudum encomio majora sunt studia illa et Zelus, quibus de justitia rei intime persuasi Summi Regni Dignitarii ac in ordine horum praecipue Serenissimus Dominus Caesareo Regius haereditarius Princeps, Archidux Austriae et Regni hungariae Palatinus, Excellentissimi item Ignatius L. B. Szepessy et Josephus Kopacsy Antistites Ecclesiarum Quinqueecclesiensis et Vesprimiensis, Fidelis e Comitibus Palffy eotum Tavernicorum Regalium Magister, jam vero nunc pro exigentia cumulatissimorum meritorum suorum Sublimi Supremi Aulae per Inclytum Regnum Hungariae Cancellarii dignitate condecoraturus, Jurium Regnorum horum imperterritus et constans defensor, Princeps praeterea Phylippus de Battyan et Joannes Comes Keglevich, ille Castriferrei perpetuus, hic Barsiensis Supremi Comites — Jura Regnorum horum Municipalia indesinenter, nervose, omnique cum candore sustinuerunt, — quod justitiae studium, et nobilissimas Summorum Dignitariorum Intentiones profundae venerationis et gratitudinis sensu SS. et OO. exceperunt, et in perennem rei et nominis eorum memoriam actis publicis inserendas decreverunt.

Praesentatum dein et publicatum fuit B. Rescriptum R. Vienna Austriae ddto. 19. Mensis Maji a. c. 1836., Nro. 7392/792 ad SS. et OO. horum Regnorum dimissum, quo mediante Sua Majestas Sacratissima Articulos novissimae Diaetae ea, qua fidelibus Regni Hungariae et Partium Adnexarum Statibus et Ordinibus traditi et subseque publicati fuere, forma expeditos Statibus et Ordinibus Regnorum horum transmittere dignabatur, qui Articuli pro omnium et singulorum notitia directione et stricta observantia lecti et more solito publicati sunt.

### Articulus Quartus.

*De nomenclatione inferioris Slavoniae.*

Quod Sua Majestas Sacratissima erga Statuum et Ordinum Regni Hungariae e Diaeta submissas repraesentationes, dimissis ternis ad eosdem SS. et OO. Benignis Rescriptis Regiis pristinae Legali et Diplomaticae inferioris Slavoniae nomenclationi continuo inhaeserit — dum vero tempori benigne cedendum rata, mediante b. Rescripto suo Regio ddto. 6. Martii a. c. dimisso votis eorundem Statuum et Ordinum detulisset quidem, ast voluerit una quorumvis Jura salva esse, Articulos 120. 1715., 27. 1723. et 23. 1751. in suo vigore corroboraverit, perque id Jura Regnorum horum Municipalia et Auctoritatem Banalem respectu inferioris Slavoniae benigne constabiliverit, ac taliter Juribus horum Regnorum Paterne prospexerit, profundissimae gratitudinis sensu intelle-

xerunt SS. et OO.; cum dolore nihilominus observarunt in operato Urbariali, in Tabulas Legum in postremis Comitiis latarum relato, Diplomaticam, legalem, usuque receptam Inferioris Slavoniae Nomenclationem desiderari, idemque inferioris Slavoniae Regnum sub nomenclatione Comitatuum Posega, Veröcze et Szerem compellandi — quamobrem Suam Majestatem Sacratissimam exorandam esse duxerunt, quo interea etiam, donec legalis usuque recepta inferioris Slavoniae nomenclatio in subsequis Comitiis legibus inserri, praevioque defectui occurri valeat, in via Dicasteriali easdem partes pristina inferioris Slavoniae nomenclatione complecti dignetur.

## Articulus Quintus.

*De Subsidiis pro Musaeo Nationali comparando, item Collectione Jankovičiana — Oblatis intra Regni Jurisdictiones repartiendis.*

E respectibus, quos Musaeum ratione culturae et decoris Nationalis clariorum item omnis generis momentorum collectionis et conservationis exposuit ad exstruendum in Fundo Instituti novum Aedificium 500,000 fl., pro comparanda vero collectione Nicolai Jankovich 125,000 flor., adeoque in Summa 625,000 fl. tenoribus Articuli 37. recentissimae Diaetae oblati sunt, ad modum aliorum Subsidiorum inter Jurisdictiones, unice ad Nobiles, et quos Lex sub hac nomenclatione comprehendit repartiendi.

Quo quantum ex praespecificata Summa Regno Croatiae in ratione portarum obtingens errui et intra Jurisdictiones adrepartiri valeat, conformis provincia Deputationi Articulo 3. ordinatae delata exstitit —, quae Regnicolaris Deputatio medio Subdeputationis sub Praesidio Domini Consiliarii Regii et emeriti Administratoris Cameralis Thomae Bedekovich de Komor munere defuncta opus suum retulit, publice lectum et approbatum, e quo perspicuum fit, quod e praevia Summa Regno Croatiae in respectu 135 $^6/_8$ portarum 13,369 fl. 20 xr. et ex his obtingunt

| | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| Comitatui | Zagrabiensi | a | portis | 66 | fl. | 6499. | xr. | 55. |
| „ | Varasdinensi | „ | „ | 31 $^2/_8$ | „ | 3077. | „ | 38. |
| „ | Crisiensi | „ | „ | 22 $^2/_8$ | „ | 2191. | „ | 15. |
| Civitati | Zagrabiensi | „ | „ | 3 | „ | 295. | „ | 30. |
| „ | Varasdinensi | „ | „ | 2 $^4/_8$ | „ | 246. | „ | 15. |
| „ | Crisiensi | „ | „ | — $^7/_8$ | „ | 86. | „ | 12. |
| „ | Caproncensi | „ | „ | 2 | „ | 197. | „ | — |
| „ | Carolostadiensi | „ | „ | 4 | „ | 393. | „ | 58. |
| „ | Districtui Buccarano | „ | „ | 2 | „ | 197. | „ | — |
| „ | Maritimo Camerali | „ | „ | 1 $^7/_8$ | „ | 184. | „ | 40. |
| | adeoque in Summa | „ | „ | 135 $^6/_8$ | „ | 13,369. | „ | 20. |

ad quarum praevio modo adrepartitarum Summarum incassationem concernentes Jurisdictiones pro tenore praecitati Articuli 37. juxta dispositionem 2. 1807. procedent.

In reliquo pro casu si seu in eruta Summa Regno Croatiae obtingente, seu per repartitionem hujus error nefors intervenisset, hunc adjustandi ulterioremque eatenus provisionem instituendi, Excellentissimo Domino L. B. Bano provinciam deferunt Status et Ordines.

## Articulus Sextus.

*De praetensionibus Aerarii Regii et Centralis Cassae Insurrectionalis Hungaricae titulo Anticipationum Insurrectioni Croatico-Slavonicae extra fines Regnorum horum militanti praestitorum formatis.*

Praesentatae et assumtae sunt duplicis ordinis Litterae in objecto praetensionis Aerarialis in Militiam Insurrectionalem Croatico-Slavonicam titulo Anticipationum eidem ab Anno 1797 usque 1809 factarum formatae, ad vires 36,368 fl. 11 $^3/_8$ xr. ascendentis, nec secus ratione alterius praetensionis, quam Centralis Cassa Concurrentialis Insurrectionalis Ungarica contra Insurrectionem Comitatus Zagrabiensis Anno 1797. in Comitatibus Saladiensi et Castriferrei dislocatam facit, et quidem titulo Naturalium anticipatorum in 696 fl. 26 xr. V V. et titulo deperditarum 404 fl. 36 xr. V. V. per Serenissimum Dominum Archi-Ducem Regni Palatinum ddto. 6. Novembris Nro. 1171. et 8. ejusdem Mensis Nro. 1214. Anno 1833. ad Excellentissimum Dominum Episcopum Zagrabiensem qua officii Banalis Locumtenentem Regium Alexandrum Alagovich exaratae, Benignam Resolutionem Regiam comprehendentes, qua mediante disponitur, ut praetensiones hae ocyus applanentur, siquidem motiva, quae Excellentissimus Dominus Locumtenens in obversum adduxit, quod videlicet sensui Jurium Municipalium Alimentatio Nobilis Militiae Insurrectionalis ultra Dravum Fluvium, adeoque extra Regnum Croatiae et Slavoniae dislocatae, non Regna haec, sed Aerarium Regium respiciat, in Dicasteriali pertractatione pro insufficientibus, nisi quid fundati obmoveri possit adinventa sint, ex specifice ibidem deductis fundamentis: hinc SS. et OO. determinarunt, ut Suae Sarratissimae Majestati humillime repraesentetur, quod fundamento municipalis horum Regnorum immunitatis ad solutionem harum praetensionum nunquam accessura sint haec Regna, utve fundamenta in benigna Resolutione Regia contra hanc immunitatem in specifico deducta refutentur, quod etiam Repraesentatione eatenus per Regni Proto-Notarium adornata et in publico lecta ac approbata, ex obtutu Dipplomatico, Historico, Legum item et Anteactorum Regnorum horum plene exhaustum esse Status et Ordines adinvenerunt.

## Articulus Decimus Quintus.

*De promovenda Cultura Linguae Nationalis.*

Posteaquam SS. et OO. expenso eo, quod Cultura Nationis indissolubili vinculo culturae Linguae Nationalis jungatur adeo, ut illa absque hac nec concipi possit, Nationalitatis suae non modo consolidandae, sed et laetius prove-

hendae studiosi, non sine grato animi sensu nobile et Patrioticum illud Regnicolarum desiderium intellexissent, ut erudita quaepiam Societas Culturam Nationalem pro scopo habens in gremio Regnorum horum coalescat. Hoc proinde fine nobilissimi praevii Instituti Protectione Excellentissimorum Dominorum L. B. Bani et Episcopi Zagrabiensis eatenus coram interpellatorum praepotentibus studiis commendata, atque per eosdem summos viros pro illustri gloriam decusque Nationis quavis oportunitate elevandi testato eorundem Zelo gratiose acceptata, praelaudatam Suam Excellentiam Banalem interpellarunt, quatenus habita utriusque adusque in scopum praemissum elaborati plani condigna ratione, illud in specie, quod pro singulari sua sapientia bonique publici promovendi studio sumtis etiam in adjutorium meritissimorum Patriae virorum Consiliis, approbandum esse duxerit, Altissimo Loco substernere, atque a Sua Majestate Sacratissima pro erigenda secundum submittendum planum Erudita Societate, Benignissimum Annutum Regium exoperari dignaretur, quo dein exoptatissima Augustissimi Principis Sanctione habita, universi Regnicolae medio cunctarum Regni Jurisdictionum conformiter edoceri, atque tam de Societatis ex benevolis Oblatis et Sociorum Symbolis conflando Fundo, quam et organisatione atque Statutis ejusdem via Excelsi Protectoratus Regiae Confirmationi substernendis mox congrua agi valeant.

## Articulus Decimus Nonus.

*De meliori Professorum in Zagrabiensi Directionis Scholarum Districtu Altissimo Loco sollicitata dotatione, petitisque nonnullis in objecto promovendae rei Litterariae necessariis altioribus ordinationibus.*

Directione Litteraria Districtus Zagrabiensis et Regii Gymnasii Varasdinensis tenore Suorum Statibus et Ordinibus Regnicolariter Congregatis praesentatorum Recursuum deplorabilem in Scholis Gymnasialibus Institutioni Juventutis praepositorum Individuorum sortem vividissime ob occulos collocantibus, unaque ex ratione sublatarum novercantium Belli, communisque illius necessitatis, quae falcidiam in remuneratione officialium publicorum inevitabilem redderet circumstantiarum, fundamento item in dies crescentis, et signanter Zagrabiae incomparabiliter adaucti cunctarum ad vitae necessitatem et commoditatem requisitarum rerum pretii, quo destinationi eorundem tanto melius et facilius satisfiat, cunctorum Salariorum Professoralium plenariam in moneta Conventionali absque 20 procentuali defalcatione exolutionem via humillimae ad Thronum Regium diregendae supplicationis procurari expetentibus — justis Recurrentium rationibus gravissimisque hac in re suapte occurentibus argumentis ducti SS. et OO. praeexpositae petitioni tanto magis deferendum esse rati sunt, cum felix vel adversus futurus Reipublicae Status ut plurimum a recta Juventutis educatione dependeat, quae animo praeceptorum Litterariorum ob vitae culturaeque adminiculorum defectum in anxium curarum statum locato expectationi publicae ac sublimi suo scopo nequaquam respondere potest, — Quapropter Suam Majestatem Sacratissimam homagiali in devotione interpellandam esse decreverunt, quatenus eadem ex praedeductis causarum et rationum Momentis, sumta quoque in condignam

reflexionem illa notabili circumstantia: quod in Fundi studiorum subsidium, Religionis, insuper fundus per Ordinum Religiosorum penes Institutionem Juventutis in Gymnasiis plerisque jam altissime dispositam applicationem accesserit, onerosa vero illa nonnullorum sublati Societatis Jesu Ordinis Individuorum prioribus temporibus ex Fundo Studiorum penes cunctorum Professoralium Salariorum integralem solutionem procurata intertentio cessaverit, — taliterque superfluitas in emolumentum rei Litterariae convertenda necessario enasci debuerit, — plenariam et nulla in parte truncatam Systhematice emensorum Salariorum Professoribus Scholarum Gymnasialium in Districtu Directionis Zagrabiensis exolutionem benignissime disponere dignaretur; — caeterum, quoniam propositus scopus non secus quam adhibitis cunctis in rem facientibus mediis sequi posset, hac vero Consiliorum oportunitate complures insuper permagni momenti considerationes sese evolvissent, quas inter primum occupat locum quod Cathedrae Studiorum Juridicorum plurium quoque annorum spacio in Regia Scientiarum Accademia Zagrabiensi vaccantes relinquantur, imo concursus domesticorum Filiorum pro iis saepe ac iterum praeclare licet suscepti incassum interim tentati esse cernantur, hocque pacto Juventus Scholastica Docentibus necessariis destituta gravem perfectae institutionis subire cogatur jacturam; — dein

Quod Religiosi Ordines Sancti Francisci, Eszekini, Posegae, Carolostadii imo jam et Varasdini ad munera Professorum vocati exclusivum in Gymnasiis docendi Jus acquisiverint, taliterque cuncti reliqui Patriae filii quamcunque eximiis qualitatibus instructi, privative Professoratus beneficio Ordini Franciscanorum altissime attributo, cum praejudicio et detrimento Rei Litterariae ab institutione Juventutis arceantur — quum nulli virorum muneris praeceptoralis capacium praemisso fine concursui locus amplius concedi videretur; — deinque

Quod administratio Bonorum fundationalium minus recta esse vel ideo appareat, cum Systhemate arendali hac in parte adoptato, exarendatio non in facie idmodi bonorum, verum quemadmodum recentissima Excelsi Consilii Locumtenentialis omnibus Regni Jurisdictionibus intimata Insinuatio intuitu Dominii Kutjevo in Slavonia situati docuit, Budae penes Commissionem Ecclesiasticam fieri soleat, unde necessario minor Census arendalis, ac dein proventuum defectus, hincque Salariorum solvendorum falcidia subsequatur oportet.

His proinde omnibus mature et pro gravitate meriti debite expensis, SS. et OO. Regnicolariter congregati, relate ad singula quoque praemissorum Gravaminalium punctorum altiorum et malis subversantibus accomodam medelam mediante eadem procitata humillima Repraesentatione a Sua Majestate Sacratissima, cui Suprema in objecto Litterario Inspectionis competit auctoritas, implorandum esse censuerunt.

(*Caeteris exmissis.*)

**Originale in Archivo Regni Croatiae.**

---

# 1840. MENSE AUGUSTO. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, A. 1840. 10. et sequentibus Mensis Augusti diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Quadragesimo, die vero 10. et sequentibus Mensis Augusti Zagrabiae sub Praesidio Excellentissimi, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Georgii Haulik, Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. M. V. de Topuszka, Inclyti Comitatus de Berzence Supremi ac Perpetui Comitis, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, nec non Excelsi Banalis officii in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae in Politicis ac Juridicis Locumtenentis Regii, servatae Generalis Regnorum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae Congregationis

## Acta et Articuli.

*(Caeteris eximissis.)*

## Articulus Quintus.

*De oblato pro Theatro Hungarico sub postremis Regni Comitiis facto, inter Jurisdictiones Regni adrepartito.*

Summa 9701 fl. 40 xr. C. M. ex oblato pro Theatro Hungarico cum assensu Nunciorum Regni facto, Regnum Croatiae respiciente, SS. et OO. Eandem inter concernentes Jurisdictiones modo sequenti subdiviserunt.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Comitatui Zagrabiensi . . . . . . . . . . . . . . . | 4716 | fl. | 48 | xr. |
| „ Varasdinensi . . . . . . . . . . . . . . . | 2233 | „ | 20 | „ |
| „ Crisiensi . . . . . . . . . . . . . . . . | 1590 | „ | 12 | „ |
| L. et R. Civitati Zagrabiensi . . . . . . . . . . | 214 | „ | 24 | „ |
| „ „ Varasdinensi . . . . . . . . . . | 178 | „ | 40 | „ |
| „ „ Crisiensi . . . . . . . . . . | 62 | „ | 32 | „ |
| „ „ Caproncensi . . . . . . . . . . | 142 | „ | 56 | „ |
| „ „ Carolostadiensi . . . . . . . . . | 285 | „ | 52 | „ |
| Districtui Bucarano . . . . . . . . . . . . . . . | 142 | „ | 56 | „ |
| „ Maritimo . . . . . . . . . . . . . . . | 134 | „ | — | „ |
| in Summa | 9701 | fl. | 40 | xr. C. M. |

## Articulus Undecimus.

*De legali nexu inter Regnum Croatiae et Regnum Slavoniae intercedente per Deputationem ellucubrando.*

Ex praestita per Dominos Regnorum horum Nuntios Rellatione SS. et OO. cum dolore intellexerunt, quod in postremis Regni Hungariae Partiumque

adnexarum Comitiis, SS. et OO. Regni Hungariae ab exemplo Diaetae Anni 183⁵/₆ Regnum Slavoniae neutiquam cum Regno Croatiae nexum esse, verum integrantem Regni Hungariae partem constituere non modo statuerint, sed et usque adeo adurserint, quod in sequellam ejus contra hucdum praevigentem usum, nec gravamina Regni Slavoniae cum postulatis et gravaminibus Regni Croatiae Altissimo Loco substrata fuerint; et cum haud infundate praevideri possit, quod quaestio haec in proximis etiam Comitiis discussioni substernenda sit, quo Domini ex parte Regnorum horum exmittendi Ablegati hoc in merito plene informari valeant, Deputatio nexum inter Slavoniae et Croatiae Regna illustratura, in sequellam interpellationis SS. et OO. per Excellentissimum Dominum Episcopum et Excelsi Officii Banalis Locumtenentem Regium nominata est, et quidem sub Praesidio Illustrissimi Domini Aloysii Busan, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Consiliarii Aulici et Inclytae Tabulae Judiciariae Regnorum horum Praesidis, Magnificus Dominus Nicolaus Mixich, Regnorum horum Protonotarius, Spectabiles item Domini Josephus Briglevich Inclytae Tabulae Judiciariae Notarius, Spectabilis Dominus Stephanus Kereskenyi et Spectabilis Dominus Eduardus Zerpak; cui Deputationi SS. et OO. opus etiam ellucubrandi et illustrandi meriti Contributionis Regni Croatiae detulerunt. Caeterum ne Authoritati Banali et integrae Regnorum horum constitutionali Compagi interea etiam quaqua ratione praejudicetur, SS. et OO. Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam esse decreverunt, quo in via Dicasteriali Comitatus Poseganum, Veroczensem et Syrmiensem sub nomeclatione Slavoniae inferioris complecti dignetur.

## Articulus Duodeimus.

*De Instituto Chyrurgico in Academia Zagrabiensi constabiliendo.*

SS. et OO. de necessitate Instituti Chyrurgici in Academia Zagrabiensi constabiliendi vel ex eo, quod per tale Patriae filii, qui vel propter Cognitionem Idiomatis Patriae utiliorem operam Incolis Regnorum horum praestare possunt, occasionem autem hanc condiscendi obtenturi sint, convicti, Deputationi quae intuitu Cassarum fundationalium Regni Art. nominata est, eam dederunt inviationem, ut praeferentem Instituti praeattacti rationem habeat.

## Articulus Decimus Tertius.

*De Libera et Regia Civitate Segniensi.*

Eo SS. et OO. innotescente, quod L. et R. Civitas Segniensis utut pro generali hoc congressu legitime evocata, propter impedimenta per Statum Militarem posita, Ablegatos ad Congregationem hanc Regni mittere nequiverit.

Licet quidem officiose id non constaret, cum tamem SS. et OO. ad retroacta tempora, quibus consimilia impedimenta per Statum Militarem reipsa posita fuerant, reflexissent, haec Ablegatorum intermissa ad Regni Congregationem

comparitio tanto majorem excitavit attentionem, quod eadem nunc recte, dum Sua Majestas Sacratissima tenore Suae Altissimae Resolutionis ad Generalia Regni Hungariae Partiumque adnexarum Comitia dimissae clementer declarare dignabatur, dispositum habuit, ut denominata in nexu Articuli 11. 1802 Comissio subortas circa territorium L. et R. Civitatis huius quaestiones praevie pertractet, subsecutaque super actis his altissima Decisione ad effectum excorporationis procedat, intervenerit. Cum itaque SS. et OO. de eo, quod impedimenta haec in quantum realisarentur, per Statum Militarem contra Altissimas Intentiones respectivis Ablegatis posita habeantur, Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam decreverunt, quatenus clementer prospicere dignetur, ne in posterum usque subsecuturam videlicet realem excorporationem, quam caeteroquin fiducia in altissimam assecurationem ducti SS. et OO. procul neutiquam distare plene convincuntur, consimilia impedimenta Liberae Regiaeque Civitati per Statum Militarem ponantur.

## Articulus Decimus Quartus.

*De gratiarum Actione Suae Majestati Sacratissimae pro conservatione Jurium Municipalium praestita.*

Cum tam e Relatione per Dominos Nuncios ad postrema Regni Hungariae Partiumque adnexarum Comitia exmissos praestita, quam et ex B. Resolutionibus Regiis ad eadem Regni Comitia dimissis SS. et OO. perspexissent, Suam Majestatem Sacratissimam pro Suo Justitiae et Benignitatis Studio Municipalia Regnorum horum Jura Salva et intacta Altissima Sua protectione conservare dignatam fuisse — sicut itaque novum hoc Benignitatis et Propensionis Caesareo Regiae gaudii non minus ac intimae gratitudinis in Cordibus Regnicolarum excitavit Sensum, ita SS. et OO., ut homagialis gratitudinis huius memoria perrennet, specialem hunc Articulum condendum et immortales Suae Majestati Sacratissimae grates medio humillimae Remonstrationis agendas esse decreverunt.

## Articulus Decimus Quintus.

*De Ellucubratione Jurium Municipalium et Statutorum Regnorum horum, nec secus nexus inter Dalmatiam et Croatiam intercidentis.*

Cum Deputatio cui provincia Ellucubrationis Jurium Municipalium in postrema Regni Congregatione delata fuerat, tum ob temporis brevitatem cum et quod Unum Deputationis Commembrum interea fatis cessisset, opus acceptum consumare nequivisset, quo Determinationi SS. et OO. eatenus jam Anno 1839. factae satisfieri valeat, tam hoc quam et Ellucubrationem nexus Regnum Croatiae et Dalmatiae intercedentis, Excellentissimus Dominus Episcopus et Excelsi Officii Banalis Locumtenens Regius Illustrissimo Domino Comiti Joanni Draskovich et Illustrissimo Domino Camerario Regio Emerico Inkey, velut jam antehac nominatis, Spectabiles Dominos Hermannum Busan Inclyti Comitatus Zagrabiensis Sub-

stitutum Vice-Comitem et Spectabilem Dominum Aurelium Kussevich Regni Archivarium adjunxit.

### Articulus Vigesimus Quartus.

*De Erectione Cathedrarum Lingvae Nationalis penes Instituta Litteraria in Regnis Dalmatiae Croatiae et Slavoniae existentia a Sua Majestate Sacratissima expetita.*

Merito Erectionis Cathedrarum Lingvae Nationalis tam in Regia Academia Zagrabiensi quam etiam penes Gymnasia in Recinctu Regnorum horum existentia, per Deputationem sub postrema Regni Congregatione pertractato — in discussionem sumpto — SS. et OO. ut ad exemplum complurium aliarum Urbium in Regia quoque Academia Zagrabiensi et cunctis Gymnasiis Cathedrae Lingvae Nationalis, ab erroribus provincialismi depuratae, elegantioris utpote systhemisentur, sicque ejusdem perpolitae Lingvae Nationalis usus propagetur, ejusdemque uberior Cultura promoveatur, ad Altissimum Locum homagialem Remonstrationem submittendam decreverunt.

### Articulus Vigesimus Sextus.

*De Eo, ut Documenta Croatica et Slavonica per Excelsa Dicasteria Suae Majestatis Sacratissimae acceptentur, ab altefata Sua Majestate expetito.*

Quandoquidem Nuncii complurium Jurisdictionum exposuissent, quod per Excelsa Dicasteria Documenta Lingva Croatica vel Slavonica concinnata frequentius remitti soleant, ac per id non solum Cursui Negotiorum ac respective Justitiae administrationi notabilis remora injiciatur, verum etiam cum Documenta in aliis in Regnis his vigentibus Lingvis apposita per praememorata Excelsa Dicasteria acceptentur, per id Lingva Nostra Nationalis quasi in inferiori gradu constitui videatur, ex eo SS. et OO. Suae Majestati Sacratissimae homagiales preces suas in eo substraverunt, ut translatoribus penes praelaudata Dicasteria Caeteroquin Systemisatis existentibus, altefata Sua Majestas quoad acceptationem praememoratorum Croatico Slavonicorum Documentorum congrua disponere dignetur.

### Articulus Vigesimus Septimus.

*De Theatro Nationali.*

Postquam cunctae Regnorum horum Jurisdictiones in nexu provocationis per Comitatum Zagrabiensem quoad subsidium pro sublevamine actu isthic existentis Nationalis Theatri conferendum dimissae promptitudinem suam Nationale isthoc Institutum pro possibili succolandi enunciassent, ac dumtaxat omnem in promovendo hocce patriotico Instituto coactionem abesse debere sustinuissent,

SS. et OO. tramitem hunc prosequentes ac ab instituenda hoc titulo inter Jurisdictiones repartitione praescindentes, rem ad benevola oblata direxerunt, oblatione igitur sub hac Regnicolari Congregatione inchoata subsequi Domini SS. et OO. subinsertas Summas in instanti praevio titulo obtulerunt et quidem:

| | | | |
|---|---|---|---|
| Excellentissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis Georgius Haulik | 1000 | fl. | CM. |
| Excellentissimus D. C. Nicolaus Szechen Supremus Comes Comitatus Posegani . . . . . . . . . . . . . . . | 400 | „ | „ |
| I. D. Nicolaus Zdenchay S. C. . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| Ill. D. Vice-Banus Andr. Markovich . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| Ill. D. Camerarius Emericus Inkey . . . . . . . . . . | 300 | „ | „ |
| Ill. D. Episcopus Schrott . . . . . . . . . . . . . | 200 | „ | „ |
| Magnificus Lentulay parem quotam, quae eidem pro Theatro Hungarico solvenda obtinget. | | | |
| L. R. Civitas Varasdinensis . . . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| Ill. D. Praeses Busan Aloysius . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| L. R. Civitas Posegana . . . . . . . . . . . . . . . | 25 | „ | „ |
| C. Georgius Orssich . . . . . . . . . . . . . . . . | 200 | „ | „ |
| Sp. D. Josephus Briglevich . . . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| Sp. D. Metellus Osegovich . . . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| Ill. D. C. Fesztetich Carolus . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| C. Dionisius Sermage . . . . . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| Excell. D. Comes Lavallus Nugent . . . . . . . . . . | 250 | „ | „ |
| Ill. Episcopus Schmicziklasz . . . . . . . . . . . . | 110 | „ | „ |
| Sp. Dominus Fridericus Svagell duplam quottae sibi titulo Hungarici Theatri adrepartiendae. | | | |
| Sp. Emericus Haraminchich . . . . . . . . . . . . . | 100 | „ | „ |
| S. D. Hermanus Busan . . . . . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| S. D. S. Vice-Comes Alexander Zdenchay . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| M. D. Antonius Kukuljevich . . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| L. et R. Civitas Caproncensis . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| S. D. Senior Klarich . . . . . . . . . . . . . . . | 20 | „ | „ |
| D. Advocatus Stephanus Oszjak . . . . . . . . . . . | 10 | „ | „ |
| L. et R. Civitas Carolostadiensis . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| S. D. Vice-Comes Josephus Suvich . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| S. D. Eduardus Zdenchay . . . . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| D. Advocatus L. B. Kusland . . . . . . . . . . . . | 10 | „ | „ |
| L. et R. Civitas Zagrabiensis . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| S. D. Vice-Comes Zidarich . . . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| S. D. Ludovicus Szinkovich . . . . . . . . . . . . | 10 | „ | „ |
| Reverendissimus D. Canonicus Mihaljicz . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| Ill. D. C. Joannes Draskovich . . . . . . . . . . . . | 200 | „ | „ |
| praeterea menstruae . . . . . . . . . . . . . . . | 4 | „ | „ |
| Ill. D. Comes Antonius Szechen Concipista Aulicus . . . . . | 100 | „ | „ |
| C. Thomas Keglevich medio sui Fiscalis Domini Frigan . . . | 100 | „ | „ |
| S. D. Stajdacher Josephus . . . . . . . . . . . . . | 50 | „ | „ |
| D. Czar Juratus Tabulae Banalis . . . . . . . . . . . | 60 | „ | „ |
| item menstruae . . . . . . . . . . . . 30 xr. | | | |

| | | |
|---|---|---|
| D. Ambrosius Senior Vraniczany . . . . . . . . . . . . . | 100 | fl. CM. |
| D. Ambrosius Junior Vraniczany . . . . . . . . . . . . . | 100 | „ „ |
| D. Clar. Professor Moises . . . . . . . . . . . . . . . | 50 | „ „ |
| D. Medicinae Doctor Demeter . . . . . . . . . . . . . . | 80 | „ „ |

D. C. Dionisius Sermage menstruae 1 fl. item D. Comes Carolus Fesztetich menstruae 2 fl.

Praeterea vovet praenominatus Illustrissimus Dominus Comes Joannes Draskovich quatvor florenos menstruos eousque, donec praesens ordo et productio locum habuerit. Quodsi autem sub Aegide Regnicolari semel de emendo Theatro actum fuerit, et sufficiens fundus modo Actiarum conflatus exstiterit — pro hoc Casu offert Mille florenos, cuius Interesse tum pro sumptu converti poterit. — Oblationibus his factis dignabatur Excellentissimus Dominus Banalis Locumtenens hoc in merito Regnicolarem Deputationem sub Praesidio Illustrissimi Domini Comitis Joannis Draskovich, cum interventu Ill. D. C. Georgii Orsich et Emerici Inkey, Camerariorum Regiorum, Sp. item Dominorum Joannis Csoka, Comitatus Posegani S. Vice-Comitis, Josephi Stajdacher, L. et R. Civitatis Zagrabiensis Judicis, Metelli Osegovich, Comitatus Varasdinensis Or. Notarii, Ludovici Jellachich, ac Ludovici Szinkovich, Sedrialis Assessoris, Actuarii munere functuri, consessuram gratiose nominare.

Actis Deputationis huius relatis, unice in quantum procedens Deputatio Interusuria a praeoblatis Summis secundum opinionem ejusdem Deputationis ellocandis obventura, in sublevamen Actualis Societatis Theatralis convertenda existimavit (residuis propositionibus fatae Deputationis approbatis) illa intercessit alteratio, ut quaestionata Societas Theatralis ex proventibus et subsidiis hucdum perceptis, per neo offerendas quottas pro re nata augendis ultra sustineatur, Interusuria vero oblatarum Summarum mox dum deposita fuerint pariformiter ellocentur, taliterque Capitali accrescant.

Caeterum Excellentissimus Dominus Banalis Locumtenens et Episcopus Zagrabiensis interpellatus est, ut tam Inclytas Jurisdictiones quam etiam singillativos ex Distinctioribus SS. et OO. ad facienda tam in Scopum adaugendi Capitalis pro constabiliendo in futurum Theatro Nationali destinati, quam etiam menstrue pro sublevamine Actualis Societatis Theatralis generosa oblata provocare dignetur.

Tandem pro coronide altefata Sua Excellentia Commembra Suprafatae Deputationis provincia sua tam egregie defunctae, qua permanentem Regnicolarem Deputationem pro manipulatione et superinspectione Fundi Theatralis juxta mentem per praefungentem Deputationem depromptam ordinatam constabilivit, quam etiam pro manipulatione pecuniarum D. Perceptorem Krsnyavi, qui Curam Cassarum Regnicolarium omni occasione maxima cum promptitudine in se suscepit, easdemque semper singulari cum Zelo et exactitudine tractavit, designavit. Eundemque Dominum Perceptorem per SS. et OO. gratanter acceptatum neo ordinatae permanenti Deputationi gratiose adjunxit.

(*Caeteris exmissis.*)

Originale in Archivo Regni Croatiae.

## 1845. MENSIBUS SEPTEMBRI & OCTOBRI. ZAGRABIAE.

*Articuli Generalis, Anno 1845. 23. et sequentibus Mensium Septembris et Octobris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.*

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Quadragesimo Quinto. Die vero 23. et sequentibus Mensium Septembris et Octobris in Libera, ac Regia Civitate Montis Graecensis Zagrabiensi in Domus theatralis Sala sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Francisci Comitis Haller de Hallerkeö, Insignis Ord. S. Mauritii et Lazari Equitis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Bani, Eorundemque Regnorum Confiniorum Collapianorum et Unnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Camerarii, Actualis Intimi Status, prout et Excelsi Consilii Regii Locumtenentialis Hungarici Consiliarii, Generalis Campi Vigiliarum Praefecti, nec non duorum pedestrium Regiminum Banalium Proprietarii Colonelli, Excelsae Tabulae Banalis Praesidis, ac Inclyti Comitatus Zagrabiensis Supremi Comitis, servatae Generalis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Congregationis

### A c t a.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Tertius.

*De Relatione per Dominos ad postrema Regni Hungariae Partiumque adnexarum Comitia exmissos Regnorum Ablegatos praestita.*

Lecta est Relatio, quam Domini ad postrema Regni Hungariae Partiumque adnexarum Comitia exmissi, Hermanus quippe Busan, Exc. Tabulae Banalis Assessor, Carolus Klobucharich, Judicii Cambio-Mercantilis Assessor et Metellus Ossegovich, ad Excelsam Cancellariam Regiam Hungaricam Aulicam honorarius Secretarius, de iis, quae sub decursu eorundem Comitiorum acta pertracta et conclusa fuerunt.

Cum e Relatione hac eveniat, quod Jura Municipalia Nationalitasque Regnorum horum utut gravioribus ac unquam hactenus Hungarorum Impetitionibus exposita, Benignitate Suae Majestatis Sacratissimae illaesa conservata fuerint — Domini vero Regnorum Ablegati Instructioni sibi datae stricte inhaerendo indefesso Conatu Comoda Regnorum horum — Jura Municipalia ac Nationalitatem, felici cum Successu quavis occasione inter tot et tanta novercantium Circumstantiarum adjuncta defenderint, sicque Missioni suae eadem praeclare defungendo plenissime satisfecerint, SS. et OO. Suae Majestati Sacratissimae pro Benigna Jurium nostrorum conservatione et tuitione humillimas gratias agendas, —

Dominis vero Ablegatis non tantum plenae satisfactionis suae sed et permaturum grati animi sui sensum hisce exprimendum, concluserunt.

Caeterum cum ex praelaudata Relatione id quoque impatescat, quod Dominus Aurelius Kussevich Regnorum horum Archivarius, certam petitionem contra Electionem Dominorum Ablegatorum directam, per nonnullos ex Regnicolis Comitiis Regni Hungariae Partiumque adnexarum exhibitam aeque subscripserit, et nonnulla acta praeattactae petitioni adnexa per praefatum Dominum Archivarium ex Archivo Regni excepta et lectisata exstiterint — SS. et OO. hoc ex respectu resensum suum Manifestandum determinarunt.

## Articulus Octavus.

*De Episcopatus Zagrabiensis in Sublimem Archi Episcopatus Dignitatem Erectione a Sua Majestate Sacratissima expetita.*

E Consideratione ejus, quod Episcopatus Zagrabiensis felicissimae Regnorum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae cum Hungaria conjunctioni coaevus inde a tempore fundationis suae ac septem quippe jam Saeculis non obstantibus attrocissimis Tartarorum Turcarumve Invasionibus et vastationibus in interruptum persistens, tum amplitudine extensioneque sua, cum etiam Numero fidelium ad Episcopatum hunc spectantium cunctas fere Dioeceses Regni Hungariae Partiumque adnexarum superante, Puritateque Religionis Catholicae in eodem vigente, splendida item dotatione e Munificentia Regum Apostolicorum Praesulibus Zagrabiensibus attributa, celeberrimaque historia sua spectatis, unam ex eminentissimis Regnorum horum Institutionibus Constituat, Episcopi porro Zagrabienses Patriam, calamitosissimis temporibus saepe extremo discrimini expositam, Consilio ac Ore interitu salvaverint, quavis oportunitate respectu promovendi Altissimi Servitii et Boni publici defendendorumque Jurium et Privilegiorum Municipalium Regnorum horum indefessam operam navaverint, largissimas item fundationes pro patienti humanitate errudiendaque Juventute Scholastica fecerint, reflectendo praeterea ad Regnicolaria de Anno 1807 Acta, ubi de Episcopatu hoc in Archi Episcopatum evehendo mentio fit, spectato insuper et eo, quod Dignitas Regnorum horum secum ferat, ut iisdem Regnis in Ecclesiasticis Archi Episcopus praeficiatur, hocve sublime munus Episcopis Zagrabiensibus eo a fortiori conveniat, quod iidem passim in Officio Banali Locumtenentes benigne nominari sveverint, sed et attentis actualis Zagrabiensis Episcopi Excellentissimi quippe Georgii Haulik Conspicuis omni sub obtutu meritis, qui utpote universos propemodum suos redditus pro bonis operibus et Decore Patriae hujus litat, ac intra exiguos, quibus Dioecesi huic praeest, annos, in articulatione dignum Monasterium Sororum misericordiae Cura infirmorum et Schola Puellari semet occupantium magnis sumptibus errexit et munifice dotavit, Juventuti Litteris operam navanti generosa Stipendia addixit, per quae haec et alia centum pia opera sibi in cordibus Regnicolarum aere perrenius Monumentum posuit, SS. et OO. Suam Majestatem Sacratissimam de genu exorandam statuerunt, quo e respectu quoque diversarum, quae Coram Foris Ecclesiasticis suscitantur, et in via appellatae ob remotiorem distantiam cum multiplicibus Incomoditatibus et non sine gravibus Partium litigantium

sumptibus ad Archi Episcopatum Colloczensem deducuntur, Causarum domi citius, ac cum minoribus expensis superrevidendarum et terminandarum, Sedem Episcopalem Zagrabiensem pro suprema sibi, qua Regi apostolico competente potestate in Archi Episcopatum clementer evehere, Eidemque Dioecesanos Episcopos Segniensem, Crisiensem et Diacovariensem, nec non conservatum Episcopum Belgradiensem et Semenderiensem, ac quosvis ad Regna adnexa spectantes, expost S. Regni Coronae reincorporandos qua sufraganeos benigne subordinare dignetur.

## Articulus Nonus.

*De acceleratione reincorporationis Dalmatiae a Sua Majestate Sacratissima expetita.*

Status et Ordines reincorporationem Dalmatiae, ab ipsis Incunabulis Regnorum horum Partem integrantem constituentis, decursu tot jam annorum anhellis votis exoptantes, Suam Majestatem Sacratissimam novitus demissis praecibus exorandam decreverunt, ut effectum Articuli 5. 1830 benigne procuratura reincorporationem Dalmatiae admaturandam clementer disponere dignetur.

## Articulus Decimus.

*De reintroductione Consilii Croatico Slavonici, Errectione item penes Cancellariam Hungarico-Aulicam Departamenti pro tractandis Regnorum horum Negotiis a Sua Majestate Sacratissima expetita, petito vero ut graemiales Regnicolae penes Dicasteria et Tribunalia cum Regno Hungariae Comunia in debita proportione applicentur reiterato.*

Laetissimus progressus Culturae —: Evolutio Nationalitatis nostrae; Evigilans e lethargico plurium saeculorum Somno Litteratura Croatico Slavonica, respectus Comercii et Industriae, ipsaque Situatio Regnorum horum, accumulatio Negotiorum penes Consilium Regium Locumtenens hungaricum et facilitatio administrationis — distantia Sedis ejusdem dirigentis Dicasterii, ac demum momentosissima per leges novellares introducta innovatio, quod Lingua hungarica intra recinctum Regni Hungariae exclusive ad Cathegoriam Linguae Curialis et diplomaticae elevata sit, SS. et OO. imperiosam imposuerunt necessitatem, Suam Majestatem Sacratissimam de genu exorandi, ut Consilium Regium Croatico Slavonicum per Dominam Reginam Mariam Theresiam die 31. Augusti Anni 1767. errectum et die 30. Julii 1779 sublatum, in Regnis his salva eorundem Regnorum avita et aeviterna cum Regno Hungariae in legislativis caeterisque Corellationibus constitutionali unione jure postliminii revehatur, inque metropoli Regnorum horum urbe quippe Zagrabiensi illocetur; qua occasione SS. et OO. altefatam Suam Majestatem Sacratissimam una humillime exorarunt, quatenus penes Cancellariam suam hungarico-aulicam departamentum pro tractandis Regnorum horum cunctis negotiis, in quo meri Croaticae et Slavonicae linguae nostrae nationalis gnari applicarentur, benigne errigere, prout et in sequelam homagialis Remonstrationis e postrema generali Congregatione substratae votis

SS. et OO. relate ad Regnicolas e Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae oriundos penes Comunia Regni Hungariae Partiumque adnexarum Dicasteria, signanter Tabulam Septemviralem et appellatorium Cambio Mercantile applicandos clementer deferre dignaretur.

## Articulus Decimus Quintus.

*De objecto promovendae Linguae et Litteraturae Nationalis.*

Erga interpositum e postremo generali Regnorum Congressu in eo petitum, ut ex respectu excollendae et perpoliendae Linguae et Litteraturae Nationalis altissimus indultus Comendatur, Eruditam Societatem errigendi, ut dein tam in Accademia Zagrabiensi quam et quibusvis Gymnasiis Cathedra Linguae et Litteraturae Nationalis benigne Systhematisentur, nec non studium historiae Regnorum horum Epocham Conjunctionis cum Regno Hungariae praecedentis per Historiarum Professorem postliminio tradetur, Censoris denique muneri in Regnis adnexis non nisi Individua Linguae Nationalis exasse gnara admoveantur, dignabatur Sua Majestas Sacratissima Errectionem Cathedrae Linguae et Litteraturae Nationalis penes hujatem Regiam Accademiam disponere ac una ordinare, ut muneri censoris Zagrabiensis non nisi domesticus Patriae filius nationalis Linguae exasse gnarus admoveatur, iidem vero censores in publico politicis Ex. Comiti Regnorum Bano subordinentur, quas Benignas Provisiones SS. et OO. cum summa gratiarum actione exceperunt, ac una altefatae Suae Majestati supplicuerunt, ut praelaudatus Excell. Dominus Comes Banus in objecto Censurae directe ab Eadem Sua Majestate Sacratissima dependeat, utve quoad reliqua quoque supradeducta puncta favorabilem Resolutionem quo prius benigne edere ac una disponere dignaretur, ut Statuta etiam et Jura Municipalia Regnorum horum in hujate Accademia per Professorem Juris publici Regni Hungariae tradantur.

Et quia hac occasione Dominus Civitatis Carlostadiensis Deputatus Quaerimoniam proposuisset in eo, quod ejus Censor non sit nativus Patriae filius, quod praeterea Linguam Nationalem non caleat, ideo Sua Majestas Sacratissima de genu interpellata est, quo praeviam benignam provisionem quoad Censorem Zagrabiensem editam per integrum recinctum adnexorum Regnorum extendendam clementer disponere dignaretur.

Quo autem indultus pro errigenda Erudita societate tanto celerius obtineatur, Excell. Dominus Comes Banus pro gratiose procuranda petiti hujus simulatione interpellatus est.

## Articulus Vigesimus.

*De favore Portubus Fluminensi et Segniensi concesso ad cunctos maritimi littoralis liberos Portus clementer extenso.*

Benigna ddto. 28. Novembris a. prioris Nro. 18180/1640 edita Resolutio Regia, vigore cujus Sua Majestas Sacratissima erga Remonstrationem e postrema

generali Regni Congregatione factam favorem tricesimalem relate ad fruges a Portu Fluminensi et Segniensi via Mari, ad Regnum Lombardo venetum evectas vigentem ad Cunctos Litoralis Hungarici liberos extendere dignata est, pro grato notitiae status susceperunt SS. et OO.

## Articulus Vigesimus Sextus.

*De Propositione quoad Monumentum in Campo Grobnik in memoriam profligatorum inibi sub Bela IV. Rege Hungariae Tartarorum errigendum facta.*

Propositione quoad Monumentum in Campo Grobnik in memoriam profligatorum inibi sub Bela IV. Rege Hungariae Tartarorum errigendum facta SS. et OO. Circumstantiam illam in reflexionem sumentes, quod erga motionem ante aliquot annos per Comitatum Zagrabiensem factam idem Comitatus nomine altissimo medio gratiosorum ddto. 22. Augusti et 24. Octobris 1843, Nro. 31450 et 38699 dimissorum Intimatorum, ad specifica fide digna quaestionatam Cladem et respective reportatam victoriam ad evidentiam remonstratura historica data altissimo obtutui substernenda provocatus fuerit, inprimis provocationi huic ad amussim satisfaciendum, tum vero de conflando per benevola oblata hunc in scopum fundo Curam sumendam decreverunt; atque ideo respectivas Jurisdictiones ad relationem eatenus medio ablegatorum suorum usque proximam Regni Congregationem praestandam inviarunt.

## Articulus Vigesimus Septimus.

*De Cathedra artis obstetriciae errigenda item de Ellevatione graemialis Accademiae ad Universitatem a Sua Majestate Sacratissima expetita*

Erga Remonstrationem in merito errigendarum penes Regiam Accademiam Zagrabiensem Medicinae Chyrurgiae et obstetriceae artis Cathedrarum e postrema generali Regnorum Congregatione Suae Majestati Sacratissimae submissam illa benigna sub dato 23. Januarii a. p. Nro. 701 superveniente Resolutione, quod petitarum Medicinae et Chyrurgiae Cathedrarum necessitate haud subversante, in quantum artis obstetriceae Cathedra errigenda ultro desideraretur, cum haec Notabiles praeter Salarium Professoris alias etiam expensas deposcat, ad quas tegendas fundus publicus non adest, de idmodi Fundo praeferenter prospiciendum veniat, Domino Prothomedico Alexio Praunsperger Comissum est, ut quoad uberiorem quam, quae remonstrata est, errigendarum Medicinae et Chyrurgiae Cathedrarum Necessitatem suam usque proximam Regni Congregationem opiniativam Informationem praestet. Singulae praeterea Jurisdictiones provocari disponuntur, ut usque idem tempus tam eatenus, quam et intuitu quaestionati Fundi qualiter designandi Sensa sua deponant.

Cum hac occasione SS. et OO. illis motivis ducti, ut Eruditi Patriae hujus filii ob defectum requisitarum Expensarum ad aliquam similem Universitatem transire nequeuntes Domi Laurea doctorali decorari queant, ut praeterea

sine Sacrificio Facultatum suarum pro vacantibus Cathedris aeque Domi concurrere valeant, desiderium suum expressissent, ut Regia Accademia Zagrabiensis ad Universitatem a paritate Universitatis Graecensis, in qua aeque non nisi tres Facultates, prout hic loci, quippe Philosophica, Juridica et Theologica existunt, elevetur — ideo desiderio Eorundem conformis submissa est Suae Majestati Sacratissimae Remonstratio.

## Articulus Trigesimus.

*De Actorum Deputationis Regnicolaris in merito subversantis inter Regna Croatiae et Slavoniae nexus servatae remissione, ab altissimo Loco denuo solicitata, ac Slavoniae Inferioris Nomenclatione penes altiora Dicasteria retineri expetita.*

Quantopere expediat intimius nosse nexum inter Regna Croatiae et Slavoniae intercedentem, Testimonio sunt illa, quae in postrema Regni Hungariae Partiumque adnexarum Regni Diaeta per Hungaros, Succussionem ac Sublationem ejusdem nexus pro scopo habentes, acta et suscepta fuerunt; sicut itaque SS. et OO. pro illustrando nexu hoc Deputationem Regnicolarem exmiserunt, quae delata sibi Provincia defuncta est, et sicut acta praeviae Deputationis, quae erga altissimos ordines Suae Majestati Sacratissimae per Excell. D. C. Banum substrata habentur, sibi remitti in proxime praeterlapsa ante-diaetali Regni Congregatione petierunt, ita necessitate Eorundem actorum continuo ac penes perdurantes Hungarorum Impetitiones magis magisque subversante — SS. et OO. pro praeattactorum Actorum Regnicolaris Deputationis Remissione Suae Majestati Sacratissimae Supplices evaserunt, una vero cum ex Caesareis Decretis Aulicis et Intimatis Ex Consilii R. L. H. SS. et OO. observassent, quod vetusta inferioris Slavoniae Nomenclatio non adhibeatur, Suae Majestati Sacratissimae supplicandum esse decreverunt, quo penes altiora Dicasteria clementer disponere dignaretur, ut in Resolutionibus et Intimatis vetusta inferioris Slavoniae Nomenclatio retineatur.

## Articulus Trigesimus Septimus.

*De Objecto promovendi Nationalis Comercii.*

Siquidem primum idque essentiale medium promovendi Nationalis Comercii constituat facilis ac cum minimis Expensis juncta evehendorum articulorum ad suam destinationem promotio, inter praecipuas vero adhibendi hujus medii partes referratur, regulatio atque repurgatio fluviorum Savi et Colapis, velut naturali suo situ brevissimam una et plurrimum consentaneam ac cum minimis Expensis conjunctam hunc in scopum Comunicationem praebentium, ideo SS. et OO. Suae Majestati Sacratissimae de genu supplicuerunt, quatenus memoratorum fluviorum regulationem et repurgationem benigne ordinare ac per id in florescentiam Nationalis Comercii fundamentalem per saeros Regnorum horum Posteros gratissima reminiscentia recolendam radicem figere — in reliquo vero

**illi Conditioni Projecti Contractus struendae Vukovarino seu ab inferiori Danubio versus Flumen viae ferreae per SS. et OO. diaetaliter congregatos ex postremis Comitiis altefatae Suae Majestati Sacratissimae substrati insertae, quod ab hac via ferrea nullos laterales ductus in directione versus Tergestum (adeoque nequidem scopo conjungendae cum eadem via ferrea Comitatus Zagrabiensis) struere liceat, regiam Sanctionem suam in illa extensione prout proposita est, velut regnis his praejudiciosae haud tribuere dignetur.**

## Articulus Trigesimus Nonus.

***De Libera Regiaque Civitate Segniensi ad privilegialem suum Statum benigne reponenda et Portu ejusdem reconstruendo.***

Quandoquidem nomine Liberae Regiaeque Civitatis Segniensis petitum illud sub praesenti Regni Congregatione interpositum fuisset, ut antiquissima haec Civitas ex usu privilegialium suorum Jurium et administrandorum conspicuorum suorum redituum exturbata, ac ad unius sterilis duntaxat Comunitatis Militaris Cathegoriam reducta, privilegiali suo statui tandem restituatur, portus item Segniensis ex notabili titulo daciarum vini a singula urna in 43 xr. unice in scopum reconstruendi portus adaucto et annue ad aerarium Militare cum 40000 fl. M. C. influente, proventu eo magis restauretur, quod etiam ex elevato recentioribus temporibus in 50 xr. penes singulum Centenarium salis praetio in sola Civitate Segniensi ad aerarium Regium annue 80000 fl. C. M. inferantur. — Petito huic ex parte Civitatis proposito conformiter SS. et OO. Regnorum horum homagialem Repraesentationem Suae Majestati Sacratissimae substernendam esse, eo promptius adinvenerunt, quo certius constaret, praeces has nomine Regni semel ac iterum tam ex Regnicolaribus Congressibus, qnam et generalibus Comitiis promotas imo et in serie praeferentialium gravaminum ac postulatorum hactenus incassum adursas fuisse.

*(Caeteris exmissis.)*

**Oiginale in Archivo Regni Croatiae.**

## 1847. MENSE OCTOBRI. ZAGRABIAE.

***Articuli Generalis, Anno 1847. 18. et sequentibus Mensis Octobris diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.***

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Quadragesimo Septimo, die vero 18. et sequentibus Mensis Octobris, sub Praesidio Excellentissimi, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Georgii Haulik de Varállya, Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopi Zagrabiensis, Abbatis B. M. V. de Topuzka, Incliti Comitatus de Berzencze Supremi ac Perpetui Comitis, Sacratissimae Caesareae et Regiae Apostolicae Majestatis Actualis Intimi Status Consiliarii, in Regnis Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Excelsi Banalis Officii Locumtenentis Regii, nec non SS. Theologiae Doctoris Collegiati servatae Generalis Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Congregationis

### Acta et Articuli.

*(Caeteris exmissis.)*

### Articulus Sextus.

***De denuo expetita Benigna Resolutione Regia intuitu Coordinationis Regni Congregationis elargiendaque ratione poenalitatis contra Jurisdictiones, Ablegatos ad Regnicolares Congregationes mittere recusantes, proposita ratihabitione.***

Ad Articulum 7. postremae Generalis Regni Congregationis intuitu Coordinationis Regnorum horum Congregationis, hactenus nulla desiderata altissima resolutione Regia superveniente, SS. et OO. concluserunt Suam Majestatem Sacratissimam denuo interpellandam venire, una vero determinarunt, ut sicut pro Individuis ad Regnorum Congregationem per Litteras Banales evocatis, si et in quantum eadem comparere seu intermitterent seu vero absque indultu Praesidis e Regni Congregatione semet absentarent, poenalitas 100 fl. M. C. defixa habetur, ita Jurisdictiones quoque Ablegatos ad Regni Congregationem exmittere detrectantes poena Decretalis 800 fl. C. M. maneat, ea ratione, ut praeviae poenalitati illa Individua, quae voluntatem suam circa exmittendos ablegatos affirmative aut penes interpositam contra condendam nefors contrariam Determinationem protestatorii Juris Cautelam scripto expressura, eatenusve legitimationem exhibitura sunt, haud subjiciantur, eo caeteroquin suapte intellecto, quod in hunc etiam Casum ob absentiam seu alicujus Jurisdictionis seu privati cujuspiam Individui nihil prorsus de vigorositate ac validitate Regnorum Congregationis decessurum sit. — In horum conformitate SS. et OO. modificationem hanc praerecensiti operati altissimae Majestatis Sacratissimae ratihabitioni cum eo substernendam

determinarunt, ut hujus quoque modificationis occasione edendae circa totum opus Coordinationis Regni Congregationis altissimae Resolutionis Sua Majestas Sacratissima Benignam Reflexionem habere dignetur.

### Articulus Septimus.

*De renovato homagiali Petito quoad Effectum Legum Cambialium in Confiniis quoque Militaribus rite procurandum.*

Ex quo hactenus ad demissum Petitum SS. et OO. intuitu procurandi in Confiniis quoque militaribus Legum cambialium Effectus e postrema generali Regnorum Congregatione Suae Majestati Sacratissimae substratum nulla adhuc supervenisset altissima Resolutio Regia, SS. et OO. per quam Tribunal Cambio Mercantile Carlostadiense de eo quod novae idmodi non observatae Legis Cambialis disponi utpote neglectae per Caesareo Regium appellatorium Forum Viennense in causa admonitionali Fratrum Lakenpaher contra Simeonem Stanissich Confinii Petrovaradinensis Incolam Executionis Casus intervenerit, edocti, Suam Majestatem Sacratissimam eatenus denuo interpellandam esse determinarunt.

### Articulus Octavus.

*De expetita actorum nationali lingua concinnatorum per Suam Majestatem Sacratissimam et altiora Dicasteria acceptatione.*

Ex incidenti, quod ad iteratas SS. et OO. homagiales Praeces intuitu Actorum Lingua Nationali concinnatorum citra praevie instituendam eorundem in Partibus non sine gravi Regnicolarum Praejudicio ac temporis remora versionem, tam per Suam Majestatem Sacratissimam quam et alia quoque altiora Dicasteria in pertractationem assumptionis hocve scopo denominandorum sufficienti numero Interpretum SS. et OO. nulla adhuc Resolutione Regia consolati sint, praeces suas altissimo obtutui eatenus denuo atque iterum substernendas ordinarunt.

### Articulus Decimus.

*De Lingua Nationali intra ambitum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae ad gradum Diplomaticae elevata — expetitaque eatenus Sanctione Regia.*

Dum Anno 1805 pro usu officiosorum negotiorum SS. et OO. Regnorum horum Linguam latinam introduxerunt, hancque statuto municipali in sensu Art. 120, 1715. condito, altissimeque approbato, eo duntaxat scopo praemuniverunt, ut Regna haec contra impendentem Linguae hungaricae introductionem certa tutaque reddantur, nequaquam vero Suae Nationalitatis Evolutioni Limitem ponere, ac propriae Suae Nationalis Linguae progressum praecludere voluerint, hoc ipsum eo etiam confirmantes uberrime, quod Lingua Nationalis in Consultationibus pu-

blicis semper liberrime usuvenerit, et non pauca publico politica ac Juridica acta in Lingua Nationali, salvo attamen praecitato municipali Statuto, etiam hactenus concinnata exstiterint, hacve modalitate Culturam Linguae Nationalis adeo laeta incrementa jam caepisse, ut merito dici debeat jam nunc illud momentum advenisse, ut Lingua Nationalis Regnorum horum ad vitam publicam deducatur. Quare SS. et OO. Regnorum horum Desiderio, quod Cunctorum Regnicolarum animos jam nunc occupat, conformiter necessitatem Linguae Nationalis, quae unum ex principalibus nationalibus caracteribus ac praecipuum promovendae nationalitatis, summi quippe pro singula natione Thaesauri vehiculum constituit, ad illum situm quod ei spectata ejus dignitate merito competit et apud omnes cultiores Europae populos assertum est, evehendae eo quoque ex obtutu, quod cultura cujusvis nationis non nisi ope maternae linguae optimo cum effectu promoveri valeat et quod progressus in socio Regno Hungariae potissimum Elevationi linguae hungaricae ad caracterem Diplomaticum in acceptis referendus veniat, comuni suo sensu quoque statuerunt, ut Lingua Nationalis intra ambitum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae ad gradum Diplomaticae elevetur. Salva de caetero usque superventuram altissimam Ratihabitionem Statuti de Anno 1805 huicve superstructa Articuli 2, 1844 circa officiosas cum Jurisdictionibus Regni Hungariae latine fovendas corespondentias provisione.

In quorum nexu SS. et OO. praevium Statutum pro altissima Ratihabitione Suae Majestati Sacratissimae substernendum determinarunt, una autem, quo certius desideratus obtineri possit Effectus, Excellentissimum Dominum Episcopum Zagrabiensem ac officii Banalis Locumtenentem Regium aliosve Regnorum horum Dignitarios, quo vices suas eatenus penes Suam Majestatem Sacratissimam interponere dignarentur, interpellarunt SS. et OO.

## Articulus Undecimus.

*De objecto promovendae Linguae et Litteraturae Nationalis.*

Dum SS. et OO. Regnorum gratissimo venerantur animi sensu illam altissimam Suae Majestatis Sacratissimae Ordinationem, qua mediante Cathedram Linguae et Litteraturae Nationalis penes hujatem Regiam Accademiam systematisare clementer dignabatur, una altefatae Suae Majestati Sacratissimae denuo supplices fiunt, ut in quantum Statuum et Ordinum illi homagiali petito, quatenus ejusmodi Linguae ac Litteraturae Nationalis Cathedrae in cunctis Regnorum horum Gymnasiis introducerentur, hactenus minus delatum esset, motivo provehendae Nationalis Consistentiae Sua Majestas Sacratissima altissima sua gratia eatenus subvenire dignetur.

## Articulus Duodeimus.

*De Comissione Regia pro investigando tragico Casu, qui occasione Restaurationis Magistratus Comitatus Zagrabiensis 29. Julii 1845 asservatae evenit, denuo expetita.*

Ex quo Sua Majestas Sacratissima in merito expetitae in tragicum Casum, qui occasione Restaurationis Magistratualis Comitatus Zagrabiensis die 29. Julii

Anni 1845 cum assistentia Militari servatae evenit, investigaturae Comissionis Regiae nullam adhuc Benignam elargiri dignata fuisset altissimam Resolutionem Regiam. Status et Ordines gravitatem meriti comunemque exinde subortum luctum tristi recolentes memoria — Suam Majestatem Sacratissimam denuo humillimis praecibus exorandam concluserunt, quo pro comuni fidelium Regnicolarum animorum quietatione, altefata Sua Majestas Sacratissima justo huic aeque ac legali SS. et OO. Petito clementer deferre dignetur.

## Articulus Decimus Tertius.

*De factis circa Rem Litterariam Dispositionibus.*

Statibus et Ordinibus Benignis Resolutionibus Regiis ddto. 23. Aprilis et 15. Decembris Anni 1846, Nro. 6550 et 19005 dimissis de eo edoctis, quod de deligendis qualificatis Professoribus prout et meliori eorundem Dotatione partim jam prospectum sit partim dehinc debite prospectum iri, item quod Desiderio SS. et OO. circa id, ut in Regio Litterario Districtu Zagrabiensi Cathedrae Profersorales non nisi maxime qualificatis Individuis et quidem Patriae filiis, quin ab illis Cognitio linguae hungaricae requiratur, nisi de Cathedris linguae ejusdem, quaestio subversaretur, conferantur, satisfactum sit, illa dein per Illustrissimum Dominum Episcopum Belgradiensem ac Superiorem Scholarum Directorem Josephum Schrott informatione praestita, quod Historia Regnorum adnexorum Epocham Conjunctionis cum Regno Hungariae praecedens per Professorem Histhoriarum, uti et Statuta et Jura Municipalia Eorundem Regnorum per Professorem Juris publici Regni Hungariae actutum in Accademia Zagrabiensi tradantur — tandem eo quoque ex Illustrissimo Domino Comite Francisco Draskovich intellecto, quod Societatis Eruditae Erectio in Thesi quidem altissimo Loco concessa verum nonnullarum Circumstantiarum uberior Ellucubratio et Suae Majestati desuper praestanda informatio deposta sit.

Sicut SS. et OO. in praeviis altissimis Resolutionibus factisque provisionibus progressum rei suae Nationalis suspiciunt, ita scopum in eum ut Historia Regnorum adnexorum ante et post Epocham Conjunctionis suae cum Regno Hungariae ad uberiorem adhuc claritatem deducatur, Domino Varasdinensi Comitatus Deputato Joanni Kukuljevich, qui ad promovendam nationalem rem litterariam multa jam parte ex sua ad aram Patriae contulit, Diplomata aliaque hoc meritum respicientia data exquirendi et in complexu exhibendi provinciam detulerunt; — convicti de eo, quod Idem Expectatione SS. et OO. pro zelo et studio suo Comunia Patriae comoda promovendi plene satisfacturus sit.

## Articulus Decimus Quintus.

*De Actis Deputationis in merito subversantis inter Regna Slavoniae et Croatiae nexus ab altissimo Loco remissis et de Nomenclatione inferioris Slavoniae in edendis Resolutionibus Regiis impetranda.*

Operato Deputationis Regnicolaris in merito subversantis inter Regna Slavoniae et Croatiae nexus via Excelsi officii Banalis Suae Majestati Sacratis-

simae substrato, erga Repraesentationem SS. et OO. Excel. Domino Episcopo et officii Banalis Locumtenenti, cum eo, ne illud citra ulteriores altissimos ordines in publicam pertractationem assumatur, remisso; per Eandem Suam Excellentiam SS. et OO. resignato — SS. et OO. praeattactum operatum usque proximam Regnicolarem Congregationem ad Archyvum Regni reponendum esse concluserunt.

In reliquo siquidem recentioribus temporibus in Regni Hungariae Diaeta Comitatus Poseganus, Veröczensis et Syrmiensis ad Hungariam pertinere praetendantur, e ratione conservandae Regnorum Croatiae et Slavoniae praevigentis nexus SS. et OO. Suam Majestatem Sacratissimam, ut vetustam nomenclationem Slavoniae inferioris in edendis suis altissimis Resolutionibus Regiis et Benigno Gratiosis Intimatis adhibendam disponere dignetur, ultro exorandam esse determinarunt.

## Articulus Vigesimus Primus.

*De Benigna Resolutione Regia quoad Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Intitulatura Benignorum Rescriptorum Regiorum adhibitionem emanata.*

Publicata exstitit Benigna Resolutio Regia ddto. 27. Aug. 1846, Nro. 13128 edita, tenore cujus Sua Majestas Sacratissima declarare dignabatur, quod intuitu Nominum Croatiae, Dalmatiae et Slavoniae in titulatura Benignorum Rescriptorum Regiorum retinendorum altissimae suae Resolutioni ad SS. et OO. Regni in Comitiis Anno 1840 Congregatos et quidem ad punctum gravaminum et postulatorum 17 Classis I. ac 6 Classis III. editae porro quoque inhaereat.

## Articulus Vigesimus Secundus.

*De Repraesentatione quoad Urbem Portumque Fluminensem Ablegatos suos ad Regni Congregationes haud exmittentem altissimo Loco substrata.*

Cum pro praesenti Regnicolari Congregatione ex Parte Urbis Portusque Fluminensis nulli Ablegati comparuerint, non poterat non praevia procedendi ratio in SS. et OO. Regnorum horum inamoene agere, ex Benignis Rescriptis Regiis ddto. 5. Septembris 1777 ac 19. Aug. 1808 perspicuum habentes, quod postquam Libera Comercialis Urbs ac Portus Fluminensis per piae Memoriae Reginam Mariam Theresiam Regno Croatiae immediate incorporatus exstitit, Jus voti et Sessionis Gubernatori Fluminensi ac Ablegatis Civitatis Fluminensis per SS. et OO. Regnicolariter Congregatos mediante Art. 8 Regni Congregationis 29. Februarii ac subsequis Mensis Martii 1808 asservatae adjectum fuerit, hocque SS. et OO. conclusum altissimam approbationem ddto. 19. Aug. 1808 tulerit.

Quapropter SS. et OO. Jus Suum in Urbem Portumque Fluminensem semper evincere contendentes ac reclamantes, Suam Majestatem Sacratissimam de genu interpellarunt, quo Urbi Portuique Fluminensi obligationem pro Cunctis Regnorum horum Congregationibus Ablegatos suos mittendi ac de objectis Re-

gna adnexa in concreto, per consequens et Urbem Portumque Fluminensem respicientibus, consultandi imponere dignaretur.

### Articulus Vigesimus Sextus.

*De Repraesentatione altissimo Loco quoad internam Graeci Ritus non unitorum Coordinationem Congressui eorundem concredendam substrata.*

Negotio transitus de una ad aliam in Regno Hungariae Partibusque adnexis receptam Religionem, in postremis Regni Comitiis tractato; quandoquidem Graeci Ritus non uniti per Articulum 27., 1790 in his quoque Regnis aquirendorum et possidendorum Bonorum capaces redditi haberentur, ipsam vero internam eorundem Coordinationem Sua Majestas Sacratissima porro quoque pro se reservasset, SS. et OO. Regnorum horum praeviam negotiorum Cleri Ecclesiae-Religionis Fundationum ac Educationis Coordinationem Congressui Eorundem optimo cum Effectu concredi posse censentes, pro eadem facultate iis tribuenda Suae Majestati Sacratissimae homagialem Repraesentationem substraverunt.

### Articulus Trigesimus Primus.

*De Relatione super determinationibus in nexu proximae Regni Congregationis per permanentem Deputationem Regnicolarem Fundi Theatri Nationalis qualiter convertendi factis praestita.*

Relatio Illustrissimi Domini Comitis Ottonis Sermage, Camerarii Regii ac Excelsi Tabulae Banalis Assessoris, qua permanentis Deputationis Regnicolaris in merito Fundi Theatri Nationalis nominatae Praesidis, hac vice in eo praestita, quod medietate Interusuriorum a Capitalibus Fundi Theatralis obvenientium, pro Operibus Drammaticis per SS. et OO. Regnorum horum destinata existente, programma qualiter praesentandorum ac censurandorum praefatorum Operum drammaticorum ope Ephaemeridum ad notitiam publicam perlatum habeatur, pro statu notitiae assumpto, una vero praefatae Deputationi Regnicolari ulterior de ineundis in rem promovendi nationalis hujusce Instituti provisionibus provincia delata est.

### Articulus Trigesimus Secundus.

*De Actis servatae in merito collectionis Statutorum municipalium Regnicolaris Deputationis praesentatis.*

Illustrissimo Domino Hermanno Busan, Consiliario Aulico ac Inclytae Tabulae Justiciariae Praeside, qua Regnicolaris Deputationis, post resignationem Ill. Domini Comitis Joannis Draskovich, in merito colligendorum Statutorum municipalium exmissae Praeside, Acta servatae eatenus praeliminaris Deputationis, in

**qua Objecta spectata sua indole ad complures Rubricas divisa commembris Deputationis pro elaboratione ac collectione consignata exstiterunt, cum eo referentes, quod, dum aliquod eorundem Operatum paratum fuerit tale SS. et OO. Regnorum horum immediate praesentandum sit, — eadem Acta Regnicolaris Deputationis pro statu notitiae assumpta sunt.**

***Sequuntur Regnicolaris Deputationis in merito erruendorum Jurium et Statutorum municipalium acta.***

**Excellentissime ac Illustrissime Domine Officii Banalis Regie Locumtenens!**

**Excelsi Proceres! Inclyti Domini Status et Ordines!**

**Posteaquam ego humillime infrasertus in sequellam gratiosarum Excellentiae Vestrae sub dato 20. Aprilis a. p. 1846. ad me directarum Litterarum in Praesidem Deputationis Regnicolaris Deductiones Materiarum in Objectis Regnicolaribus, quarum systematica Elaboratio necessaria est, relate ad Municipalem consistentiam Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae parandas, pro objecto habentis, ac e Generali Regnorum horum Congregatione 4. et sequentibus Mensis Augusti 1836. celebrata, originem summentis, — Illustrissimo Domino Comite et Camerario Regio Joanne seniore Drašković ob fractas Corporis vires et ingravescentem aetatem Praesidium hocce deprecante — gratiose denominatus exstitissem — et in locum Illustrissimi Domini Comitis Joannis Drašković, Dominus Joannes Raizner Inclytae Tabulae Regnorum horum Judiciariae Notarius, in locum vero denati Domini Lazari Praunsperger, Dominus Franciscus Žigrović, Ord. Notarius Comitatus Crisiensis, — tandem in Subsidium Domino Josepho Štajdaher, Dominus Civitatis Varasdinensis Judex Franciscus Rizman in Commembra Deputationis hujus per altefatam Excellentiam Vestram mediantibus alterius Ordinis sub dato 9. Augusti a. c. 1847. ad me exaratis Litteris Eidem Deputationi adiecti exstitissent, — in Regnicolari Deputatione 29. et sequentibus Mensium Augusti et Septembris a. c. 1847. diebus, sub Praesidio meo servata, universa Acta prae manibus praelaudati praeexistentis Praesidis Illustrissimi quippe Domini Comitis Joannis Drašković, conservata, medio Mandatarii ejus Domini Aloysii Frigan praesente Domino Regni Archivario resignata, ac Meritum Substratum Regnicolaris Deputationis hujus constituens continuative in pertractationem assumptum exstitit, cujus Deputationis Regnicolaris Protocollum Excellentiae Vestrae, Excelsis item Proceribus, Inclytis Statibus et Ordinibus hisce sub ·/. in authentica Copia praesento.**

**Qui in reliquo gratiosis favoribus devotus, distincta cum Veneratione maneo.**

**Excellentiae Vestrae.**
**Excelsorum item Procerum.**
**Inclytorum demum DD. Statuum et Ordinum.**

**Signatum Zagrabiae die 26. Octobris 1847.**

**Humillimus Servus**

**Hermannus Busa**
**Regnicolaris Deputationis Archyvalis Praeses.**

**Anno Domini Millesimo Octingentesimo Quadragesimo Septimo. Die vero 29. et sequentibus Mensium Augusti et Septembris Zagrabiae in Domo Regnicolari sub Praesidio Illustrissimi Domini Hermanni**

**Busan Sacratissimae Caesareae Regiae et Apostolicae Majestatis Consiliarii Aulici, et Inclytae Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Slavoniae Tabulae Judiciariae Praesidis, praesentibus Magnificis, Spectabilibus item ac Generosis Dominis Joanne Kukovič, Benedicto Lentulay, Excelsae Tabulae Banalis Co-Judicibus, Friderico Piszachich Comitatus Varasdinensis Ord. Notario, Joanne Raizner Tabulae Judiciariae Notario, Francisco Novak Assessore, Josepho Stajdaher Civitatis Zagrabiensis, Francisco Rizman Civitatis Varasdinensis Judicibus, Francisco Zengevall Comite Curiali Episcopali, Ludovico Szinkovich Civitatis Zagrabiensis Ord. Fiscale et Assessore, ac Francisco Žigrović Comitatus Crisiensis Ord. Notario una Actuario, servatae in objecto eruendorum Jurium et Statutorum Municipalium asservatae regnicolaris Deputationis**

## Acta.

Quae virtute majorum parta tenent Inclyti Domini Status et Ordines Regnorum adnexorum Jura et Statuta Municipalia, eadem jam intra parietes illos, parietes utpote Legislationis, intra quos toties obfirmata erant saepe, ac recentius intenso conatu subrui attentari cognoscentes Domini SS. et OO. Regnorum adnexorum, quo recursuris, ad quae ex illis, quae jam evenerunt, non tam ambigua est conclusio, similibus tentaminibus eo tutius occurrere valeant, sub Generali Regnorum Congregatioue 4. Augusti 1836 Regnicolas ad elaborandas materias in objectis municipalibus provocandas decreverunt.

In nexu provocationis hujus Dominus Ludovicus Jellachich thema de nexu inter Croatiam ac Dalmatiam in cohaerentia cum elibertatioue Civitatis Segniensis a Jurisdictione militari elaborandum, — Dominus vero Ludovicus Gaj illustrationem Historiae patriae ab epocha infelicis Cladis ad Mohać spoponderunt.

Patriotica hac sponsione sine fructu manente parte ab una, parte vero ab altera noviori in municipalitates Regnorum adnexorum demonstratione enata ac crescente, — Nobilem intentionem suam ultro prosecuturi Domini SS. et OO. sub Generali Regnorum Congregatione 21. Maji 1839. Deputationem Regnicolarem sub Praesidio Illustrissimi Domini Camerarii Regii Joannis Comitis Drašković de Trakostjan fine Jurium et Statutorum municipalium colligendorum, ac in unum Systema redigendorum exmiserunt, eidemque Deputationi Illustrissimum Dominum Camerarium Regium Emericum Inkey, ac denatum de rebus patriis meritissimum Archivarium Regni Valentinum Kirinić adlegendos decreverunt, quibus sub Regni Congregatione 10. Augusti 1840 dignissimus praesentis Deputationis Praeses Illustrissimus Dominus Consiliarius Aulicus et Tabulae Judiciariae Praeses, qua praeexistens Comitatus Zagrabiensis substitutus Vice-Comes adnumeratus, Valentino vero Kirinić intermedio tempore pro gravi patriae jactura fatis cedenti Dominus Actualis Archivarius Aurelius Kussevich substitutus exstiterant.

Tandem Sua Illustritate Domino Comite Joanne Drašković ob fractas corporis vires praesidium deprecante, Excellentissimus Dominus Episcopus et Officii Banalis Locumtenens Regius Georgius Haulik de Váralya ex studio in indivisam illam, qua Illustrissimus Dominus Consiliarius Aulicus et Tabulae Judiciariae Praeses Hermannus Busan in Patria gloriari potest, fiduciam, intensum in patriam amorem, ac eminentes animi et mentis dotes, Eidem altelaudatae Illustritati praesentis Deputationis Praesidium deferre ac promovendam praeviam patrioticam regnicolarum intentionem Deputationi Eidem in capite attacta dignissima Individua adnumerare dignabatur.

Quibus circa Constitutionem praesentis Deputationis praemissis, Illustrissimus Dominus Consiliarius Aulicus et Praeses Dominis Deputatis facunde, ac ex corde adsolutatis, gratiosas Suae Excellentiae Domini Episcopi et Officii Banalis Locumtenentis Regii ddto. 20. Aprilis 1846 exaratas literas, ope quarum praelaudatus Illustrissimus D. Cons. Aulicus et Praeses Tabnlae Judiciariae in praesentis Deputationis Praesidem denominatur, eidemque Acta ad praesentis Deputationis Materias spectantia a praeexistente Deputationis Praeside Illustrissimo Domino Comite Joanne Drašković recipiendi provincia defertur, Deputationi exhibuit, quibus perlectis, ac gratanter susceptis, publicatae sunt alterius Ordinis gratiosae altelaudatae Suae Excellentiae ddto. 9. Augusti a. c. ad Praesidium directae Litterae, contextu quarum in locum fungi nequeuntium, impeditorum, ac demortui Lazari Praunsperger Novae Deputatorum, Dominorum utpote Joannis Raizner, Francisci Rizman, ac Francisci Žigrović factae Denominationes insinuantur, — republicatis denique supraattactis Articulis regnicolaribus in subversante merito emanatis, in conspectu totius Deputationis reserata est cista ferrea, in qua acta regnicolaria per Illustrissimum Dominum Comitem Joannem Drašković transmissa sunt, pro receptione.

Cum Acta eadem iuxta Reversales per I. D. Comitem Camerarium Joannem Drašković Domino Archivario R. extradatas recipienda sint, ad lucrandum compendium temporis eorundem Actorum pervestigationem extra tempus Sessionum decrevit, talemque Dominis condeputatis Joanni Raizner, Aurelio Kussevich, ac Francisco Žigrović cum interventu Mandatarii Illustrissimi Domini resignantis C. Joannis Drašković, Domini Aloysii Frigan concredidit.

Consumata eorundem Actorum perlustratione Actisve in sua integritate (praeter unum Rescriptum Regium circa Banderialistas Nro. 117, 1815. insignitum, ac differentiam illam, quod unus liber protocollorum regnicolarium de Anno 1752. producatur, in reversalibus vero unus liber de Anno 1762 provocetur — utriusque proinde defectus suppletione in cointelligentia cum I. D. Camer. C. Joanne Drašković Illustrissimo Domino Praesidi delata) juxta reversales quoque originales Domini Regni Archivarii repertis, ac in fasciculos juxta Materias redactis — siquidem ex supraattacti articuli regnicolaris 28. 1836. cognosset procedens Deputatio, quod D. Ludovicus Jellachich et Ludovicus Gaj, et quidem prior nexus Croatiae cum Dalmatia, posterior vero Historiae patriae ab Epocha Ferdinandi I. illustrationem in se assumpserint, Domino Illustrissimo Praesidi provincia delata est, ut de eventu appromissarum illustrationum a fatis Dominis Offerentibus informationem capere, talesque in quantum nefors elaboratae essent, pro ulteriori Procedentis Deputationis usu istlıic substernendas procurare dignetur.

Cum mens regnicolarum in supracitato Articulo 28., 1836. expressa illa fuerit, ut pro elaborandis materiis Municipalibus quo plures laboris socii et adjutores ex regnicolis acquiri contendantur, tam ad sensum patriotici hujus Regnicolarum studii, quam et ideo, quod certum Deputatio isthaec teneat, ita saltem praedestinatum scopum se assecuturam, si regnicolarum in rebus patriis versatorum, quo fieri potest, latius cooperamen consecutura esset, propositioni Illustrissimi Domini Praesidis in eo, ut D. Varasdinensis Comitatus Judlium Joannes Kukuljević, qui a pluribus jam annis in conquirendis datis historicis Patriae hujus nobili zelo desudat, ad concursum in elaboranda Materia de rebus ad historiam domesticam spectantibus vocetur, prona assensit, congruam provinciam Eidem Illustrissimo Domino Praesidi deferendo.

Lecta est postmodum consignatio Materiarum in objectis regnicolaribus, quorum elaboratio Deputationi huic concredita est.

Materiae praeviae in 28 punctis dexterimo denati Archyvarii Kirinić calamo concinatae, habita reflexione privilegiorum, legum, aliorumque datorum, et diplomaticorum et historicorum, ad quae ut cum fundamento tractari valeant, regressus fieri debet, illius sunt indolis, quod Sessionalem concertationalem pertractationem tunc tantum recipere valeant, si praevie singillative in forma seorsivorum relate ad omne objectum operatorum examinatae ac elaboratae fuerint, eapropter in illam Deputatio concessit mentem, ut Materiae eaedem intra Commembra Deputationis pro combinatione, elaboratione ac redactione distribuantur, atque, quemadmodum Illustrissimus Dominus Praeses, Magnificus item D. Benedictus Lentulaj, ac Spectabiles, ac Perillustres Domini Franciscus Zengevall, Joannes Raizner, Fridericus Pissachich, Franciscus Novak, Franciscus Rizman, Ludovicus Sinković ac Franciscus Žigrović operam suam prone obtulerunt, ita earundem Materiarum distributio facta est, modalitate sequenti, et quidem:

a) Illustrissimo Domino Praesidi Materiae sub Nro. 1., 15., 16. et 17.
b) Magnifico Domino Benedicto Lentulaj sub Nro. 11., 12. et 13.
c) Friderico Pissachich sub Nro. 20., 22.
d) Francisco Novak sub Nr. 23. et 24.
e) Francisco Zengevall sub Nr. 2., 3., 4., 5., 6.
f) Joanni Raizner sub Nr. 8.
g) Francisco Rizman sub Nr. 25.
h) Ludovico Sinković sub Nr. 26. et 27.

obtigerunt, — Dominis tandem Magnificis D. Consiliario Metello Ožegović sub Nr. 7., 21. ac Ludovico Gaj sub Nr. 8. velut praevie jam eatenus requisitis reservatae manserunt.

Ut autem cum fundamento procedere valeant, Acta ad illustrationem cujusvis Materiae spectantia, quae uti supraattactum est, in seorsivos fasciculos juxta seorsive confectos Elenchos redacta sunt, laudatis Dominis erga reversales Elencho subinserendas medio Dominorum Joannis Raizner ac Francisci Žigrović extradari disposita sunt — relate ad Dominum Condeputatum Fridericum Pissachich hac vice ob infirmitatem absentem D. Illustrissimus Praeses munus concernentia Acta eidem communicandi gratiose in se assumpsit; remanserunt itaque adhuc Acta Materiae sub Nr. 7., 21. et 28. admensae, quae cum D. Consiliarius Metellus Ožegović testantibus reversalibus Domino praeexistenti Illustrissimo Comiti Praesidi extradatis elaboratione Materiarum sub Nr. 7. et 21. occupari cernatur, D. vero Ludovicus Gaj parimodo teste praecitato Articulo regnicolari 28., 1836 Materiam sub Nro. 28. adnotatam elaborandam in se assumpsisse appareat, certumque teneat procedens Deputatio, fatos Dominos pro noto suo nobili in patriam studio, continuationem accepti laboris haud declinaturos, iisdem consignandi provinciam in se assumpsit toties laudatus Illustrissimus Dominus Praeses.

Cum porro Materiae sub Nro. 9. in objecto contributionis Croaticae, ac 14. circa nexum Croatiae cum Slavoniae sub praesidio meritissimi patriae viri denati Illustrissimi Domini Consiliarii Aulici et Tabulae Judiciariae Praesidis Aloysii Busan jam elaboratae, Regno tamen minus relatae, adeoque usui Regnicolarum,

